



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Casparis Ziegleri De Episcopis eorumq[ue] juribus,
privilegiis, & vivendi ratione, Liber Commentarius**

Ziegler, Kaspar

Norimbergæ, 1686

Liber II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61543](#)

DE
E P I S C O P I S
L I B E R II.

C A P U T I.

De Electione Episcoporum.

I.

Episcopos aliquando successores sibi designasse, non tamen sine suffragio populi & Episcoporum vicinorum, dixi sub finem libri præcedentis. Severus quidem Episcopus Milevitanus sibi vivens successorem delegerat Episcopum, neq; populi rationem habuerat. Sed fecutas inde in populo querelas, notat Augustinus epist. 110. Eas vero ut excluderet Augustinus, dum ipse quoque successorem sibi Eradium presbyterum constituere intendisset, in solenni actu toti populo Hipponensi, præsentibus Episcopis vicinis, voluntatem suam exposuit, eaque ut rata habeatur, multis verbis petiit. Inter alia ait: *Sicut novit charitas vestra, in Milevitana Ecclesiâ modo fui. Petierant enim me fratres, & maximè servi DEI, qui ibi sunt, ut venirem, quia post obitum beatæ memoriae fratris & co-episcopi mei Severi nonnulla ibi perturbatio populi timebatur. Veni: & quo-modo voluit Dominus adjuvit nos pro sua misericordia, ut cum pace Episcopum acciperent, quem vivus designaverat Episcopus eorum. Hoc enim eis cùm inno-tisset, voluntatem præcedentis & decendentis Episcopi sui libenter amplexi sunt. Minus tamen aliquid factum erat, unde nonnulli contristabantur: quia frater Se-verus creditit, posse sufficere, ut Successorem suum apud clericos designaret: ad populum inde non est locutus, & erat inde aliquorum nonnulla tristitia. Quid plura, tristitia fugata est, gaudium successit, ordinatus est Episcopus, quem præce-dens Episcopus designaverat. Ergo ne aliquis de me queratur, voluntatem meam, quam credo DEI esse, in omnium vestrum notitiam profero. Presbyterum Era-dium mibi successorem volo. A populo acclamatum est: DEO gratias &c. Qui ergo in Milevitana Ecclesiâ à Severo omissus fuerat populi consensus, ne idem in Ecclesiâ Hipponensi post mortem suam contingeret, ut murmur apud indignantem plebem excitaretur, præterire eum Augustinus noluit,*

Gg

præ-

præsertim cum non suam, aut Eradi successoris, sed Ecclesiæ suæ utilitatem propositam habuerit. Scio, inquit, post obitus Episcoporum per ambitiosos atq; contentiosos solere Ecclesias perturbari, & quod sèpè expertus sum & dolui, debo quantum ad me attinet, ne contingat, huic prospicere civitati. Et ex hâc ratione, si Episcopus cum consensu Cleri & populi Successorem sibi constituat, excusari id, cæteris paribus, poterit.

II. Isti verò tales casus uti extraordinarii sunt, ita non facile constitutio successoris admittenda, cum præsertim plurimis corruptelis ea res obnoxia sit. Idcirco optimè statutum fuit in Concilio Antiocheno c. 23. Episcopo non licere alium pro se successorem constituere, etiam si sit in fine vite. Maximè autem caverunt veteres, ne jure hereditario Episcopatus ad successores devolverentur, aut ad unam aliquam familiam quasi adstringerentur. Qui canones Apostolorum composuit, septuagesimum sextum hunc in modum concepit: Quod non oportet Episcopum fratri, vel filio, vel alii cognato gratificari, & pro lubitu Episcopatus dignitatem conferre. Episcopatus enim heredes facere, & ex humano affectu largiri ea, que DEI sunt, fas non est. Non enim licet Ecclesiam DEI in heredes conferre. Si quis autem hoc fecerit, irrita quidem electio maneat, ipse autem segregatione multetur. Nec igitur probari potest, quod Polycrates Ephesus Episcopus, Victori Papæ rescribens apud Nicephorum lib. 4. cap. 37. dicat, se octavum esse, qui ex familiâ suâ tenuerit Episcopatum eundem. Et sunt tamen gentes, quibus id ferè solemnne est, ut ex eâ, quæ semel placuit, familiâ plures sibi constituant Episcopos. Ita nihil omnino profecit Ericus Rex Danie, cum consuetudinem illam abrogare vellet, & Aeschylus Archiepiscopus Lundensis a populo postularetur, contradicentibus scil. Danis, ad aliam familiam, quam præcedentium Archiepiscoporum, sacerdotium transferri debere.

III. Per electionem plus sibi semper consultum putavit Ecclesia, eo quod Episcopi non nascantur, sed fieri debeant. Cumq; virtutes & qualitates Episcopi accurate descriptæ sint in sacris literis, non poterunt illæ explorari commodiùs quam per electionem. Quâ ratione autem electio istiusmodi instituenda & perficienda sit, multâ cum contentione hodiè disputatur. In eo convenient omnes, ab Ecclesiâ illâ, de cuius regimine agitur, Episcopum eligi debere, sed quibus terminis Ecclesia illa circumscribenda sit, quibus electio ista competit, aut quibus competere debeat, non una omnium est sententia. Cui praxis hodierna in Romanâ Ecclesiâ perspecta est, ignorare non potest, ad solos canonicos eligeri potestatem translatam esse exclusâ omni reliquâ Ecclesiâ. Sed pristinos mores qui intueri velit, deprehendet, non Clericis tantum, quotquot in Ecclesiâ fuerint, sed populo etiam jus eligendi commune fuisse, tantum abest, ut id paucis quibusdam Canonicis proprium dici queat. Atq; id fortè nemo negabit, nisi

nisi cui in Sole caligare voluere fuerit. Circa antiquos tamen mores, quousque populus admissus fuerit ad electionem Episcopi, adhuc valde disquiritur.

IV. Nonnulli enim plebem eatenus admissam contendunt, non ut ipsa quoque eligeret, sed ut de electo, quem scilicet elegerant Episcopi provinciales, & populo proposuerant, testimonium daret, suumque vel assensum vel dissensum declararet. Volunt scilicet illi, jus electionis ad Episcopos praesentes, testimonium autem, consensum & electionis comprobationem ad plebem pertinuisse, ac proinde totum electionis arbitrium penes Episcopos fuisse, usque adeo ut multas legere sit Episcopales electiones celebratas ab Episcopis sine plebe, à plebe autem sine Episcopis nullas. Alii autem non assensum tantum aut testimonium populo adscribunt, sed ipsum etiam suffragium, & votum electivum, in ipso electionis actu. Utrique plurimi veterum testimoniorum instructi in arenam descendunt, suamque masculè propugnant sententiam, in hoc uno convenientes, injustè excludi populum ab electione suorum Episcoporum. Quæ thesis, dum ab utrisque defenditur, haud in magno equidem ponam discrimine, per assensum tantum, an per suffragia decisiva populus ad electionem Episcopi concurrat. Sufficit si dissentire liceat populo & electum reprobare, quo ipso electionis quodammodo particeps fit, ut electus dici nequeat, nisi quem populus præbaverit.

V. Apostoli, cum post Judæ excessum in numerum suum cooptandus esset alius, perpetuam exemplo suo legem posteritati dederunt, quâ ratione in electionibus ministrorum Ecclesiæ procedendum sit. *Act. I. 15. seqq.* Primum enim proponitur, totam congregatam fuisse Ecclesiam: *In diebus illis exsurgens Petrus in medio fratrum dixit: Erat autem turba nōminum simul ferè centum viginti.* Discipuli ergo illi seu fratres, in quorum medio surrexit Petrus & quos allecutus fuit, non fuerunt tantum Apostoli reliqui & Collegæ decem, sed ultra centum alii, quos fratrum nomine insigniri moris erat & styli Apostolici. Petrus autem loquendi facit initium, καὶ ἦσαν ἡγεμόνες, καὶ ὡς εἰποῦσεν οὐχὶ τὸ Χριστὸν μόνον, καὶ ὡς τὸ Χριστὸν πεποντο, uti Chrysostomus loquitur, h. e. *Q*ut calidi vir ingenii *Q*ut gregem fidei sue commissum habens à Christo, *Q*ut primus chori Apostolici. Proposuit autem Petrus, in locum Judæ substituendum & eligendum, nunc esse alium ex hoc cœtu, qui Christum in terris vidisset, quique earum rerum, quarum ipse extitisset ἀντίτης, testimonium præbere posset. Tum vero statuerunt duos. In plurali loquitur: *εἰσῆσθε.* Quinam vero? Non tanti facti dux Petrus, non ab eo excitati & cum eo sentientes reliqui Collegæ, & Apostoli, sed Chrysostomo teste, πάντας. hom. 3. in *Act. Apost.* Omnes scilicet illi, qui tūm praesentes erant, & ad quos Petrus verba fecerat. Nec enim ratio appetet, cur pluralitas illa

ad Apostolos tantum restringi debeat. Similiter de oratione & precibus quod sequitur, non Apostolos tantum convenit, sed reliquo toti cœtui. Quis enim dicere velit, Apostolos solos orasse, reliquos aliud egisse? De iisdem autem dicitur, quod oraverint, de quibus dictum fuerat, quod statuerint, aut fliterint ex numero suo duos. Idem etiam deinceps ἐδωκαν πληρεῖς αὐτῶν, sortem conjecterunt in istos duos. Ipsa contextus analogia ostendit & cogit fateri, illos ipsos, quos ante compellaverat Petrus, & in quorum medio surrexerat, statuisse ex se duos istos, Barsabam scil. & Matthiam, precibus eos Domino obtulisse, & sortitionem fecisse.

VI. Ad eundem modum electio Diaconorum peracta fuit, Act. VI, 2. seq. Apostoli enim convocantes multitudinem discipulorum dixerunt: Deligite, fratres, ex vobis viros septem, idoneo testimonio ornatos, plenos Spiritu S. & sapientia, quos huic usui præficiamus. --- Placuit autem hic sermo toti præsenti multitudini: Elegerunt Stephanum &c. Quos statuerunt in conspectu Apostolorum: Qui adhibitis precibus imposuerunt eis manus. Diversis verbis dicitur, totam præsentem multitudinem elegisse, quæ multitudine non ex Clericis tantum constabat, sed ex omnibus illis, qui Christo nomen dederant, quique præsentes tūm erant. Eos jubent Apostoli Πάνουπλος ἀνδρας h. e. rezensere & lustrare quasi, viros inter se, atque despicer, utrum sint, qui muneri huic apti & idonei essent. Atq; ista Πάνουψις talem inspectionem denotat, quæ fit cum cura & sollicitudine aliquâ, ne animus fallatur, & ne pro digno habeatur, qui talis non sit. Hac Πάνουψι præviâ elegerunt deinceps Stephanum & reliquos: Εξελέξαντο, inquit Apostolus, hoc est, ex pluribus optimos designarunt, eosq; ab reliquis separarunt, quippe quos maximè idoneos huic officio habuerunt, quosq; propterea in conspectum Apostolorum statuerunt, ut ei muneri præficerentur. Quicquid hic referatur factum fuisse, id omne adscribitur multitudini discipulorum congregatae. Tota & universa Ecclesia, quæ tūm præsens erat, inquisivit primum in coetu suo, utrum tales invenirentur, quales desiderarant & descriperant Apostoli; repertos tota & universa Ecclesia elegit, electos Apostolis, ut permanuimus impositionem confirmarent, exhibuit.

VII. Ex hoc verò processu negant Bellarminus & alii, regulam constitui debere, secundum quam electiones ministrorum Ecclesiæ fieri oporteat. Confidenter nimis Thomas Bilsonus Episcopus Wintoniensis de perpet. Eccles. Christi gubern. c. 7. pag. 107. negat, Apostolos hanc electionis formam ut generalem & perpetuam omnibus in posterum Ecclesiæ præscriptissime. Exempla, ait, multum distare à preceptis: Ex facto singulari regulam generalem non posse constitui sine maxima & manifestissima ratione, quæ conclusionem coherentem & necessariam esse demonstraret. Similia ferè habet Hugo Gro-

Grotius de imp. summar. pot. circa sacr. c. 10. n. 3. Sed optimè respondet David Blondellus apol. de Episc. & presb. sect. 3. Ea omnia præcepti vim includere; quæ ad imitandum proposita sunt, nec nudam legem, sed praxi quodammodo amictam repræsentare. Facta enim ista singularia divino consilio ad imitandum proposita, & ab Apostolis usitata non nuda exempla, sed exemplaria sacra & normæ divinæ sunt, ad quas posteriorum omnium facta & consilia universa dirigidebeant, si præsertim religiosa veterum per tot secula imitatio observetur, qui exemplis istis ad imitandum propositis, præcepti vim inesse, firmiter persvatum habuerunt. Nec insubida proinde est argumentandi ratio, quam à minori ad majus inducit Blondellus: *Si in extraordinariâ & planè singulari Apostoli designatione Christianæ multitudini suum jus constituit, quanto magis in ordinariâ & quotidiana ministrorum electione constare debet? at in extraordinariâ & planè singulari Apostoli designatione, Christianæ multitudini suum jus constituit. Ergo multo magis in ordinariâ & quotidiana ministrorum electione constare debet, ut quomodo cum Apostolis Matthiam Apostolum designavit, cum Clero ministros quo scung, ad seculi finem eligat.*

VIII. Ut de praxi & usu veteris Ecclesiæ aliquatenus constet, operæ pretium erit nonnulla hic testimonia congerere, quæ concurrentiam plebis in electione Episcoporum & reliquorum Ecclesiæ ministrorum apertissime ostendunt. Initium faciemus à constitutionibus, quæ dicuntur Apostolicæ. Etsi enim earum tanta nec sit antiquitas, nec autoritas, qualem mentiuntur, ipsiq; in Ecclesiâ Latinâ Primipilares, Bellarminus, Baronius, Perronius, Albalpinæus, Petavius & alii, pro apocryphis eas habeant, negari tamen nequit; antiquitatis aliqua vestigia, qualia præsertim circa concilii Nicæni tempora in uisu fuerunt, in illis quandoq; inveniri. Unde non pigebit ex lib. 8. cap. 4. sequentia exscribere, si quis forte fuerit, qui earum autoritatem, Francisci Turriani exemplo, dejectam esse nolit. Ego igitur primus Petrus dico, ordinandum esse Episcopum, ut omnes pariter antea constituimus, scilicet, de quo in nullâ re sit querela, & qui sit à cuncto populo ex optimis quibusq; eleitus. Quo nominato & placente populus in unum congregatus una cum presbyteris atq; Episcopis presentibus die Dominico consentiat. Qui verò inter reliquos princeps Episcopus est, percontetur presbyteros & populum, an ipse sit, quem præesse petunt: & illis amuentibus rursus percontetur, an tribuant ei omnes testimonium, quod dignus sit hoc magno & illustri munere praesidendi. --- Rursus tertio interrogent, utrum sit ministerio dignus, & cum tertio annuerint, & dignum esse assensi fuerint, petatur ab omnibus ut præbeant signum assensus, (*οὐδέποτε i.e. signum aliud, ex quo colligi possit omnium consensus*) & cum promptâ voluntate dederint, audiantur, & dicitur *αρχόμενος, ακούεις οὐσίαν*. Si consentire omnes, si σύνδη-

μεταρριθμητας dare omnes, si audiri omnes in electione Episcopi debent, non poterit sanè excludi populus à tali actu, qui propter electionem institutus est.

IX. Autor istarum constitutionum fertur vulgo Clemens Romanus, sed falso, ut plerique hodiè agnoscunt rerum Ecclesiasticarum periti. Paucioribus dubium est de epistolâ ad Corinthios, quam anno hujus seculi trigesimo tertio sub ejus nomine Oxonii edidit, latinè vertit, & notis brevioribus illustravit Patritius Junius. In eâ parilis sententia habetur de universæ Ecclesiaz suffragio. Hæc enim sunt Clementis verba: *Apostolostri per Jesum Christum Dominum nostrum cognoverunt contentionem de nomine Episcopatus futuram. Propter hanc itaque causam perfectâ præscientia prædicti constituerunt prædictos, (scil. Episcopos) καὶ μεταξὺ θρησκῶν δεδώκασθε δεinceps formam dederunt, ut iis defunctis probati alii Viri in eorum ministerium succederent, ἐστο ab illis vel deinceps ab aliis Viris celeribus, universâ Ecclesiâ sibi gratum esse testante, constituti ἐστο. Non omnibus quidem, uti dixi, probata est hujus epistolæ autoritas, sed esse tamen eam valde antiquam, nemo negabit, qui structuram & stylum ejus accuratius expenderit. Testimonium autem istud Ecclesiaz non significat nudam & tacitam saltem approbationem, sed consensum & suffragium. Συνευδοκησίον τῆς Εκκλησίας πάσιν, h. e. consentiente & calculum suum addente universâ Ecclesiâ. Συνευδοκέω enim idem est, quod συνεπαγόντω συγκαταλήγειν, assentior, consentio, συνεπικυρώ, συνεπιφίλω, simul ratum habeo, calculum unâ adjicio.*

X. Eandem sententiam homili. 6. in Levit. tenuit Origenes Vir capsim ingenii & doctrinæ singularis, dum ita commentatur: *Licet ergo Dominus de constituendo Pontifice præcepisset & elegisset, tamen convocatur etiam Synagoga. Requiritur ergo in ordinando Sacerdote etiam populi præsentia, ut sciant omnes & certi sint, quod qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille elegitur ad sacerdotium, & hoc attestante populo, ne qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scrupulus resideret. Hoc est autem, quod & Apostolus præcipit in ordinatione Sacerdotis dicens: Oportet autem illum & testimonium habere bonum ab his qui sorris sunt. Legitur apud Gratianum c. licet 8. q. 1. Ubi in primis notandum venit, quod ait de retractatione, quæ nihil aliud est, quam revocatio ejus, quod gestum est, & hæc retractatio cuivis ex populo adscribitur, certissimo argumento, populum in electione Episcoporum suum addere debere ψηφία, liberumque habere suffragium vel comprobandi personam propriae, vel rejiciendi.*

XI. Origeni σύγχρονος fuit Cyprianus Carthaginiensis Episcopus, cuius admodum illustre est testimonium, quod habetur in epistola ejus 68. Plebs, inquit, obsequens preceptis dominicis --- maximè habeat potestatem vel eligendi

gendi dignos sacerdotes, vel indignos recusandi. Quod & ipsum videmus de divina autoritate descendere, ut sacerdos plebe presente, sub omnium oculis deligitur & dignus atq; idoneus publico judicio ac testimonio comprobetur. --- Quod postmodum secundum divina magisteria observatur in actis Apostolorum, quando de ordinando in locum Judae Episcopo Petrus ad plebem loquitur. --- Quod utiq; idcirco tam diligenter & caute convocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altius ministerium, vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet. --- Propter quod diligenter de traditione divina & Apostolica observatione servandum est & tenendum, quod apud nos quoq; & ferè per provincias universas tenetur, ut ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem provincie proximi quiq; convenientiant, & Episcopus deligitur plebe presente, quæ singularum vitam plenissimè novit & uniuscujusq; actum de ejus conversatione perspexit. Quod & apud vos factum videmus in Sabini Collegio nostri ordinatione, ut de universæ fraternitatis suffragio, & de Episcoporum, qui in praesentiâ convenierant, quiq; de eo ad vos literas fecerant, judicio, Episcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Basilidis imponeretur. Nempe ita mos erat, ut defuncto Episcopo alieujus civitatis, in ipsum illum locum, in quo sedes vacabat, convenientirent Episcopi comprovinciales, & una cum plebe de novo Episcopo eligendo deliberarent atq; decernerent.

XII. Idem procedendi modus obtinuit tempore Constantini, ut patet ex Eusebii *de vit. Constant. lib. 3. cap. 60. & 62.* Cum tamen Antiocheni Eustathio Episcopo suo deposito, Eusebium Cæsariensem Episcopum sibi antistitem dari postulassent, autor fuit Constantinus Imperator, ne id facerent, & fraudet Episcopis Antiochiae congregatis ut Euphronium & Georgium presbyteros & alios, quos ad Episcopatum idoneos judicaverint, in medium proferentes ea decernant, quæ Apostolorum traditioni convenientiunt. Præmittit autem, se ex literis Episcoporum percepisse, populum & Episcopos in hoc concordes fuisse, ut Eusebius ex Ecclesiâ Cæsareensi in Antiochenam transfertur. Ωστε, inquit, κατά γε τών Ἐλαῖην καὶ τών, τὸν μετέγενες προφετείων σύνεσιν τε καὶ βέλησιν Ευσέβιον τοὺν ιερότατον Ἐπίσκοπον τὴν Καισαρειῶν ἐκκλησίας Πτὲ τὸν Ἀντιοχεῖαν προκατέζεισθε. Ut juxta populi & prudenter vestra suffragium ac voluntatem Eusebius sanctissimus Cæsariensem Episcopum Antiochenæ Ecclesiæ præsideret. Et in ipsâ ad populum Antiochenum, quam eâ de re scripsit epistolâ refert, perlegisse se acta, & percepisse ex illis, velle populum sibi Eusebium illum σφετερίζειν vindicare aut adsciscere, & monet ut alium potius sibi eligant Episcopum, αὐτὸδην τὴν πείπτουν εἰσινεγκαθεῖσις Πτηγίστησιν αὐδρός, & χειρίζειν. h. e. curam ac diligentiam convenientem adhibete, ut tales virum, cujusmodi opus habetis, perquiratis. Non ruda ergo præsentia, sed Πτηγίστης etiam populo concedebatur tempore Constantini.

XIII. Non

XIII. Non alia tempore Concilii Nicæni fuit procedendi ratio: Post examen enim causæ, quæ propter Meletii Episcopi Lycopolitani schisma graviter Ecclesiam affixerat, hâc ratione cum eo transactum fuit, ut nomen Episcopi ipse retineret, tantumque Episcopali munere & functione deinceps abstineret, illi, quos ordinaverat, post impetratam ordinem sibi collatorum confirmationem & sufficientem attestationem, officiis, muneribus & functionibus sacris relinquerentur, essent verò inferiores illis, qui ab Alexandro primate sacros ordines suscepissent, possent autem in illorum locum, qui defuncti fuerint, provehi, si modo idonei sint & à populo elegantur. Sic enim se habent verba in epistola Synodicâ apud Socratem lib. I. c. 9. *Ii verò, qui ab ipso constituti sunt, sanctiore ordinatione confirmati ad communionem admittantur, eā lege, ut honorem quidem ac ministerium suum retineant, secundo tamen semper loco sint ab iis omnibus, qui in unāquāq. parœciâ Ecclesiâ versantur, à charissimo Collegâ nostro Alexandre prius ordinati.* Adeo ut bis quidem nulla facultas suppetat, quos visum fuerit, eligendi, aut nomen cuiusquam suggesti, aut omnino quicquam gerendi sine consensu Episcopi Catholice Ecclesiæ, qui Alexandre subjectus est. Illi verò qui DEI juvante gratiâ vestrisq; precationibus nullo unquam in schismate deprehensi sunt, sed in Catholicâ & Apostolicâ Ecclesiâ absq; labore ullâ perseverant, potestatem habeant eligendi & propoundingi nomina eorum, qui in clerum allegi meruerint, cuncta deniq; peragendi juxta legem & sanctionem Ecclesiæ. Quod si quempiam eorum, qui in Ecclesiâ censentur, diem suum obire contigerit, tum in defuncti locum atq; bonorem provehantur ii, qui nuper adsciti sunt, modo digni videantur, & o λαὸς αἴροιτο, & populus eos eligat, suffragante nihilominus, plebisq; judicium confirmante Alexandrinâ Urbi Episcopo.

XIV. Alexandre Episcopo in Ecclesiâ Alexandrinâ successerat Athanasius, in cuius exitium omnes Arianorum curæ cogitationesq; conversæ erant. Cumq; ille ex Galliis, quo relegatus fuerat, Constantini junioris literis instruētus Alexandriam rediisset, adversarium mox habuit Eusebium Nicomediensem Arianæ sectæ addiditum, qui cum suâ factione effecit, ut Athanasio denuò ejecto Gregorius Caprædox substitueretur. Ejus verò hanc substitutionem graviter perstrinxit Julius I. Episcopus Romanus in epist. ad Orientales Antiochiae congregatos, quam refert ipse Athanasius apol. 2. & recenset Severinus Binius tom. I. Concil. pag. 405. Inter alia exprobrat Gregorio, quod nullum à populo Alexandrino suffragium haberet, imò plane ignotus fuerit eidem. *Ubi, inquit, est istiusmodi Ecclesiasticus canon aut istiusmodi traditio Apostolica? ut in pace agente Ecclesiâ & Episcopis concordibus cum Episcopo Alexandriae Athanasio immittere Gregorium peregrinum & externum hominem, neq; Alexandriae baptizatum, neq; plebi cognitum, neq; postulatum à presbyteris, cumq; Antiochiae creare Episcopum, atq; inde deducere Alexandriam &c.*

XV. Econ-

XV. E contrario verò, cùm de ipso etiam Athanafii Episcopatu disceptaretur, & Eusebius Nicomediensis Episcopus cum suis sociennis obiecisset, quod à sex aut septem Episcopis clanculum & in loco obscuro Athanasius in præsulem electus fuisset, quodque adeò defuisset plebis consensus, apologiam pro eo in epistola Synodicâ scripsit Synodus Alexandræ congregata, his verbis: *Nos autem contra cum totâ civitate & universâ provinciâ testamur, omnem multitudinem populumq; Catholicæ Ecclesie in unum coactum, quasi in speciem unius corporis & anime, clamoribus, vociferationibusq; postulasse, Athanasium Ecclesie Episcopum dari, idq; publicis votis à Christo-expetuisse, nosq; uti faceremus, per multos dies ac noctes jurejurando obtestatos fuisse, cum interea nec ipsi ab Ecclesiâ discederent, neque nobis discedendi facultatem permitterent, hoc nostrum totiusq; civitatis & universae provinciae testimonium, nec mali quicquam de eo, quod ab ipsis fit, pronunciamus.* Habetur hæc epistola Synodica apud ipsum Athanasium apol. 2. Idem Athanasius in epist. ad solitar. vit. agentes acerbè perstringit Constantii & Arianorum violentiam, docetque, & Apostolorum constitutionem & consuetudinem Ecclesiæ inveteratam ab eis proculari prorsus & everti. *Hic, (ait, loquitur autem de Constantio Imperatore) excogitavit, quo pacto legem alteraret, dissolvens Domini constitutionem per Apostolos traditam & mores Ecclesie immutans, novumq; ipse excogitans constituendorum Episcoporum modum. Ex aliis quippe locis & quinquaginta mansionum intervallis diffitis ad populos nolentes cum militibus Episcopos mittit, qui loco justitiae, que de illis esset apud populos, minas & literas ad judices deferant. Improbat scil. quod populis obtrudantur Episcopi plane invitios & renitentibus, & quidem adhibitâ vi militari.*

XVI. Athanasio æqualis fuit Hilarius urbis Pictavorum Aquitaniae secundæ Episcopus. Is simulatq; ejus sedis electus fuisset Antistes, gravissimâ mox inventivâ insectatus Episcopos Arianos supplicem libellum ad Constantium Imperatorem dedit, quo malis illis, quibus haec tenus ab Arianis affecta fuerat ecclesia, finem imponi, & Episcopos orthodoxos recens in exilium ejectos restitui, multis verbis precatus est. Libellum istum recenset Cardinalis Baronius ad ann. CCCLV. n. 72. seqq. Inter alia his verbis alloquitur Imperatorem: *Permittat lenitas tua populis, ut quos voluerint, quos putaverint, quos elegerint, audiant docentes & divina mysteriorum solennia concelebrent, & pro incolumitate & beatitudine tuâ preces offerant. Petit, ut restituantur Episcopi, quos populi voluerunt olim, & elegerunt. Et hoc obsecramus, inquit porro, ut eos, qui adhuc, egregii videlicet Sacerdotes, qui tanti nominis præpollent dignitate aut in exilio aut in desertis locis tenentur, jubeads ad sedes suas remeare, ut ubique grata libertas sit & jucunda latitia.* Ideò scilicet, quod ita recuperent populi Episcopos, quos olim elegerunt.

XVII. Circa ista tempora habitum fuit Concilium Laodicenum, cuius canon decimus tertius contrarium planè innuere videtur, populum scil. ad electiones Episcoporum haudquaquam admittendum esse. Verba sunt ista ex versione Dionysii Exigui: *Quod non sit permittendum turbis electiones eorum facere, qui sunt ad Sacerdotium provebendi.* In hunc canonem ita commentatur Theodorus Balsamon: *A præsentí quoq; canone ostenditur, quod antiquitás non solum Episcopi eligebantur à populi multitudine, sed etiam Sacerdotes, quod vetitum est.* Et Johannes Zonaras: *Multitudini non Episcopos tantum, sed Sacerdotes quoq;, eligendi potestate interditum fuit.* Si vera hæc sunt interpretamenta, in hoc primum Concilio, quod anno CCCLXIII. sub finem habitum fuit, exclusus fuit populus ab electionibus. Sed enim necesse non est, ut tām generaliter verba adducta accipiantur, cūm nec praxis infœcta tale quid confirmaverit, neque hæc fuerit Patrum in Concilio Laodiceno congregatorum intentio, ut populum prorsus excluderent ab electionibus ministrorum Ecclesiæ, sed ut turbulentos motūs compescerent, quibus illi non expectato Episcoporum judicio, nec reliquorum ordinum sententiā seditionē admodum Episcopum sibi postulabant. Sensus igitur hic est, non debere plebi soli permitti, ut fine Clero & Magistratu electionem Episcopi aut alterius ministri Ecclesiæ faciat, non ut prorsus non eligat, sed ut nunquam excluso vel posthabito Clero universam electionis potestatem ad se trahat, atque ita Cleri suffragia eludat. Salva etiam res est, si dicamus, per Synodum Laodicenam non excludi viros in populo honoratos, λαμπεράς καὶ πεώτας τὸ πόλεως, sed infimam plebeulam ad inordinatos motūs maximē proclivem, & nihil non tentantem, ut cupiditatibus suis indulgeat. Sic enim etiam Justinianus seculo sexto τὰς πεώτας τὸ πόλεως adhiberi voluit, ut infra pleniū dicemus. Populum autem non omnem à Patribus Laodicenis exclusum fuisse, patet non tantum ex can. 5. ejusdem Concilii, ubi soli excluduntur audientes, h.e. pœnitentium aut catechumenorum certus ordo; sed etiam ex canone præcedente duodecimo, ubi dicitur, eligi debere plurimo tempore probatos, tām verbo fidei, quam recte conversationis exemplo. Probatio autem recte institui non poterat, nisi adhibitis ex populo testibus, quibuscum converfatus fuerat eligendus.

XVIII. Non aliter tūm temporis observatum fuit in Cappadociā. Cūm enim post Diamei Cæsareensis Episcopi obitum Ecclesia vacaret, & de Successore deliberatio institueretur, disidentibus ab initio civibus, mox consentientibus, & unā voce Eusebium Catechumenum potentibus, Episcopus ille ordinatus fuit, teste Gregorio Nazianzeno *in orat. de obitu patris. Eusebio* hoc defuncto succedit Basilius, juxta vota Cleri, Monachorum, Honoratorum, Curie, & plebis, uti idem testatur *Gregorius d.l. Epist. 22.*

Unde

Unde patet, etiam monachos admissos fuisse, quorum hodiè vix ulla habetur ratio. Idem Nazianzenus orat. 21. laudat electionem Athanasii, quod totius populi suffragiis firmata fuerit. *Totius, inquit, populi calculo, Ψῆφος τὸ λαὸς πάντες, non secundum pravum, quod postea pervicit exemplum, nec per eadem Ἐγγυητὴν, sed Apostolicę Ἐπιστολὴν ad Marcum tronum evenitur. Ψῆφος hic adscribitur populo, h. c. suffragium, quale in comitiis olim per calculos dari solebat.*

XIX. Similem procedendi modum in electione Nectarii & Flaviani Episcoporum observatum fuisse, discimus ex Concilii Constantinopolitani, quod anno CCC LXXXII. celebratum fuit, epistola Synodica ad Occidentales, cujus haec sunt verba: *Per Dei miserationes reverendissimum & DEO dilectissimum Episcopum Nectarium in Oecumenicā Synodo, communī concordiā, sub DEO dilectissimi Regis Theodosii conspectu, universo clero, totāq; civitate suffragium ferente ordinavimus. Vetusissime autem vereq; Apostolica, quæ in Antiochia Syriæ est, Ecclesiæ, in quā primā honorandum Christianorum nomen editum est, reverendissimum & DEO dilectissimum Episcopum Flavianum Provinciales & Orientalis diocesos concurrentes, totā Ecclesiā, quæ velut una voce virum honoravit, suffragante, canonice ordinaverunt, quam legitimam ordinacionem, χρυσοτονίαν, etiam admisit Synodi communitas.*

XX. Sic & Chryostomus bonil. 14. in acta, cum retulisset factum Apostolorum, & velut exemplar proposuisset, illico addit: *Ἄτω καὶ νῦν γίνεσθαι, sic & hodiè fieri oportet, non aliter scil. ac si legem dedissent Apostoli, quæ observari ab universâ Ecclesiâ deberet. Idem lib. 3. de Sacerdot. c. 15. suffragii jus ita tribuit populo, ut eum ferè dominum honoris collati declaret. Publica, inquit, festa spectato, in quibus Ecclesiasticarum dignitatum electiones maximè fieri lex est, & tam multis sacerdotem criminationibus petitum videbis, quanta subditorum multitudo est; quotquot enim dandi honoris domini sunt, πάντας τοὺς οἱ δέοντες κύριον τὴν πομπὴν, in multas tunc partes dividuntur. Ex quo simul discimus, quām libera olim fuerint populi suffragia, quibusq; censuris expositi Candidati. Quod autem ait Chrysostomus, in multas partes dividi populum, id ex accidenti fit, & inter corruptelas referendum est, propterea tamen eligendi jus populo non denegandum. Sed & dissensionibus istiusmodi talibus componendis præscriptus est modus in Concilio Carthaginensi III. can. 40. qui quinguagesimus est in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ. Eum Gratianus c. illud dist. 23. recenset his verbis: *Illud statuendum est, ut quando ad eligendum Episcopum convenerimus, si qua contradictione fuerit suborta (quia sèpè talia sunt facta apud nos) non presumant ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres tantum accedere, sed postulentur ad numerum supra dictum duo vel tres, & in eisdem plebe cui ordinan-**

dus est, discutiantur primò persone contradictorium: postremò etiam illa, que objiciuntur, pertractentur: Et cùm purgatus fuerit sub aspectu publico, ita demum ordinetur.

XXI. Quæ hactenus recensuimus testimonia, seculi tertii & quarti historiam Ecclesiasticam concernunt. Pergimus nunc ad seculum quintum, in quo primum occurrit autoritas Hieronymi, qui dum in nuptias & conjugium satis acerbè invehitur, obiter quasi hanc movet quæstionem, lib. 1. adversus Jovinian. cur cœlibes non semper ad sacerdotium sumantur? Et post unam atque alteram rationem adductam addit etiam hanc: Non nunquam erat plebisq; vulgiq; judicium, & in Sacerdotibus comprobandis unusquisq; suis moribus favet, ut non tam bonum quam sui similem querat prepositum. Evenit aliquoties, ut mariti, que pars major in populo est, maritis quasi sibi applaudant, & in eo se arbitrentur minores non esse virginibus, si maritum virginis præferant. Quibus verbis non obscurè prodit, quales suo tempore populi fuerint partes in elegendis Sacerdotibus, & incusat mores vulgi, quod eligere plerumq; soleant sibi similem, atque sic affectibus suis indulgeant. Sic & comment. in Ezechielem c. 33. populo tribuit potestatem eligendi, dum ait: Speculator terra Judææ vel Rex potest intelligi vel Prophetæ. Speculator autem Ecclesie vel Episcopus vel presbyter, qui à populo electus est. --- Unde magnopere formidandum est, ne ad hoc officium accedamus indigni, & assumpti à populo, negligenter nos demus atq; desidie, & quod his pejus est, deliciisq; ventriq; & otio servientes, honorem nos accepisse putemus, non ministerium.

XXII. Maximè autem illustria in hoc seculo sunt testimonia Romanorum Pontificum, Cœlestini, & Leonis, quibus perspicuum redditur, populum cuiusq; Ecclesiæ in electionibus Rectorum suorum ad ipsa etiam suffragia ferenda admissum fuisse. Sic enim in epistola 2. que est ad Episcopos Gallie scribit Cœlestinus: Nullus invitî detur Episcopus. Cleri, plebis & ordinis consensus ac desiderium requiratur. Si non desideria tantum populi audienda sunt, sed consensus etiam ejus requiri debet, & si non invitî dandus est Episcopus, suffragia eorum ut accedant necesse est. Quia verò affectibus suis sœpè indulget populus & præcipiti desiderio in personam fertur, quæ minus idonea est sacro huic muneri, Episcoporum hoc est officium, ut per interpretationem canonum ad saniora consilia errantes reducant, & quibus limitibus potestas eorum circumscripta sit, debito modo explicent. Sic enim idem loquitur Cœlestinus epist. seq. 3. cap. 3. Docendus est populus, non sequendus. Nosq; si nesciunt, eos, quid liceat, quidve non liceat, commonere, non bis consensum præbere debemus. Elegerant scil. sibi aliquæ civitates Episcopos ex Laicis, quod improbat Pontifex, & rectius doceri vult populum.

XXIII. Pari modo Leo I. Pontifex eum demum pro Episcopo haberi vult, ad cuius electionem populi accessit consensus. Nulla ratio finit, inquit,

quit, ut inter Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec à pleibus expetiti, nec à provincialibus Episcopis cum metropolitani iudicio consecrati, &c. apud Gratian. c. 1. dist. 62. Et alibi: *Metropolitano defuncto, cùm in locum ejus alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad civitatem Metropolitanam convenire debebunt, ut omnium Clericorum atq; omnium civium voluntate discussa ex presbyteris ejusdem Ecclesie vel ex diaconibus optimus eligatur.* Apud eundem Gratianum c. *metropolitano* 19. dist. 63. Et oppidò memorabile est, quod in causâ Hilarii Arelatensis Archiepiscopi idem Leo in epist. 89. ad Episcopos per Viennensem provinciam constitutos scribit, & inter alia improbat, non adhuc fuisse ab Hilario consensum populi. Infirma atque ægrâ valetudine correptus erat Projectus Episcopus. Illi nescienti alium superposuerat Episcopum Hilarius, nec in consilium adhibuerat cives. Utrumq; reprehendit Leo, dum ait: *Epistola quoq; ingesta est civium ipsius & numerosa subscriptione singulorum firmata, invidiosissimis contra Hilarium plena querimonis, quod Projecto Episcopo suo agrotare liberum non fuisset, ejusq; Sacerdotium in alium prater suam notitiam esset translatum, & tanquam in vacuam possessionem ab Hilario perversore heredem viventis inductum.* --- Apparet ergo quam mitis sit corde Hilarius, qui obesse presumptioni sui fraternæ mortis credidit tarditatem. Quantum enim in se fuit, illi subtraxit lucem, abstulit vitam, qui hunc dolorem, in locum ejus alterum subrogando, ne ad salutem illi recursus esset, injectit. --- Expectarentur certè vota civium, testimonia populorum, quereretur Honoratorum arbitrium, electio clericorum, que in Sacerdotum solent ordinationibus ab his, qui norunt patram regulas, custodiri. --- Teneatur subscriptione clericorum, honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis. Qui prefuturus est omnibus, ab omnibus eligatur &c. Quid clarius dici possit pro stabiliendo suffragio populi? Utriusq; consensus hic requiritur & Cleri & populi, qui hic describitur secundum varias hominum conditions.

XXIV. Leonis hujus tempore celebratum fuit in Urbe Chalcedone *diaconis* istud Concilium, cuius acta adhuc leguntur integra. In eo duo insignia occurserunt exempla ad rem præsentem facientia. In actione enim decima sexta deliberatum fuit, qualia *πεστία* concedi debeant Archiepiscopo Constantinopolitano, & utrum ille deinceps ordinare debeat metropolitanas in Asianâ & Ponticâ & Thracicâ diœcesibus. Et probè observandum est, actum ibi fuisse de constitutione metropolitanorum, quæ videtur præcipuo & eximio aliquo jure pertinere ad Episcopos diœceseos. Nihilominus tamen statuerunt judices, ordinandi metropolitanos potestatem dandam esse Constantinopolitano Episcopo, secundum hunc modum, ut decreto facto à Clericis uniuscujusq; metropolis, & possessoribus atq; clarissimis, super hæc & à reverendissimis Episcopis provinciae omnibus aut plurimis eligi quemcunq; prefati metropolitanæ Ecclesie Episcopi dignum esse probaverunt. Rursus

in actione undecima examinata fuit Basiani & Stephanii de Episcopatu Ephesino contentio, qualiter se habeat utriusq; electio & ordinatio. Uterq; consensum Cleri & populi se habuisse jactitabat. Stephanus dicebat: *Digne me quadraginta Episcoporum Asianorum decreto & nobilium & plebis, & totius reverendi cleri & omnis civitatis ordinaverunt.* Vicissim Basianus dicebat: *Me autem cum multâ necessitate & vi intronizaverunt in eadem civitate Ephesi populus & cleris & Episcopi, quorum unus, Episcopus Olympius hic est.* Non alia ab utroq; potuit commodior Episcopatus haecen gesti ratio dari, quam quod ab initio intervenerit autoritas totius civitatis; alter etiam coactum se cathedralm adscendisse profitebatur, quod multum faciebat ad tituli bonitatem adserendam.

XXV. Cæterum omitti nequit insigne juris hujus popularis exemplum, quod suo tempore & se procurante contigisse refert Synesius Cyrenæus, Pentapolitanæ Ptolemaidæ Episcopus epist. 67. Missus is fuerat à Theophilo Episcopo Alexandrino Palæbiscam, ut ibi Episcopum constitueret. Populo autem illic loci renitente, quid contigerit, hæc refert ad Theophilum: *Conventu populi habito - & accommodatâ ad suffragia habenda oratione instituta, ut vel persvaderem, vel si succederet, invitatos adducerem, ut de Episcopo eligendo deliberarent, populi in religiosissimum Paulum studium evincere minime potui.* --- *Ex iis manifestissimos quosq; sive quis altius vociferaretur, sive crepidinem natus, & eam concordens Patronum agere vellet, & sermonem contendere, tanquam precio comparatos, ac conjuratos lictorum manibus traditos, & ex conventu pulsos exturbari iussi.* --- *Conventum dimisi, & ad quartum diem adesse iussi, ultimi exempli diras imprecatus, si qui mercede conductus, aut private utilitatis causa, aut favore, aut deniq; ullâ alia re ductus, que privatim interesset, quicquam contra debitum Ecclesiæ obsequium proferret.* Commodum dicta dies advenerat, & jam populus aderat ad reclamandum & certandum compositus &c. Hæc & alia plura Synesius, ex quibus patet, quæ & quales fuerint partes populi in eligendo Episcopo, quodq; necessarium duxerit Synesius in comitiis rem eam agitari. Erat autem Palæbiscæ vicus Pentapolis ad confinia Libyæ siticulosæ, ut ipse describit Synesius.

XXVI. Eodem hoc seculo quinto vixit Apollinaris Sidonius, qui lib. 4. epist. 25. Domnulum suum certiore reddit, quid acciderit circa electionem novi Episcopi Cabillonensis, & quam varie suffragia sua dederit populus ibi præsens. *Nequeo differre, inquit, quin grandis communione te gaudii festinus impertiam, nimirum nosse cupientem, quid Pater noster in Christo pariter & Pontifex Patiens, Cabillonum profectus, more religionis, more constantiae sue fecerit,* Cum venisset in oppidum supra scriptum, provincialium Sacerdotum previo partim, partim comitante Collegio, scil. ut municipio summus aliquis antistetis ordinetur, cujus Ecclesiæ disciplina mutabat, postquam junior Episcopus Paulus discerat,

serat, decesseratque. Excepérunt Pontificale concilium varia voluntates oppida-
norum, nec non illa, quæ bonum publicum semper evertunt, studia privata : quæ
quidem Triumviratus accenderat competitorum : quorum hic antiquam natalium
prærogativam, reliqua desitutus morum dote, ructabat : hic per fragores para-
siticos, culinarum suffragio comparatos, Apitianis plausibus ingerebatur : hic
apice votivo si potiretur, tacitâ passione promiserat Ecclesiastica plausoribus suis
præde prædia fore &c. Quorsum verò populo sibi conciliando tantam ad-
hibuissent operam Candidati, si nullam ex ejus suffragiis spem concipere li-
cuisset?

XXVII. Inclinante hoc seculo Romanam sedem tenuit Gelasius, cu-
jus ex epistola ad Philippum & Gerontium Episcopos fragmentum, quod recen-
set Gratianus c. 11. dist. 63. satis ostendit, quantum pondus eo tempore in
electionibus Episcoporum habuerint suffragia populi. Plebs Diotrensis,
inquit, datā nobis petitione deflevit diu, se sine Rectoris proprii gubernatione dis-
pergi: ac, sicut asseritur, is qui à vobis jam probatus dicitur, à paucis & tenuibus
putatur electus, cùm ad vos pertineat universas adsiduā admonitione compellere,
ut omnes in unum, quem dignum sacerdotio viderint, & sine aliquā reprobatione
consentiant. Et idēo, fratres charissimi, diversos ex omnibus sèpè disti loci
parœciis & presbyteros & diaconos & universam turbam vos oportet sèpius con-
vocare: quatenus non, prout cuilibet libuerit, sed concordantibus animis talem vo-
bis admonentibus sibi querant sola divinitatis attentione personam, quam nulla
contrarietas à constitutis possit revocare rescriptis. Vult scilicet, ut doceatur
populus & commoneatur, & quidem frequentius, quid licet, quidve non
liceat, ut supra dixit Cœlestinus, ut hāc ratione tandem in unum omnium
fiat consensus.

XXVIII. Possent verò tūm ex dictis, tūm ex sequentibus seculis te-
stimonia adduci multo plura, nisi in manifestâ luce versaremur. Unicam
tamen ex seculo sexto Justiniani Imperatoris constitutionem facere non
possum, quin addam. Videtur enim illa continere jus novum, quo non qui-
dem excludebatur prorsus ab electionibus Episcoporum populus, sed adhi-
bebatur tamen temperamentum aliquod, ita ut aliqui tantum admitteren-
tur, & maxima electionis pars penes metropolitanum staret. Clericis
enim & civibus Honoratis, qui unâ olim cum Episcopis de electione con-
sulebant, concessit, ut soli eam peragerent, exclusâ ab hâc deliberatione
vili plebecula: Illi verò conjunctis sententiis tres maxime dignos elige-
rent, eorumq; nomina Metropolitanu transmitterent, cuius in arbitrio
erat, è tribus illis, quem maxime idoneum judicaret, Episcopum designare
& ordinare. Describitur hic modus procedendi in l. 42. C. de Episcop. &
Cler. item in Novell. 123. c. 1. & Novell. 137. c. 2. his feré verbis: Sancimus,
ut quoties usu venerit Episcopum ordinari, convenienti clerici & primores civita-
tis,

tis, cui ordinandus est episcopus: *E* propositis sanctis Evangelii super tribus personis psephismata fieri, -- ut ex tribus ita electis personis melior eligatur elezione & iudicio ordinantis. Jus istud, quod toti populo olim competebat, restrinxit Justinianus ad Honoratos cives, & qui conspicuae erant autoritatis, nec id quidem omne, sed *ωδησεναστον* tantum aliquod, aut *ωργελευλον*, ut deliberarent scil. cum clero civitatis de tribus personis, quarum nomina proponere possunt Metropolitano, cujus in arbitrio erat determinare, cui ex illis tribus Episcopatus conferri deberet.

XXIX. Olim vero, cum Ecclesia vacabat alicubi, conveniebant in eum locum Episcopi reliqui provinciales, & vel ipsi, quos idoneos esse judicabant, proponebant Clero & populo, ut ex eorum suffragiis, numquid impedimentum obstaret, manifestum fieret, aut vero populum sibi Episcopum postulantem audiebant, & ulterius consultabant. Utroq; enim casu Episcopis congregatis iudicium & *avancem* de personis in medium propositis competit. Quod si in Synodo illâ prælens erant metropolitanus, ordinatio fieri statim poterat. Sin minus, decretum ad eum ab omnibus Electoribus subscriptum mittebatur, atque ille tûm prævio examine, in metropoli noviter electum ordinabat. Hic ferè erat processus olim observari solitus, qui tamen variabat nonnunquam, tûm locorum, tûm aliarum circumstantiarum ratione. At Justinianus certam præscripsit regulam, & populo atq; clero Ecclesiæ vacantis probulevma tantum aliquod concessit; metropolitanu vero ultimam & propriè sic dictam electionem. Non dubito autem metropolitanum habuisse penes se synodū reliquorum Episcoporum comprovincialium, cum quibus discussio probulevmate ad se misso, electio proficeretur. Peractum enim fuit examen noviter electi, tûm & ordinatio ejusdem in præsentia plurium Episcoporum, uti deinceps exponam.

XXX. Non adduxissem tam copiosè pro populari hoc jure testimonia, nisi Bellarminus Cardinalis lib. 1. de cler. c. 7. id nec diurnum, nec ubiq; in Ecclesia receptum, & ex conniventia Papæ Romani permisum fuisse contenteret. Quæ quidem sententia haudquaquam probata videtur Dionysio Petavio lib. 1. de Ecclesiast. bierarch. cap. 13. n. 4. qui aperte docet, populare istud jus pro lege habitum in Ecclesiâ. Sunt Galia, inquit, non pauca in bistoriis exempla moris ejusdem in primis Ecclesiæ temporibus. Qui in jus deinceps legemq; transiit. Nam ut ab Episcopis, aut una etiam à clero eligentur Episcopi, recepta per omnes Ecclesiæ canonum decreta sanxerunt. Ut autem in iis renunciandis Laicorum insuper suffragia locum haberent, in occidente potissimum lex & consuetudo tenuit &c. Cumque observasset Petavius pro contraria sententiâ nonnullos adduci canones, ad eos hunc in modum respondeat: Verum si quis diligenter canonum illorum verba perpendat, dubitabit, an ex iis satis probari possit, populo jus illud erectum. Nam de Episcopis tantummodo

præ

præscribunt, quæ sint eorum partes in Episcoporum electione, præcipue Metropolitani. — De populo nihil in utramvis partem definiunt, quia de solis Episcopis agebatur &c.

XXXI. Contigit tamen sequoribus temporibus, ut populus jure eligendi privaretur, sicuti indignum elegisset. Fidem facit Hincmarus Remensis Archiepiscopus, in epistola ad Ludovicum III, quæ duodecima est in editione Jacobi Sirmondi tom. 2. ubi sic ait: *Quod scripsisti, vota omnium, qui commorarentur in Belnacensi Ecclesiâ, in Odacrum concordare, non est mirum, si stulti & improbi ac cupiditate cœcati toties taliter agunt, non correci de rejectione prævæ suæ electionis in Fromoldum, & reprobato Rodulfo & se electo Honorato sacro Episcopali ordini adhuc fidei doctrina incongruo, perdiderunt electionem, sicut ostensum est illis in Synodo & per sacras regulas non ulterius illorum, sed Episcoporum esse electionem, quam non præaire, sed subsequi, & non se ab eâ debere excidere.* Idem Hincmarus ad Clerum & plebem ejusdem Belnacensis Ecclesiæ hunc in modum rescripsit: *Prænoscere vos deniq; volo, qui, si personam à sacris canonibus deviam scienter vobis adduxeritis, non solum ex eâ pontificem non habebitis, verum etiam pro illicitâ electione, ut contemptores canonum judicium incurretis; sed & nostro ac Coepiscoporum nostrorum judicio refutatâ rationabiliter electione nostrâ incongrua, tales secundum Laodicenses canones studebimus eligere, qui vestris vitiosis voluntatibus non debeat consentire.* Quæ sint istæ sacræ regulæ, secundum quas amittatur jus eligendi, non occurrit. Contrarium rescripsit olim Honorius Imperator ad Bonifacium I. Pontificem: *Si duo forte contra fas temeritate concertantium fuerint ordinati, nullum ex eis futurum Sacerdotem permittimus. Sed illum in sede Apostolica permanetur censemus, quem ex numero clericorum novâ ordinatione divinum judicium & universitatis consensus elegerit.* Refertur apud Gratianum c. si duo dist. 79. Non subsistebat hic electio prima, nec tamen propterea populus excluditur, sed ad novam electionem admittitur.

XXXII. Quæ diximus hactenus, uberrimè comprobant, in Ecclesiâ vacante & clerum & populum illius Ecclesiæ convenisse ad celebrandam electionem. Per Clerum autem intelligebantur non solum clerici civitatis, sive, ut hodiè dicuntur, canonici Ecclesiæ cathedralis, & Rectores parœciarum civitatis; sed etiam, postquam monasteria specialem istam, quâ hodiè conspicua sunt, formam acceperunt, Clerici monasteriorum, itemq; presbyteri rusticarum parœciarum, qui vicarios suos mittebant, cum testimoniosis, quibus consensum suum ac illorum, qui in eorum parœciis habitabant, exponebant. Sic enim legitur in formulâ II. apud Hincmarum: *Quæ electio non tantum à civitatis clericis erit agenda; verum & de omnibus monasteriis ipsius parochie & de rusticarum parochiarum presbyteris occurrant Vicarii, commorantium secum concordia vota ferentes.* Sed & Laici nobiles ac

cives adesse debebunt. Quoniam ab omnibus debet eligi, cui debet ab omnibus obediri.

XXXIII. Populi verò non ubique nec omni tempore eadem videtur habita fuisse ratio. Alibi enim & aliquando tota universitas admissa fuit; aliquando autem Viri Honorati tantum & nobiliores, qui populum representabant, ita ut nihilominus integrum maneret cuivis ex plebe disensum suum, ejusque rationem exponere. Nunquam autem populus ab eligendi actu per tot secula penitus exclusus fuit. Etsi enim in quibusdam canonibus nulla omnino populi fiat mentio, sed Episcopis tota ea cura commissa videatur; in illis tamen juri plebis expressis verbis derogatum haudquam fuit; sed quod primum vetustioribus canonibus stabilitum, & conseruidine inveteratā receptum fuerat, id ita in usu suo & exercitio relinquebatur, nec opus erat, ut quid porro de re, quæ in viridi & quotidianâ praxi obseriyabatur, decerneretur. Utrum autem jus electionis ad Episcopos tantum, qui congregati erant, pertinuerit, testimonium autem, assensus, & electionis comprobatio ad plebem, uti volunt nonnulli, difficile erit asslere. Quorum enim votum, voluntas, consensus, suffragium, ψήφος, arbitrium, judicium, electio &c. requiritur, uti talibus vocabulis populi & plebis jura promiscue à Patribus exponi solent, ab illis sane plus requiritur, quam nudus assensus & nuda acclamatio, etsi non negem, suffragia illa quandoque per acclamationem facta fuisse. Ego puto non uniformem semper & ubique observatum fuisse processum. Potuerunt enim Episcopi proponere nomina eorum, qui ad Episcopatum idonei essent, potuit & populus. Illud frequentius usurpatum videtur; hoc rariū & quandoq; cum periculo seditionis. Nec opus fuit singulorum suffragia exquirere, si nemo fuit ex populo praesente, qui dissentiret. Sic enim etiam tacito consensu potuit approbari ille, cuius nomen propositum fuerat, si praesertim nulli essent competitores. Sufficit nobis per aliquot seculorum historiam ostendisse, populum olim ab electionibus Episcoporum nunquam exclusum fuisse.

XXXIV. Videtur autem ne quidem per constitutiones Justiniani supra adductas populus reliquus prorsus exclusus fuisse. Etsi enim primum tantum civitatis faciant mentionem, factum tamen id puto exinde, quia reliquus populus ad eiusmodi conventus rarius accedebat, cum negligi à plebe plerumq; soleat, ex quo nullum sperari poterit compendium. Nullibi vero per modum constitutionis inserta inveniuntur verba, quæ expositi & aperte populo jus suffragii denegarent. Quod verò longo deinceps usu observatum fuit, ut primores tantum civitatis vice populi suffragium darent, id Græcis seculo octavo prorsus displicuisse, argumentum præbet decretum, quod anno DCCXXCI. in Concilio Niceno II. pro-

mul-

mulgatum fuit. Sic enim se habet canon ejus Concilii tertius: *Omnem electionem Episcopi vel presbyteri vel diaconi, que fit à magistratibus, irritam manere, ex canone dicente: Si quis Episcopus secularibus magistratibus usus per eos Ecclesiam obtinuerit, deponatur & segregetur, & omnes, qui cum eo communicant. Oportet enim eum, qui ad Episcopatum promovendas est, ab Episcopis eligi; quemadmodum à sanctis Patribus Nicæe decretum est in canone, qui dicit: Episcopum oportet maximè quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, constitui &c.*

XXXV. Placuit hâc ratione Græcis, ut non populi tantum & fratres subrostrani, sed ipsi etiam magistratus, qui per primates civitatis in constitutionibus Justiniani intelliguntur, quique longo hactenus usu ad electiones Episcoporum acceperant, deinceps à jure eligendi arcerentur. Ut verò solent homines institutorum suorum autoritatem undecunque arcessere: ita & Patres isti Nicæni, ne propter novitatem suspectum redderent hoc suum decretum, ad antiquos provocarunt canones, Apostolicum scilicet, uti vocant, trigesimum primum, & Concilii Nicæni I. canonem quartum, sed infelici successu & per interpretationem alienam prorsus ac minimè convenientem. Apostolicus enim canon hoc tantum intendit, non debere quenquam ad Episcopatum pronaoveri per brachium seculare, ita ut prævaleat autoritas magistratus propter potestatem, quam gerit. Non tamen inde sequitur, magistratum prorsus excludi debere à jure eligendi. Canon autem quartus Concilii Nicæni I. de ordinatione accipiens est, non de electione. Et sic eum reddit ex Græco etiam Dionysius Exiguus: Episcopum convenit maximè quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, Episcopis ordinari.

XXXVI. Vera scil. explicatio petenda est ex vero significatu verborum καθίσματος & τῆς χειροτονίας, quæ in d. can. 4. inveniuntur. Utrumq; etiam habetur in Scripturis. Paulus enim revocat in memoriam Tito suo, cuius rei gratiâ eum in insulâ Cretâ reliquerit, Tit. I, 5. Hujus rei gratiâ reliqui te in Cretâ, ut ea, quæ desunt, corrigas, ή καταστήσας κατὰ τὸν πρεσβύτερον, & constituas per civitates presbyteros. Et de Paulo & Barnabâ dicitur Act. XIV, 23. Χειροτονίουντες δὲ ἀπό της πρεσβυτερίας κατ' ἐκκλησίας &c. & cum constituisserint illis per singulas Ecclesiæ presbyteros. Quod Paulo ergo in epistolâ ad Titum est καθίσματα, hoc Lucæ est χειροτονία, in actis. Et fatendum quidem est, χειροτονίας vocabulum apud Aristophanem, Demosthenem, Thucydidem aliosque vetustiores Græcos suffragiorum per manus porrectas declarationem significare. Ita enim mos erat, ut eligentes attollerent manus & per hanc sublationem numerarentur suffragia electorum, uti explicat Zonaras ad can. I. Apost. Istum apud Athenienses &

per Asia civitates receptum morem, ut indignum Romanâ gravitate exagitat Cicero pro Flacco: Sic sunt expressa, inquit, ista preclara, quæ recitantur psephismata, non sententiis neq; autoritatibus declarata, nec jurejurando consticta, sed porrigendâ manu profundendoq; clamore multitudinis concitate. Inde verò χειροτονίας vocabulum simpliciter pro constitutione & creatione alicujus officialis usurpari solet, et si nulla adhibetur manuum extensio aut porrectio, ut plurimis exemplis probat Seldenus de Synedr. lib. 1. cap. 14. Apud Ecclesiasticos tamen Scriptores ut plurimum istud ad Ordinationis actum restringitur, & hinc recte in hunc sensum explicatur canon primus Apostolicus. Nec aliter canonem quartum Concilii Nicæni I. explicarunt Africani can. 13.

XXXVII. Nihilominus tamen Commentatores Græci autoritatem Synodi Nicænæ II. sequentes & ex suorum temporum observatione atque praxi crediderunt ita etiam accipi debere canonem quartum Concilii Nicæni primi. Hæc enim sunt verba Theodori Balsamonis: Cum enim anti-stitum electio à civium multitudine olim fieret, hoc divinis Patribus non placuit, ne à Laicis, sacris dedicatorum hominum vita dispergeretur: Et decreverunt, à provincialibus Episcopis uniuscujusq; provincie Episcopum eligi Et. Eadem est Zonaræ & Aristeni sententia. Eadem & Matthæi Monachi five Bla-staris in Syntagm. alphabet. lit. X. cap. 1. Sic igitur apud Græcos omnes in universum Laici jure eligendi Episcopos privati fuerunt, quos ipsos confidentiis adhuc & majore cum μητροῖσι exclusit Synodus, uti vocatur Oecumenica octava, five Constantinopolitana IV. can. 22. cuius verba hunc in modum descripsit Bartholomæus Caranza: Sancta Et universalis Synodus definit, neminem Laicorum principum vel potentum semet inserere electioni vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolite, aut cuiuslibet Episcopi, ne videlicet inordinata hinc Et incongrua fiat confusio vel contentio: præsertim cum nullam in talibus potestatem quenquam potestativorum vel ceterorum Laicorum habere conveniat, sed potius silere ac attendere sibi, usquequo regulariter à Collegio Ecclesia suscipiat finem electio futuri pontificis. Quisquis autem secularium Principum Et potentum, vel alterius dignitatis Laice adversus communem ac consentaneam atque canoniam electionem Ecclesiastici ordinis agere tentaverit, anathema sit.

XXXVIII. In Ecclesiâ Occidentali diutius quidem retinuit populus jus eligendi Episcopos, nec tamen ultra seculum duodecimum, nisi forte apud Gallos, qui pertinaciores fuisse videntur. Seculo enim duodecimo soli sibi canonici Ecclesiârum cathedralium jus istud vindicare cœperunt, neque id invitis Pontificibus Romanis, qui variis deinceps constitutionibus jus istud confirmarunt, quod sibi & sacræ monarchiæ utilius esse observarent, in paucorum & sibi obnoxiorum hominum manu jus istud existere, quam

quām inter plures diffundi, aut etiam à principibus exerceri. Sed Ecclesiarum inde statum multo deteriorem factum exemplo comprobat Cranzius in metrop. lib. 6. cap. 12. Magdeburgensis Ecclesia ad initium regni Lotharii tumultuabatur super Episcopis. Tres enim de ejus Pontificatu contenderunt. Adeò intumuerunt Canonici, jam liberalē electionem nati: Sperabat sibi quisque & amicis & infinita ambitione contenderant, pro Episcopatu adipiscendo. Nec finis erat contentionum, donec Luderus, sive Lotharium dixeris, omnibus destitutus svaserit, ut Norbertum, virum religiosum, ordinis Premonstratensem, sumerent Archiepiscopum Sc. Sanè facilius corrumpi possunt suffragia paucorum, quām plurimum, & ambitū crimen cūtius inter illos & cum illis committitur, quām si cum pluribus res agenda fuerit.

XXXIX. Quales autem fuerint Canonici tūm temporis, in primis seculares qui vulgo dicuntur, idem exponit Cranzius in metrop. lib. 3. c. 15. Admoneor hoc nomine, quod in annalibus ubiq. lego, per Ecclesias vixisse fratres ordine utiq. canonico sub regulā, D. Augustini. Sed ubi abjectum est hoc nomen, ut erubescant deinde dici fratres, hoc retinentes, ut canonici sine regulā, cūm canon sonet regulam, & domini dici ament, fugit cum nomine fratris charitas, illi nomini cognata, & succedit amor excellentiae proprie& & contentio sine fine. Et porro lib. 4. cap. 1. Qua occasione fratres licentiū de clauſtro egressi, mulierum consortia primō petebant absconsē, inde in majorem dissolutionem abierunt. Paulatim ergo defervescente in Clero religione apud Ecclesias ex monachis regulares Canonici, & ex his seculares, ut nunc vocantur, canonici prodierunt. Quid autem ex hāc deinceps resolutione sit oriturum, quis novit? Interpretemur, oro, vocabulum. Si canon est regula, canonici sunt regulares. Quid ergo fiet de Canonico seculari, nisi ut regularis sit irregularis: aut, si id malumus, regularis sine regula Sc. Et lib. 7. c. 50. Sub hoc Pontifice (Bernardo) in Ecclesiā Paderboronensi adhuc observantia regularis inter Canonicos viguit, & sub eo commutatio facta videtur de regulari observantiā ad statum Canonorum seculariorum. Sed querimus quid sit canonicus secularis. Nam interpretato nomine, si canon est regula, canonicus est regularis secularis: Ergo secularis Canonicus est regularis secularis: & expressius, regularis sine regulā, aut regularum irregulatio Sc. Et hi sunt illi, quibus jus eligendi Episcopos nunc competit.

XL. Quā violentiā autem & quibus artibus Canonici jus istud solis sibi vindicaverint primum, Ecclesia Cantuariensis in Angliā docere potest. Electionis jus, ut in aliis omnibus Ecclesiis clero populoq; olim commune, clerus tandem penes se retinuerat, excluso populo. Et tūm Episcopi suffraganei una cum canoniciis ad electionem Archiepiscopi Cantuariensis diu concurrebant. Tandem vero etiam Episcopi exclusi fuerunt, ita ut potestas eligendi ad solos deinceps canonicos pertineret. Factum id circa annum Domini MCLXXXIV. remq; gestam his verbis refert Franciscus God-

*winus in vita Balduini: Post mortem Roberti Archiepiscopi lis enata est, inter Episcopos suffraganeos provincie Cantuariensis, & Ecclesiae Cantuariensis monachos, (ita dicebantur canonici Ecclesiae Cantuariensis, quod regulares essent, & vitae instituto à Monachis parum different. Vid. Franc. Florens in dissertat. Canon. ad c. 9. X. de vit. & honest. cler.) de jure novi Archiepiscopi eligendi, quod utriq. magna contentione sibi vindicabant. Et negari certè non poterat (quod etiam ex precedentibus satis liquet) ab utrisq. jus hujusmodi usurpatum fuisse. Rex igitur cupidus moderatum aliquem & sedato ingento preeditum huic sedi præficiendi, cum Monachorum cœtu primum egit hāc de re, ac poste a deinde cum Episcopis. Et ne qua dissensio inter illos exoriretur, petitum est in primis, uti conjunctis votis in unum aliquem talem consentirent. Id quod à monachis adeò non probatum est, ut appellatione factā cause cognitionem ad tribunal Pontificium transtulerint, ubi novem mensium spacio magnis utriusq. partis sumptibus lis agita ta est. Episcopi tandem potiores evaserunt. Rescripto nempe papali imperatum est, ut conjuncti simul omnes tam Monachi quam Episcopi suffraganei unum aliquem eligerent. Cumq. ad tempus & locum designatum Monachi non convenient, suis calculis Episcopi Archipræsulem crearunt, Balduinum Wigornensem Episcopum. Hanc electionem, ut irritam redderent, à Monachis vehementer sudatum est, qui tamen profertentur, non alium potius se electuros, sed exemplum non placere. Rex igitur, qui Balduino mirifice favebat, rogare monachos non destitit, donec tandem impetrasset, ut eundem ipsi quoq. electione factā designarent; sed hāc lege atq. conditione, ut ipse Episcoporum electioni, & Episcopi eligendi furi in perpetuum cederent & renunciarent. In sequentium Archiepiscoporum electionibus Monachi plerumq. clam agentes Episcoporum suffragia prævenerunt, donec Papa Romanus manum quasi injiceret, & invitatis ipse pro luctu Archiepiscopos obtruderet, quod in sequentibus *Bryegianis* prolixius describit idem Godwinus.*

XLI. Postquam ita Canonici jus eligendi episcopos sibi proprium tecerunt, nata deinceps est distinctio modorum, quibus electio perfici soleat. Iste plerumque tres referuntur, per inspirationem scil. per scrutinium, & compromissum. Qui, quales fuerint, quidque circa eos observandum sit, videri possunt juris Canonici Doctores, in primis Paulus Laymannus in *quest. Canon. de prelat. Eccles. cap. 7. & 8.* Istam enim tractationem, utpote recentioris Ecclesiae inventum, ad nos non arbitramur pertinere. Sed nec modum illum, qui sit per inspirationem, vix erit ut hodiē usurpari dicamus. Unde Johannes Andreas ad c. *quia propter X. de elec. & elec. pot.* alludens ad fabulam aut commentum, quo Archiepiscopi Ravennates ad volantis & capiti insidentis columbae indicio creari dicebantur, quod & in aliis accidente refertur, columbam illam longius avolasse exclamat, per corvum aut noctuam fugatam, nunquam post hac reddituram. Sanè dubitare licet, utrum Spir,

Spiritus S. præsens esse velit in tali Collegio, quod æmulatione, invidiâ, ambitione & plurimis aliis vitiis haud raro infectum & corruptum est, quodq; in disfida & contentiones partium studio facillimè dissolvitur.

C A P. II.*De Jure Principis circa electionem Episcoporum.*

I.

QUæ diximus hactenus de jure populi circa electionem Episcoporum, multo fortius concludunt pro asserendo jure Principis circa eandem. Si enim populo electio sui Episcopi commissa fuit & committi debuit, Principi, qui caput est populi, nullo modo ea denegari debet. Imò verò, quia caput præcipuum est membrum in corpore animali, & reliquis partibus omnibus dominatur, idcirco etiam principi præcipua in hoc negocio & primæ debebuntur partes, neq; excludi ille adeo ullo modo poterit. Etsi autem in primitivâ Ecclesiâ nemo inter principes esset, qui jus hoc sibi vindicaret, quiq; de electionibus Episcoporum curam atq; sollicitudinem gereret, sed obfisterent potius, pleriq; omnes atque Episcopos prorsus sublatos cuperent, quod per integra tria secula Magistratus summi idolatricis cultibus dediti existerent; adversus caput tamen, ne caput sit, neve pedibus & reliquo corpori præsit, nulla temporis longinqua valebit. Siquidem divina dispositio, quæ caput in corpus imperium habet, perpetua atq; æterna lex est, & quæcunq; membrorum contraria usurpatio non præscriptionem efficiet, sed confusionem & eversionem ejus ordinis, quem DEUS else voluit.

II. Ex quo autem Imperatores Romani Christo nomen dederunt, ceperunt illi simuljus hoc suum exercere, & electionibus Episcoporum judicia sua pro re nata interponere. De Theodosio seniore refert Sozomenus lib. 7. c. 8. cum in Concilio Constantinopolitano II. de electione Episcopi Constantinopolitanî ageretur, & in partes scinderentur Episcopi illic congregati, mandaſſe Imperatorem Episcopis, ut nomina eorum, quos quisque Episcopatu dignos judicaret, in chartâ perscriberent, unumq; ex omnibus eligendi facultatem sibi ipsum reservasse, tandemq; eum ex indiculo sibi tradito Nectarium virum Senatorii Ordinis, & honestissimæ famæ, sed nondum sacro lavacro initiatum, elegisse. Factum id anno CCCLXXXI. Nectario hoc defuncto circa annum CCCXCVIII. successit Johannes Chrysostomus, quem cum populus simul & clerus uno consensu elegissent, Imperator quoq; comprobavit, misitq; qui eum adducerent, referente eodem Sozomeno, lib. 8. cap. 2. Johanni successit Arsacius frater Nectarii,

Arfa-

Arsacio Atticus, Attico Sisinnius, quorum omnium promotioni sine dubio manum admovit Imperator. Colligi id potest ex relatione Socratis de eo, quod Sisinnio defuncto contigisse scribit, lib. 7. cap. 29. Post obitum Sisinnii, inquit, propter homines inanis gloriae studiosos, placuit Imperatoribus neminem ex Ecclesiâ Constantinopolitanâ ad Episcopatum promovere, licet multi Philippum, nec pauciores Proclum ordinari summo studio contenderent. Peregrinum igitur hominem Antiochij evocare satius visum est. Scilicet. Et hâc ratione Nestorius in sedem Constantinopolitanam electus fuit.

III. Maximiano, qui Nestorio successerat, vitâ defuncto Theodosius junior Imperator, ne rursus de eligendo Episcopo ambigeretur, eaq; res tumultum in Ecclesiâ excitaret, absq; ullâ cunctatione nondum deposito Maximiani corpore, Episcopis, qui aderant, mandavit, ut Proclum in Episcopali solio collocarent, referente eodem Socrate lib. 7. cap. 40. Nec dubium est, etiam in sequentium Episcoporum Constantinopolitanorum electionibus Imperatoris suffragium vel prævenisse reliquorum vota, vel acceſſe. De Epiphanius constitutione, quæ facta fuit anno DXX. in relatione Synodica ad Hormisdam Papam hæc habentur verba: *Nam post obitum sancte recordationis quondam Archiepiscopi & Patriarche Iohannis Constantinopolitane civitatis, DEUS --- dedit nobis sanctum Pastorem & Patriarcham Epiphanium. --- Unde secundum rectam & probabilem fideliſſimi & Christianiſſimi nostri Principis & piissime Regine & glorioſiſſimorum communis Reip. procerum ſententiam, noſtra quoq; etiam omnium in hac Urbe babitantium teſtificatione judicium Pauli non eſt in eo fraudatum &c.* Et ipſe Epiphanius in epift. ad eundem Hormisdam: *DEUS pro ſua bonitate & misericordia meam reſpexit parvitatem, & poſt obitum sancte memoriae quondam Archiepiscopi & Patriarche Iohannis ſedem Sacerdotalem sancte Eccleſiae Catolice regie Urbis mihi conſerre dignatus eſt ſententia & electione Christianiſſimi & iuſtiſſimi Principis nostri Iuſtini & piissime Regine, quæ ei ad omne ſtudium communicat diuinum, ſequentiūq; eorum, bis quibus eſt bona converſatio, & qui regiis honoribus ſunt ſublimiores, ſimul & Sacerdotum & Monachorum & fideliſſima plebi consensus acceſſit.* Eodem modo Agapetus Papa Romanus in epiftolâ encyclica Petro Hierosolymitanorum Episcopo refert, quâ ratione Anthimo ex ſede Constantinopolitanâ remoto Menna ſuſfectus fuerit: *Cui, inquit, licet p̄ter ceteros ſereniſſimorum Imperatorum eleſtio arriferit, ſimiliter tamen & totius Cleri ac populi consensus acceſſit, ut & à ſingulis eligi crederetur &c.* Et Gregorius Magnus lib. 6. epift. 6. laudat Mauritium Imperatorem, quod electionem novi Episcopi Constantinopolitani non p̄cipitaverit, ſed poſt longas circumſtantiarum omnium diuſtiones Cyriacum tandem Eccleſiæ illi præfici voluerit. *Non enim, inquit, parvæ potuit eſſe mercedis, quod Iohanne sancte memoriae de hac luce ſubtrato, ad ordinandum ſacerdotem pietas veftra diu hæſitavit, tempus paulo longius*

gius distulit, cum metu omnipotentis DEI consilium quæsivit, ut videlicet causa
DEI cum magno debuisset timore disponi.

IV. Nec verò in Oriente tantum hæc observabatur ratio, sed etiam in Occidente. Sic enim, postquam Johannes primæ Justinianæ in Illyrico Episcopus factus esset, universis per Illyricum Episcopis presribit Gregorius Magnus lib. 4. epist. 7. Quia ergo ex epistolis, quas ad nos per Maximianum presbyterum & Andream diaconum direxisti, in persona Johannis fratri & coepiscopi nostri consensum omnium vestrum & serenissimi Principis convenisse cognovimus voluntatem, magna nos exultatio habuit. Et ad ipsum Johannem epist. seq. 8. Quia igitur suscepit fratrum & coepiscoporum nostrorum relatio, ad locum vos sacerdotii totius Concilii unito consensu & serenissimi Principis voluntate declarat accersiri &c. Haud aliter in Ecclesiâ Mediolanensi observatum fuit. Decesserat Auxentius Arianæ perfidiae magister præcipuus. Cumq; de successore deliberandum esset, monuerat Valentinianus Imperator Episcopos congregatos, vellent talem in pontificali sede constituere, qui & in fidei doctrinâ orthodoxus esset, & testem doctrinæ conversationem haberet bonam. Ibi tūm petiit Synodus, ut magis ipse decerneret Imperator & successorem faceret, quippe quod & pietate & prudentiâ excellenter instructus esset. Sed respondit Imperator: *Super vos est talis elección.* *Vos enim gratia divina potius & illo splendore fulgentes melius poteritis eligere &c.* Vid. Gratian. c. Valentinianus dist. 63. Valde errant, qui ex his Imperatoris verbis conficiunt, aut nullum jus ei competere circa electionem Episcopi, aut si maximè id concedatur, illo tamen eum se abdicasse, & renunciasse. Agnoverunt sane Episcopi tūm congregati sacrum hoc Imperatoris jus, dum ab eo solo electionem perfici volunt. An putabimus etiam Episcopos hæc suâ petitione juri suorenunciassent? Noluit acceptare Imperator provinciam delatam, sed ab ipsis Episcopis eam sustineri voluit, quod crypto Arianos difficile esset ab Orthodoxis dignoscere, & hoc propriè ad Episcoporum munus spectaret. *Major est,* inquit Imperator apud Theodoretum lib. 4. c. 6. *hæc provincia, quam que viribus nostris sustineri possit: proinde vos divina repleti gratia, & illius splendore illuminati multo melius hoc Episcopi diligendi negotium transigetis.* Auxentio superstite fœdè polluta erat Arianis dogmatibus Ecclesia Mediolanensis, & multum proinde intererat, ut præficeretur ei, qui rectius de DEO & divinis personis sentiret, quiq; verbum divinum pure & sine hæresi doceret. Et quis vero potius talem eligeret, quam Episcopi congregati, qui ex Theologiâ professionem facerent, quiq; heterodoxiam ab orthodoxiâ ut discernerent, maximam vitæ partem consumpsissent? Non ergo colligere inde licet, fateri Imperatorem, nullam sibi in electionis negocio competere potestatem. Hanc enim Episcopi potius negare debuissent; sed eam ipsi ultrò agnoscent. *Modestia* causâ

Kk

dum

dum ultro citroque agunt utriq; & invicem sibi has partes deferunt, dumq;
Imperator **ν Βέλλον** in suā responsione attendit, quis inde conficiet, nullum ei competere jus, nullam potestatem? Quam ipsam exseruit deinceps,
postquam relatio sibi ab Episcopis de Ambrosii electione facta fuisset, quippe
quā non comprobavit solum, sed & iusit Ambrosium adhuc catechumenum
exemplō sacris iniciari mysteriis & Episcopum ordinari, idq; Vicario
in mandatis dedit, ut rebus perficiendis instaret, ut idem refert Theodo-
retus d.l.

V. Relationem illam ad Valentinianum Principem ab Episcopis ideo factam putat Cardinalis Baronius ad ann. 374 n. 6. quod Imperatoriis lanchionibus vētūm esset, ne decuriones vel publicis obligati functionibus adsci-
ficerentur in clerum, per l. 3. & 9. Cod. Theod. de Episc. & Cler. Ambrosius au-
tem trium provinciarum, Insubriæ scil. Liguriæ & Aemiliæ præfectus esset.
At verò nondum probavit Baronius, ad præfectos provinciarum extendi debere constitutiones, quæ de curialibus aut decurionibus propositæ fu-
erunt. Sed & ipse Valentinianus, ad quem relatio facta dicitur, decennio abhinc, antequam Ambrosius ad Episcopatum electus fuit, legem promul-
gaverat, quā curialibus ad clericatum aspirare permiserat, si alterutrum
ex his facerent, vel in propinquos curiæ pro se substitutos bona sua trans-
ferrent, vel bonis curiæ cederent. Constitutio extat in l. 59. C. Th. de
decur. Præstito horum alterutro nullo opus erat assensu Imperatoris, nul-
lāve ad impetrandum eum relatione. Potius igitur est, ut statuamus,
ideo factam fuisse relationem, quod necessarium ducerent Episcopi, & re-
liquus populus, ad electionem concurrere debere consensum & suffragium
Imperatoris.

VI. Ut plura ex Occidentis Ecclesiis conquiramus exempla, nulla
nos cogit necessitas, quandoquidem de se abunde testari potest sedes Ro-
mana, qualiter ad Imperatores & Reges Italiæ de electione Pontificum re-
latio fieri, & eorum consensus requiri debuit. Tempore Odoacri Regis
post obitum Simplicii Papæ Basilius Patritius disertè vetuit, ne Papa eli-
geretur, nisi consentiente Principe. Oratio ejus, quā allocutus est Epi-
scopos congregatos, refertur in actis Synodi III. Romanæ sub Symmacho,
his verbis: *Quanquam studii nostri & religionis interjet, ut in Episcopatus elec-
tione concordia principaliter servetur Ecclesiae, ne per occasionem seditionis status
civitatis vocetur in dubium; Tamen admonitione beatissimi Viri Papa nostri
Simplicii, quam ante oculos semper babere debemus, hoc vobis meministis sub ob-
testatione fuisse mandatum, ut propter illum strepitum & venerabilis Ecclesiae de-
trimentum, cum de hac luce transire contigerit, non sine nostrâ consultatione cu-
juslibet celebraretur electio.* Hanc Basilius orationem acriter perstringit Ba-
ronius ad ann. 483. n. 11. putans, non eam fuisse Simplicii mentem, ut Laici
con-

consultationem admitteret, sed vel interpretatione pravâ in alia omnia inflexa fuisse ejus verba, vel prorsus conficta & commentitia. *Vides*, inquit, quibus artibus seculares potestates immiscere se conatæ sint in electione Romani Pontificis. Potuit fortasse rogasse eum Simplicius Papa, ut ad comprimendas turbas, diffidiaq; vitanda p̄festo esset futuræ electioni successoris Pontificis, non autemut absq; ejus consultatione electio baud fieret. At non ait Basilius, rogam⁹ se esse, sed mandatum à Simplicio fuisse Episcopis, & quidem sub obtestatione, ut successorem non constituerent sine consultatione Basilii, qui tūm erat Præfectus Prætoris. Conficta autem ea omnia fuisse à Basilio, tantum abest, ut probet Baronius ex verbis Cresconii Ecclesiaz Tiburtinæ Episcopi, ut potius ipse Cresconius pravâ interpretatione videatur explicasse verba Basilii. Verba ejus hæc sunt: *Hic perpendat sancta Synodus, uti pretermisſis personis religiosis, quibus maximè cura est de tanto Pontifice, electionem Laici in suam redegerint potestatem, quod contra canones esse manifestum est.* At verò p̄termissas nunquam voluit personas religiosas Basilius, sed hæc tantum fuit ejus intentio, ne sine suo consensu electio ab eis perficeretur.

VII. Odoacrum secutus Theodoricus Gothus eandem exercuit potestatem, & Pontificem Romanum sine suo consensu eligi noluit. Indignè id fert Baronius ad ann. 526. n. 22. & pesimè propterea Theodicum proscindit. Cujus quidem rabies, inquit, semel contra Ecclesiam Romanam concepta nequaquam tanti Pontificis (h. e. Johannis) obitu finem invenit, sed quod nullus unquam Ethnicorum Principum ausus fuerat, iste meditatus, implevit, nimirum ut captivam duceret ipsam Romanam Ecclesiam, Apostolicæ sedis Episcopē electionem atq; nominationem ipse sibi procaciter arrogans. Sc. Interjectā deinceps Athalarici Regis epistolā, dum tempora in sequentia & successum juris istius Regii intuetur, non obscurè Justinianum Imperatorem ejusq; successores perstringit num. 24. & 25. his verbis: *Accepisse tamen postea tanta p̄sumptio noscitur moderationem illam, ut ex pristino usū Clerus deligeret Romanum pontificem, quem tamen Rex suo confirmaret assensu, quam quidem ab Arianis Italia Regibus vendicatam sibi tyrannicè autoritatem, iis de dio sublatis, Orientalis Orbis Imperatores sibi pariter arrogarunt.* -- Vidisti, Lector, quinam auctor fuerit redigendis sub servitutem Romanam Ecclesiam, ut electioni vel nominationi Romani Pontificis immiserent se Reges? non nisi sevus barbarus, dirus Tyrannus, & impius Arianus: quem DEUS absq; dilatione, dissimulationeve, quā frequentius uti solet cum peccatoribus, repentina immissa ccelitus vindicta prostravit, & post acceleratum dirum exitium ad inferos perpetuo relegavit. Talemque emulantur Principem, expectent pari cum eo sententiā judicari, nimirum ut dum inconcessa p̄sumunt jura Ecclesiæ invadentes, & vita presentis & eternæ dispendium sentiant. Sc. Justinianum in his verbis notari satis manifestum

est, si conferantur, qua idem scribit Baronius ad ann. 590. n. 5. At non simul (hæc sunt ejus verba) ac Pontifex Romanus electus est, in Petri cathedrâ sedet, neq; sedere licuit: etenim quod sub Arianis Gotorum Regibus præsumptum diximus superioribus tomis, ut electus Pontifex, non nisi persolutâ pecuniâ confirmatus à Principe, sedere deberet, vindicatâ postea Urbe cum universâ Italia à Gotorum tyrannide per Justinianum Imperatorem, non minore ille tyrannide idem jus confirmandi Romanum Pontificem & pro confirmatione pecuniam exigen- di sibi retinuit. Hæc & multo acerbiora ad ann. 554. n. 2. 3. Baronius de Justiniano, quem tamen alibi, in primis ad ann. 527. n. 44. immensis laudibus ornat, quemq; ut Catholicum & Ecclesiæ Romanae addictissimum nuper exhibuit Arnoldus Corvinus peculiari tractatu.

VIII. Specialis quidem eâ de re Justiniani Constitutio non extat, sed probationis loco ex libro Pontificali, seu Anastasii Bibliothecarii commen- tariis *de vitis Pontificum* adducitur, quod scribit ille de rebus gestis sub Vi- gilio, Justinianum scil. ad instantiam Cleri Romani revocasse Vigilium, & qui cum eo in exilium relegati fuerant, iisque reduti dixisse Clero: *Vultis recipere Vigilium, ut fuit Papa vester? gratias ago. Minusve? hic habetis Archidiaconum vestrum Pelagium, & manus mea vobiscum erit. Responderunt omnes: Imperet DEUS pietati tue.. Restitue nobis modo Vigilium, & quando voluerit eum DEUS transire ab hoc seculo tunc vestra preceptione donetur nobis Pelagius Archidiaconus noster &c.* Utrum verba illa vel Justiniani, vel Cleri Romani respondentis, tam severam & acrem mereantur censuram, quali hodiè notari solent in Ecclesiâ Românâ, judicium esto penes Lectorem, si præfertim attendere velit, quâ reverentiâ Imperator ille sedem Ro- manam semper prosecutus fuerit. Nimis iracundè & valde intempe- ranter colloquium istud exceptit Severinus Binius in *not.* dum ait: *Justinia- nus hoc loco sacrilegè confirmationem & abrogationem Romani Pontificis usur- pat; quantâ verò totius Imperii jacturâ & clade, infra patebit. Dolendum est, quod Clerus Romanus populo Vigilium poscenti promiserit, post obitum Vigilii non alium suffidum iri Pontificem, quamquam Imperator præsentasset: cum ea ratione ducta sit in captivitatem Domina gentium, & Regina provinciarum facta fuerit sub tributo.* Nec tamen verum est, Theodoricum primum fuisse, uti vult Baronius, qui electioni Pontificis auctoritatem suam interposuerit, quandoquidem ante ejus tempora Valentinianus Imperator viso certamine inter Damafum & Ursicinum judicem se præbuit, & Damafum in sede con- firmavit, Ursicinum autem Urbe expulit. Postea etiam Honorius Im- perator, cum inter Eulalium & Bonifacium novum schisma ortum esset, factâ sibi relatione à Symmacho Præfecto Urbi, confirmandi Pontificis jus sibi vindicavit. Vid. Marcus Ant. de Dominis de Rep. Eccles. lib. 4. c. 11. n. 19. 24. Nihil novi à Justiniano affectatum fuit, sed quod Basilius Patritius more stabi-

stabilitum, & Gratianus post c. vota 27. dicit. 63. usu & constitutione stabilitum afferuerunt.

IX. Ut quæ dicenda restant, in compendium redigam, & quam variè jus istud Regium se habuerit, quibusq; modis infirmatum aliquando, aliquando resuscitatum fuerit, exactius constet, adscribam verba Onuphrii Panvinii, quæ notavit ille ad vitam Pelagii II. à Baptista Platinæ descriptam. Ea hæc sunt: *Gotbis Italidomi per Narsen patritium pulsis, eaq; cum Urbe Româ Orientalis Imperit parte factâ, sub Justiniano Imperatore, ex auctoritate Papæ Vigilius novus quidam in comitiis Pontificiis mos inolevit. Is fuit, ut mortuo Papâ nova quidem electio more majorum statim à Clero S. P. Q. R. fieret, verum electus Romanus Pontifex non ante consecrari, atq; ab Episcopis ordinari posset, quâm ejus electio ab Imperatore Constantinopolitano confirmata esset, ipseq; literis suis patentibus licentiam electo Pontifici concederet, ut ordinari & consecrari posset, atq; ita jurisdictionem pontificatus tunc obtineret. Pro quâ licentia consequendâ electio necesse erat certam pecunia & quantitatatem Imperatori transmittere. Quâ venia obtentâ, ipse postea consecrabatur, & Romanum administrabat Pontificatum. Antea enim idem dies comitiorum & consecrationis Pontificis renunciaverant. Hoc autem ideò Justinianum Imperatorem, vel ex ejus auctoritate Vigilium Papam instituisse credendum est, ut Imperator certus esset de conditionibus novi Pontificis, cujus tunc maxima esse auctoritas cœperat, Imperatoribus præsertim Italiâ absentibus, ne aliquo Pontifice factioso, vel Imperatoris hoste ordinato, Urbs & Italia eo auctore ab Orientali imperio desiceret, seq; finitimis barbaris traheret, quod Silverium Papam aliquando quæsisse sibi persuadebat. Quâ ratione fiebat, ut in novis comitiis eum potissimum Romanum Pontificem crearent, quem Imperator, à quo confirmandus erat, amicam esse scirent, & de quo ille consideret, nibil in Italiâ contra Imperium moliturum barbaris præsertim Longobardis eam paulo post vexantibus. Perduravit hæc consuetudo usq; ad Benedictum II. cuius sanctitate permotus, Constantinus Imperator Heraclii pronepos edicto suo jussit, ut deinceps quem Clerus S. P. Q. R. Pontificem summum delegissent, is nullâ amplius Imperatoris confirmatione expectatâ more vetustissimo, statim ab Episcopis ordinaretur. Rursus Hadrianus primus hoc ius & paulo amplius Carolo Magno Francorum Regi & ejus Successoribus Regibus Francorum primum, deinde Imperatoribus Romanorum concessit: quod successoribus ejus ab Hadriano III. ereptum Othoni I. Germanorum Regi & Romano Imperatori restituit Leo VIII. Id postremò Gregorius VII. Henrico IV. ademptum Cardinalibus & Clero S. P. Q. R. primum, deinde aliis Pontifices, qui secuti sunt, Cardinalibus tantum permisere, quod ad nostra usq; secula perdurat &c. Hactenus Onuphrius.*

X. Ex his verbis in primis notandum est istud, quod excusatum reddat Onuphrius Justinianum ex ratione politica, quæ in conservando regimine maximè tunc attendi debuit, barbaris præfertim Italiâ incubantibus,

& exiguae istas Romani Imperii in Occidente reliquias perpetuâ quasi obfildione prementibus. Deinde, quod mutationem istam circa electionem Pontificis Romani factam dicat auctoritate Vigilii Papæ. Nec igitur quisquam succensere debet Justiniano, quod jure isto auctoritate Vigilii sibi concessus fuit; quanquam uti eo potuisse, etiam si nunquam à Vigilio concessum fuisse, cum id Imperatori competit jure proprio & ex nullius beneficio, uti infra dicemus. Id vero usu semel receptum accurate deinceps observatum fuit, nec licebat adeò cuiquam ad Episcopalem istam sedem proinoveri, nisi accedente Imperatoris consensu. Quapropter cum Pelagius II. electus esset, non impetrata Imperatoris approbatione, quippe quæ nec haberi tūm potuit, Urbe per Longobardos obsecrata, missus est Constantinopolin Gregorius tunc Archidiaconus, ut id excusaret, uti tradit *Platina in vita Pelagii II.* Et idem is Gregorius de suâ quoque electione lib. i. epist. 5. scribit: *Ecce serenissimus Dominus Imperator fieri simiam leonem jussit. Et quidem pro iussione illius vocari leo potest, fieri autem leo non potest. Unde neceſſe est, ut omnes culpas ac negligentias meas non mibi sed iure pietati deputet, qui virtutis ministerium infirmo commisit.*

XI. De Benedicto II. quod refert Onuphrius, haud paulo explicatus recenset *Platina* his verbis: *Ad hunc autem Constantinus Imperator hominis sanctitate permotus, sanctionem misit, ut deinceps, quem Clerus, populus, exercitusq; Romanus in Pontificem delegisset, eundem statim verum Christi vicarium esse omnes crederent, nullâ aut Constantinopolitanis Principis aut Italiae Exarchi expectata auctoritate, ut antea fieri consueverat. Id enim ratum erat in creando Pontifice, quod deinceps confirmasset, vel qui ejus vices in Italiam gerebat.* Similia post *Platinam* recenset Marcus Antonius Sabellicus ennead. 8. lib. 6. Sed si ex *Platinâ* quæsiveris, unde id habeat, quod tam confidenter refert, non ad alium provocabit autorem, quam ad Athanasium Bibliothecarium. Ille vero eā vixit ætate, quâ Cæsaribus autoritatem omnem & jura eripere conabatur Curia Romana, cui ille fuit obnoxius & addic̄tissimus ad omnia, quæ ad papalem ambitum facere visa fuere. Qui proinde ex qualibuscunq; etiam apocryphis & plane commentitiis, scriptis, in Paparum Scriniis & Bibliothecis, quibus ille præfuit, repertis historiam suam consarcinavit, ut scil. Pontificis causam modis quibuscunq; juvare posset.

XII. Sed audiamus ipsum Anastasium: *Hic, scil. Benedictus, suscepit divales iussiones clementissimi Constantini Magni Principis ad venerabilem Clerum & populum, atq; felicissimum exercitum Romane civitatis, per quas concessit, ut persona, qui electus fuerit ad sedem Apostolicam, è vestigio absq; tarditate Pontifex ordinetur.* Utrum divalis ista jusio universalis fuerit pro omnibus deinde in Sede Romanâ successoribus, an particularis & temporaria pro illo tantum, qui proximè successurus fuerit, ex verbis Anastasi colligi nequit. Nec

Nec incommoda sanè eorum hæc erit explicatio, si dixerimus, vacante post Leonis obitum sede, simulatq; de illius decessu Constantinopoli fama extitit, scriptas fuisse istas Imperatoris literas, ut illico, qui electus fuisset, ordinaretur, quandoquidem Leo nondum integrum in regimine hoc suo exegerat annum, ne diutius Ecclesia Praesule suo destitueretur. Quicquid hujus sit, si vel maximè Platinae interpretationem sequamur, parum tamen aut non diu uti Raphaël Volaterranus *anthropol. lib. 22.* loquitur, observatam fuisse Divalem istam jussionem, patet exinde, quod ipse Anastasius in vita Cononis, qui Benedicto post Johannem V. succesit, referat, quod post decretum de electione Cononis factum, exercitus una cum clericis & populo ad excellentissimum Theodorum exarchum missos, ut mos est, direxerint. Ad morem usitatum provocat Anastasius, ac si nihil omnino mutatum fuisset tempore Benedicti, ut adeò valde adhuc dubitem de literis Imperatoriis & earum contentis. Sed & ita explicari potest Constantini indulgentia, quod ad ipsum Imperatorem non oporteat iter facere Constantinopolim, ut inde ejus assensus reportetur; sed propterea tamen præteriri & omitti non debat confirmatio Exarchi, uti Cononis exemplum ostendit.

XIII. Pergimus ad Hadriani Pontificis Romani cum Karolo M. intam conventionem, de quâ in compilatione suâ hæc notavit Gratianus sub dist. 63. Hadrianus Papa Romanum venire Karolum Regem ad defendendas res Ecclesie postulavit. Karolus verò Romanum veniens, Papiam obfedit, ibiq; relitto exercitu in sanctâ resurrectione ab Hadriano Papa Romæ bonorifice susceptus est, post sanctam resurrectionem reversus Papiam, cepit Desiderium Regem. Deinde Romanum reversus constituit ibi Synodum cum Hadriano Papâ in Patriarchatu Lateranensi, in Ecclesiâ S. Salvatoris, quæ synodus celebrata est à 154. Episcopis religiosis & Abbatibus. Hadrianus autem Papa cum universâ Synodo tradiderunt Karolo jus & potestatem eligendi pontificem & ordinandi apostolicam sedem, dignitatem quoq; patritiatûs ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit, ut nisi à Rege laudetur & investiatur Episcopus, à nemine consecretur: & quicunq; contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit. & nisi respliceret bona ejus publicari precepit. De decreto hoc & totâ historiâ anxiè hodiè disputatur, qualem fidem habeat, & num unquam tale quid contigerit, aut vero, si contingit, utrum id observatum deinceps unquam fuerit.

XIV. Augustinus Barbosa ad istum Gratiani textum aliquot refert opiniones. Primam eorum, qui textum istum planè fictitium & commentitum esse contendunt: Alteram eorum, qui Carolum Magnum non acceptasse, sed potius repudiassè eam concessionem, nec cæteros deinde eâ usos fuisse tradunt: Tertiò sentire ait nonnullos, Imperatores renunciassè illi concessionem, aut certè Pontifices eam revocasse. Atq; hoc sibi probbia-

lius

lius videri afferit. Supponit ergò, reverà factum fuisse eam concessionem, ejusq; bullam Parisiis inter præcipuos Regni thesauros aſervatam fuisse **Glossæ & Guilielmi Benedicti fide tradit.** Quæ quidem bulla si præſtò eslet, fruſtra omnino disputaretur de facto, cùm nulla certior haberi posſit probatio, quām quæ fit per Instrumenta, quippe quæ notorium inducere, & rem clarissimam atq; apertissimam exhibere censentur. Dum verò incerta nobis ea res est, quid de relatione ipsâ ſentiendum fit, breviter diſpiciamus.

XV. Profitetur Gratianus, ex historiâ Ecclesiasticâ ſe eam describere. Ejus verò Autorem facit Cardinalis Baronius ad ann. DCCLXXIV. n. 10. Sigebertum Gemblacenfem, in quem propterea non aculeatis tantum, ſed planè contumelioſis verbis invehitur, atque paratragordiat, eum ſceleris, impoſturæ & fraudis, quod talia in gratiam Henrici Imperatoris confinxerit, arguens. At vero per historiam Ecclesiasticam, quam allegat Gratianus, non Sigeberci Chronographiam, ſed Anastasii Bibliothecarii Pontificale intelligendum eſſe, dubitare nos non finit Baptista Platina in vita Paschalis I. Etsi enim in ipso Anastasii opere nihil tale hodiè inveniatur amplius, Platina tamen ætate in illo extitiffe hæc ostendunt ejus verba: *Idem quoq; Bibliothecarius ſcribit, Ludovicum liberam eligendorum Episcoporum potestatem Paschali dediſſe, cùm antea eā quoq; in re Imperatores consularentur: quam potestatem ab Hadriano Pontifice Carolo coneeſſam, idem auctor refert.* Sc. Similia refert Onuphrius Panvinius in vita Gregorii VII. Ex quo ſequitur, & Platina & Onuphrium minus corruptum habuiſſe Codicem Operis Anastasianni, & relationem iſtam in eo hodiè defiderari. Sed & alibi truncatum & mutilatum fuisse iſtum Anastasii librum oſtendit Claudius Salmasius in *Euchariftico ad Sirmond.* pag. 464. & 664. Multo autem antiquior eſt Anastasius Sigeberci, ut adeò fruſtra dicatur à Baronio, Sigebertum primum fuisse, qui relationem iſtam ex cerebro ſuo confinxerit. Accedit, quod expreſſa quoque hujus decreti mentio fiat in oratione Gregorii VI. apud Wilhelmuſ Malmesburiensem lib. 2. de gest. Reg. Anglor. cap. 13. Ut jam taceam, non ſemper procedere in testimoniiſ historicorum argumentationem negative. Si enim ita argumentari promiſcuè liceret, liceret utique omnia, quæ facta ſunt, nec tamen ab illis adnotata, non eſſe facta, concludere, quod eſt absurdum.

XVI. Et hoc eſt Baronianæ adverſus Sigebertum inveſtīva caput. Videamus nunc etiam reliqua ejus argumenta. Dicit contra Sigebertum affirmare omnes, quod post captum Ticinum non Romam venerit iterum Carolus, ſed quām celeriter in Galliam redierit, ut adverſus rebellantes Saxones expeditionem pararet. *Urgente igitur, inquit, periculofiffimo Saxonum bello, quis locus induciarum, & longissime more celebrandi adeò numerosi Concilii,*

Conciliis, quod Universale idem nominat Sigebertus, cum tempus ipsum manifestò repugnet? Quantum rogo primum temporis intercessisset, ut Carolus post pascha reverteretur Româ Ticinum? Quantum rursus, quo usq; ipse ob sessâ Papia potiretur? Rursum quot dies intercesserunt, ut Ticino Romam postea sit reversus? Et, quod majoris momenti est, quas oportuit intercessisse moras convocandi & expectandi centum quinquaginta Episcopos hinc inde etiam è longè vocatos? Et quantum opus fuerit in tantâ Synodo per agendâ insumi temporis?

XVII. Non trahet Baronum in sententiam suam quisquam, nisi itinerarium Caroli Magni, & mansiones ejus atque quotidianas mutationes specialiter exhibuerit. Difficultates verò objectas omnes superabit, qui secum perpendet, primùm, non adeò celerem fuisse Caroli in Franciam redditum, ut non potuerint ea, quæ Sigebertus refert, ab eo perfici, præsertim cum Ticinum & regnum Italie noviter acquisitum firmamentum aliquod exegerit, in quo constituendo moram aliquam trahere oportuit. Sic enim annales Francorum anno 774. referunt: *Rex Carolus subacta & pro tempore ordinata Italiam in Franciam revertitur. Poëta steranus antiquus lib. I. annal.*

Dedit a cùm Francis hæc Urbs clarissima (Papia) cundis.

Exemplo fuerat reliquæ. Nam protinus omnes]

Tradidérunt Carolo sese concorditer Urbes

Ejusdem regni. Quod jam sibi jure subactum

Disposuit, quantum potuit pro tempore tali.

Deinde, non ipsum Karolum bellum movisse adversus rebellantes Saxones, sed, uti in annalibus Francorum legitur, misisse quatuor Scaras in Saxoniā. Tertiò, Concilium istud Romæ habitum non constitisse Episcopis evocatis per literas tractorias è provinciis, sed iis tantum, qui Romæ tum convenerant vel in comitatu Karoli, vel aliis ex causis ad Episcopum Romanum; fuisse ἐνδημούντες Episcopos, non vero οὐρανοῦ τέλεται. Quartò, universalem Synodum à Sigeberto dici pro universâ, uti explicat Gratianus, sed & universalem dici aliquando eam, quæ est Episcoporum & Metropolitanorum cum suo Patriarchâ. Vid. Christoph. Justell. *ad cod. canoz. Eccles. African.* pag. 30. Quintò, frustra disquiri de tempore, quo Româ Ticinum & vicissim Ticino Romam iter emensus fuerit Karolus. Solitus enim ille fuit festinanter & rapidè conficerre iter, ut ipse testatur Anastasius, *repentinum ejus adventum in stuporem & extasim conjectisse Hadrianum.* Et uti ex itinerario Antonini Augusti conitat, ab Urbe Româ Mediolanum usque proximam Ticino Urbem computari tantum M. P. D XX VIII. Sextò, in ipsâ Synodo non fuisse necessariam prolixam disquisitionem de rebus, quæ tum agebantur, Carolo scil. & Hadriano concordibus, idemq; & unum sentientibus. Nec est ergo, ut fingamus temerè dubia, & nodum in scirpo quæramus, ubi nihil est addubitandum.

XVIII. Sed pergit Baronius: Sed quid in his immoramus, cum Eginhardus, qui Caroli Magni lateri inhærebat, & vitam ejus scripsit, omnem de his auserat dubitationem, dum expressè affirmat, ipsum Carolum non nisi quater Romanam se contulisse. Quod si verum esset, quod turpiter nimis Sigebertus mentitur, non quater sed quinques Romanam venisse Carolum dicendum esset, contra Eginhardum, & omnes qui res gestas Caroli prosecuti sunt &c. Fateor, non caritatum argumentum hoc pondere suo, si Eginhardus ipse quatuor istas Caroli profectiones speciatim enumerasset & recensuisset; sed quia in genere dicit, Carolum quater tantum Romanam venisse, dubios nos reddit, quatenus intelligi verba illa debeant. Sanè negari nequit, Carolum venisse Romanam primū ipso hoc anno D CCLXXIV. deinde anno D CCLXXX. tertio, anno D CCLXXXVI. novissime anno DCCC. uti constat ex Adelmi annalib. & aliis Scriptoribus historiæ Francicæ. Sed potuerunt illi, ut & ipse Eginhardus duplēcē illum adventum, qui ex Sigeberti mente anno D CCLXXIV. contigit, pro uno habere, tūm, quod intra brevissimum temporis spaciū alter alterum exceperit, tūm, quod ex Italiā non discessisset Carolus, sed, dum Ticinum expugnat, quasi in suburbīs Romæ confestere videretur. Sed & limitari potest quaternarius ille ab Eginhardo relatus numerus ad religiosos Caroli adventūs, quibus vota sua exsolvere destinaverat. Sic enim loquitur Eginhardus: Nec ille totū Regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quam ut Urbs Roma suā operā suog, labore veteri polleret autoritatem, & Ecclesia S. Petri non solum per illum tuta ac defensa, sed etiam suis opibus præ omnibus Ecclesiis esset ornata ac ditata. Quam cū tanti penderet, tamen intra XLVII. annorum, quibus regnaverat spaciū, quater tantum illo votorum solvendorum ac supplicandi causā profectus est. Quia igitur adventus ille, quem refert Sigebertus, non votorum solvendorum ac supplicandi causā institutus fuit, sed ut ordinaretur Respublica tūm Ecclesiastica tūm civilis, non venire debuit ille in censum & computum Eginhardi. Potius igitur est, ut justam aliquam inquiramus explicationem, quam ut Historico fidem derogemus.

XIX. His Baronii argumentis tria alia subnectit illustrissimus Petrus de Marca de concord. Sacerd. & Imper. lib. 8. cap. 12. n. 9. quibus Synodus istum à Sigeberto commemoratam falsitatis convinci posse putat, Baroniana enim illa, tūm exquisita non esse judicat, ut persuadere queant. Primum est, quod isto decreto tribuatur Carolo patritiatus dignitas, quam tamen jure hereditario possederit ex pactis initis inter Pipintum Regem & Stephanum II. Papam. Sanè argumentum hoc non exiguum vim habere videtur, quandoquidem quod quis jam habet, dari ei non potest. Tabulae quidem fœderis in Cariliaco iicti à Pipino cum Stephano non extant, quæ clarius rem omnem expondere possent. Interim certum est, Carolum ab ipsis

ipsis Pontificibus decelioribus Hadriani patritium dictum fuisse. In literis à Baronio ad ann. 755. num. 2. ex bibliothecâ Vaticana de promptis hæc habetur inscriptio : *Dominis excellentissimis filiis Pipino Regi & nostro spirituali compatri, seu Carolo & Carolomanno Regibus & utrisq; patritiis Romanorum Sc.* Ad eundem modum scribit Stephanus IV. Papa : *Dominis excellentissimis filiis Carolo & Carolomanno Regibus Francorum & patritiis Romanorum Sc.* Sed & de ipso Hadriano refert Anastasius, eum Carolo advenienti direxisse obviam venerandas cruces, id est, signa, *sicut mos est ad exaratum aut patritium suscipiendum.* Si ergo multis retro annis Carolus jam habuit dignitatem patritiatus, quid est, quod ab Sigeberto, Hadrianum dignitatem patritiatus Carolo concessisse? Sed enim salva res est, si dicamus, concessionem illam de confirmatione accipiendam esse, ita ut confirmata denuò ab Hadriano fuerit dignitas jam ante Carolo collata. Nec enim infrequens est Scriptoribus concessum dicere id, cuius ante concessi aliqua fit renovatio.

XX. Secundum argumentum petit Marca ex testimonio Flori Diaconi Lugdunensis libro de electionib. Episcopor. cuius hæc sunt verba : *Sed & in Romana Ecclesia usque in presentem diem cernimus absq; interrogatione Principis, solo dispositionis judicio & fidelium suffragio legitimè Pontifices consecrari. Sc.* Scriptit ea Florus circa annum DCCCXX. Ex quo sequitur, minus cognitam ei fuisse hanc Hadriani & totius Synodi constitutionem. Vidit hoc telum & alexipharmacum præparavit Vir Clarissimus Stephanus Baluzius in commentar. ad istum Flori locum, cum præsertim praxis ejus temporis prorsus contrarium ostenderet. Idcirco necessario aliquam verbis Flori censem adhibendam esse interpretationem, quam his verbis exponit : *Ego sic censeo, liberam quidem Clero populoq; Romano fuisse electionem Pontificis, sed ordinationem peragi non potuisse absq; assensu Principis. Istud autem sic fiebat. Mortuo Pontifice Clerus & populus Romanus alium eligeant absq; interrogatione Principis, id est, inconsulto principe. Neque enim interrogabatur Princeps, quem vellet eligi. Celebratā demum electione mittebantur, qui Principem monerent. Is vero Legatos Romam mittebat, qui electionem examinarent. Et postquam ex inquisitione Missorum constabat, electionem rite & canonice celebratam fuisse, adeoque Principem non impedire, quin electus consecraretur, tūm verò peragebatur ordinatio. Hoc est, ut puto, jus quod Karolo Magno collatum est in Synodo Romana sub Hadriano anno 774. in quā Pontifex Hadrianus universiq; Episcopi, ceteriq; qui in Synodo aderant, tradiderunt Karolo jus & potestatem eligendi Pontificem & ordinandi Apostolicam sedem. Sanè existimandum non est, sensisse veteres, merum electionis jus Karolo tributum fuisse, sed tantum jus examinandi electionem eamq; cassandi, si canonice facta non fuisset : tūm verò ordinandi sedem Apostolicam, id est, ordinationem Romani Pontificis concedendi, post-*

quam constabat electionem ritè ac canonice fuisse celebratam. Hactenus Baluzius, cui potior videtur istius Synodi Romanæ autoritas, quia in ut Flori testimonio labefactari queat. *Quod verò porrò addit Marca de Lupi Ferrarentis epistola, in eâ nullam hujus Synodi & Hadriani fieri mentionem, pa-*rum roboris habet, cùm in Iribentis arbitrio sit, testibus, quibus velit, uti.

XXI. Tertium Marcæ argumentum studiosè prætereo, quod epistolæ Hadriani, ex quibus id depromptum est, non sint ad manus. Sed absolvit ipse tamen Marca tandem Sigebertum à crimine imposturæ, de hoc unico eum arguens, quod secundum Karoli adventum, & habitam tum temporis Synodus confinxerit. Sed enim, dum Leonis VIII. Constitutio, quæ extat apud Gratianum c. seq. dist. 63. Marcam confirmavit, ut liberum pronunciaret Sigebertum ab imposturæ vitio, cur non eodem modo movere eadem potuit Marcam, ut Synodum à Sigeberto significatam statueret. Leonis ista constitutio integra extat apud Theodoricum de Niem, cuius verba hic facientia hæc sunt: *Idem enim sanctus Vir (Hadrianus) sanctum Synodum congregavit, & in presentia omnium, eorumque autoritate domino Karolo invictissimo Regi Francorum & Longobardorum ac patritio Romano suisque Successoribus, regnum Italiae, patritiatum dignitatem & Ordinationem Sedis Apostolice concessit.* Dubitari ergo non potest de facto, nec dubitat Marca: dubitari etiam non potest de habitâ Synodo. Solum ergo de eo disceptatur, quo tempore habita ea Synodus fuerit, & utrum recte statuerit Sigebertus adventum Caroli secundum post captam Papiam. Id verò ad institutum nostrum parum facit, nec neesse proinde est, ut prolixiores hic simus, præsertim cum jam supra rationes adduximus, quibus excusari queat Sigebertus:

XXII. Videamus nunc alteram illam Leonis constitutionem, quam similiter Baronius falsitatis arguit, Marca vero eruditè defendit. Præmitit Baronius, objici posse, nullius momenti esse ejusmodi constitutionem eò quod non à legitimo Papâ facta sit, ut qui sederit vivente adhuc legitimate creatus Romano Pontifice. Sed parum confidere videtur huic objectioni ipse Baronius, quandoquidem suffectus fuit Leo Johanni XIII. à sede Romanâ dejecto & remoto. Ille autem germanus & verus Pontifex semper habitus fuit, cuius in Ecclesiâ successio extat. Ex quo fundamento Leonem hunc Benedicto V. præfert Onuphrius Panvinius. Hoc igitur argumento omisso pergit Baronius: *Nam quod in primis ad Carolum spectat, cuius exemplo id factum dicitur, tantum abest, ut Carolus sibi arrogare voluerit, quod afferitur, electiones Episcoporum, ut potius suo promulgato decreto eas statuerit esse liberas, atque ex factorum Canonum prescripto decerni.* Describit deinde decretum, quod intendit, quodque habetur apud Gratianum c. factorum dist. 63. At verò sciendum est, decretum istud non esse Caroli, sed Ludovic

vici Pii ejus filii. Deinde exorbitat nimis Baronius, dum Imperatorem per decretum istud juri suo renuntiasse contendit, cum tamen nihil aliud in eo disponatur, quam ut electione Cleri & plebis personæ idoneæ promoteantur ad Episcopatus. Id vero non impedit, quin post electionem & ante ordinationem necessarius fuerit assensus Regius. Et proinde intelligi potest & debet istud decretum Ludovici salvâ in omnibus dispositione Imperiali, uti recte explicat Melchior Goldastus in *Repl. pro Imper. pag. 164.* Jus enim illud eligendi Episcopis concessum non fuit absolutum, sed delegatum, & hâc conditione determinatum, ut ab Episcopis electus postea confirmaretur à principe, & nemo plene investiretur, qui post electionem Ecclesiasticam non expressum assensum ab illo obtineret.

XXIII. Pergit Baronius: *Sed & quid est, quod in asserto decreto Leonis dicitur, concessas esse Carolo Magno investituras ab Hadriano, cum nec ipsum quidem nomen investitura temporibus Caroli esset in usu?* Legant & scrutentur autores omnes, qui Caroli temporibus aliquid scripserunt, si alicubi penes eorum aliquem invenerint nomen investitura, vel usum ejus per annuli collationem & baculi. Hinc igitur putat Baronius ex investituræ vocabulo prodi falsitatem constitutionis ab Leone VIII. factæ. At verò in memoriam revocat Baronio Fridericus Lindenbrogius in *Glossar. vocab. vestitura*, quod ipse sub anno DCCXLIII. Synodi Liptinensis decreta descripsérunt, in quibus legitur: *Si moritur ille, cui pecunia commendata fuit, Ecclesia cum propriâ pecunia reverterit.* Fuit ergo vocabulum hoc in usu, antequam Carolus articulate loqui disceret. Quin læpè occurrit istud in Codice Legum Wisigothicarum, Langobardicarum, & aliarum gentium. Idem etiam in antiquis chartis sæpiuscule invenitur: Apud Goldastum tom. 2. *Alamannicar. antiq. charta 42.* Liutfretus Presbyter recensuit instrumentum, quod sub Pipino Caroli Magni Patre anno DCCLIV. confectum fuit. Inter alia hæc ibi habentur verba: *Trado vobis & servum meum nomine Nbidenus & Vxorem ejus Bruna & cum obâ suâ, & cum omnia quo vestiti sunt: & alium servum meum nomine Wolfbarium cum Vxore suâ Arane, cum obâ suâ & cum omnia quo vestitus est &c.* hoc est investitus & beneficiatus. Aliud antiquius resertur chartâ 8. ab Hiringo Lectore, quod est de traditione Pietæ comitissæ, scriptum sub Hilderico Rege, (cui Pipinus Caroli Magni Pater in Regno succedit) anno DCCXLV. In eo sequentia hæc leguntur: *Post meum vero discessum ipsas res ad monasterium S. Galloni ad melioratas revertant absq; illâ contradictione, vel minuatione, manu vestitâ partibus meis vel heredum meorum &c.* Manu vestitâ est, pacto vel conditione feudalî, vel emphytevticariâ dare. Haud paulo apertius ritus iste investiendi continetur in chartâ 77. ubi Harmenius Clericus recenset instrumentum anno DCCLXXVI. confectum, & in eo hæc verba: *Confessi sumus -- quod genitor noster Marulfus omnem hereditatem*

Ll 3:

tatem

tatem & substantiam suam tradidit ad monasterium S. Gallonis, qui constructus est in pago Arbonense, ubi ejus sacrus requiescit corpus, & nos post hac exuti de omni re paternâ nostrâ revestivimus Wolframmum monachum, & missum ipsorum monachorum per tribus diebus & patribus noctibus, & per beneficium ipsorum monachorum reintrevimus scilicet. Plurima alia ex illâ Goldasti centuriâ afferri, possent, nisi res manifesta esset, & jam satis probata.

XXIV. Vox investiturae & vestiturae usurpata est & in feudorum concessione, & in aliâ quâcunque bonorum alienatione & translatione, Vid. Joseph. Gibalin. *de usur. lib. 4. cap. 3. art. 8.* Carol. du Fresne in *Glossar.* Nihil enim aliud est, quam possessionis traditio, vel naturalis vel symbolica. Et si enim hodiè vocabulum istud vix alibi usurpetur, præterquam ubi de feudiis agitur, ita ut investitio seu investitura pro genuinâ feudi notâ habeatur. Frid. Brukmann. *vol. 2. confil. 9. n. 79.* Siquidem feendum sine investitura nullo modo constitui potest, etiamsi Domino jubente quis alicujus rei nomine feudi possessionem nanciscatur, & teneat. *i. F. 25.* Olim tamen cujuscunque prædii etiam allodialis traditionem significabat, uti ejus rei fidem facit instrumentum venditionis antiquum, quod recenset Barnabas Brissonius *lib. 6. form. pag. 500. & 501.* ubi haec habentur verba: TU PASCHUTI (qui erat vendor) FUSTE ILLUM INVESTITO. TU SEGNIKI (qui emptor erat) FUSTEM MANU CAPITO. Imò vero iuris qualiscunque collationem denotabat, quâ ratione officiis omnibus tum civilibus, tum Ecclesiasticis applicatum legitur. Quo in primis faciunt verba autoris antiqui, qui vitam Romani Episcopi Rotomagensis descripsit: *Fit itaque inter palatinos proceres de viro sancto communis assensio, qui omnes unanimiter Regi consulunt, ne grex Christi suo frandetur desiderio, sed divina protinus ad effectum ducatur electio, quo Rex gratulatus consilio, convocatis tam Episcopis, quam Abbatibus baculum illi contulit pastoralem. Intronizatur ergo pontificali apice.* scilicet.

XXV. Verba haec refert Fr. Juretus ad Ivironis Carnotensis epist. 157. & addit, Romanum illum clariusse sub Ludovico & Clotilde, circa annum DCXXIII. Ex quo sequitur, investituram Episcoporum à Regibus factam fuisse diu ante Carolum, nec adeo in decreto Hadriani supra memorato novumquid contineri, præter juris illius extensionem, nempe ut eo uti liceret in Regno Italie, quemadmodum antea faciebat in provinciis regni Francisci. Tum illud quoq; novum conceditur, quod Carolo potestas tribuitur eligendi Pontificem Romanum, uti recte statuit Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imp. lib. 8. cap. 19. n. 6.* Sed & illud inde sequitur, male id quod de investituris Episcoporum dicitur, applicari à quibusdam ad territoria & fundos Episcopis concessos, cum utique investiturae vocabulum etiam in rebus Ecclesiasticis multò antiquius sit, quam integra territoria

Epi.

Episcopis tribui cœperunt, quippe quod Ottonis I. tempore demum contigit. Quin si omnino jurisdictionis civilis per investituram denotari debuit, non sane illam per annulum & baculum, sed per sceptrum aut vexillum fieri oportuit. Ex dictis vero manifestum est, investituram illam, quam Episcopis olim impertitam ab Imperatoribus & Regibus diximus, fuisse effectum & signum assensus Regii, nec potuisse adeo quenquam, et si à Clero & populo unā voce electum, ordinari prius & consecrari, quam de consensu Imperatoris constaret, hunc debere esse Episcopum. Consensus vero index & signum erat baculus & annulus noviter electo Episcopo traditus. Et haec sunt illae investiture, propter quas tanti in Romano Imperio excitati à Pontificibus Romanis fuerunt fluctus, tantæ rerum omnium mutationes. Obiter addo, etiam inferiorem dignitatem & beneficiorum investitutam factam fuisse aliquando per annulum ut plurimum autem per traditionem libri, uti patet ex Iovonis Carnotensis epist. 182. ad quam videri potest Joh. Baptista Sonchetus.

XXVI. Sed nondum definit Baronius falsitatis argumenta conquirere. Sequamus ergo eum &c. Verum, inquit, & quod dicitur id à Leone factum in Concilio habito in Ecclesia Salvatoris: penes quem, rogo, mentio ejusmodi concilium à Leone VIII. dicto Pontifice factum, ut quid hujusmodi sit ab eo concessum Othoni. Potuisset vero hanc censuram prorsus omittere Baronius, si rem gestam & constitutionem Leonis attentius secum perpendisset. Nullibi enim dicitur, concilium aliquod vel provinciale vel nationale congregatum fuisse ab Leone, sed synodus tantum aliquam. Synodi autem vox haud raro qualemcumque cœtum etiam singularum Ecclesiarum denotat. Atque ita vocabulum istud hoc loco accipiendum esse, ipsa verba Leonis apud Gratianum ostendunt, dum ait: *Ego quoque Leo servus servorum DEI Episcopus cum toto clero ac Romano populo constituimus & confirmamus & corroboramus &c.* Clerus iste & populus Romanus, ex quibus tum temporis collectus fuerit, haud paulo explicatius refert ipsum instrumentum Decreti à Leone facti apud Theodoricum de Niem, dum in fine additur: *In his actis interfuerent Senatores, proconsules, Exarchatus quidem tenentes, Regionarii, Schola Græcorum, Arabum, Judæorum & Paganorum, & de majoribus omnium platearum. Insuper Cardinales, Archiepiscopi omnes, presbyteri & Episcopi de finitimis civitatibus, processionarii, Notarii, Cancellarii, & ex omni plebe Romani Imperii.* Hoc modo se habuit Synodus à Leone congregata, ut frustra adeo exigat Baronius descriptionem ejus pleniores ab aliquo ejus temporis Historico.

XXVII. Sequitur apud Baronium porro: *Sed & repugnat h[ab]i omni- bus praxis & leges aliorum post Carolum Successorum Imperatorum, ut quid dici possit fuisse ab Hadriano concessum eidem Carolo Magno de electione Romani Pon-*
tificis.

tificis. Difficile hoc erit Baronio probare, quandoquidem in successoribus Hadriani sancte custoditum fuit ius istud Imperatoris. Hadriano enim successit Leo III. huic Stephanus IV. & hoc defuncto Paschalis I. de quo sic scribit Platina: *Paschalis patria Romanus, patre Bonoso, nulla interposita Imperatoris auctoritate Pontifex creatus: banc ob rem, ubi Pontificatum initit, statim Legatos ad Ludovicum misit, qui ejus rei culpam omnem in clerum & populum rejicerent, quod ab his vi coactus esset Pontificium munus obire. Accepta hac satisfactione Ludovicus respondit populo & clero, majorum institutum & pacts a servanda esse, caverent, ne deinceps majestatem loderent.* Verba hæc haud obscurè inferunt, etiam Leonis III. & Stephani IV. electionibus accessisse consensum Imperatorum. Ad quid enim opus fuisset depreciatione per Legatos facta, si Imperatoris necessaria non amplius fuisset auctoritas? Et cur Ludovicus pactorum à majoribus initiorum mentionem fecisset, eaque servari jussisset, si nullus eorum amplius fuisset usus?

XXVIII. Sed audiamus Baronium probantem: *Nam audi, inquit, que in electione Hadriani II. Pape legantur. Cum Hadrianus &c. Legi hæc possunt apud Gratianum d. dist. 63. c. 29. Ubi obiter noto, non excusari posse Baronium, quod contrarium usum probare velit extemporibus Hadriani, decretum non immediatè sequentibus, sed multo novioribus, omisso integro ferè seculo, faciendo saltum ab Hadriano I. ad Hadrianum II. inter quos decem alii Pontifices sedem Romanam tenuerunt. Subjicit autem Baronius: At quomodo rogo te, se injustam causam fovere cognoscentes quieverunt, si pro eis vigebat adeò amplum privilegium à tanto Pontifice Regi tanto Carolo Magno concessum? nam si illud verè datum fuisset, eos præteriri minime potuisset, vel ipsum Imperatorem Ludovicum, qui ut eadem habent res geste Hadriani II. adversus suos Legatos, talia præsumentes indignatus est, Romanos verò laudavit. Quæ enim ibi leguntur, attende: sunt ista: Audiens hoc Ludovicus Imperator Christianissimus, mox Imperiale scribens Epistolam, cunctos Romanos, qui dignum tantum peregrissent officio Praesulem collaudavit. At verò audio ego Imperatorem laudantem institutum populi, non audio indignantem adversus suos legatos. Et laudavit sanè ille Romanos, non quod Missos suos præterierint, sed quod tales elegerint, quem ipse, ut tantus Dominus famulus, cunctisq; gentibus, videlicet tamen Romanis, quam diversis advenis desideratus & desiderabilis Christianæ plebi præficeretur medullitus exoptavit. Utique habent verba, quæ omisit Baronius. Deinde fallum est, quod præsupponit Baronius, quievisse Imperatores ab iure isto exercendo. Exercuisse istud Ludovicum per Missos suos in ipsâ hæc Hadriani II. electione satis probant verba à Baronio adducta. Et, si quieverunt, an putabimus illico agnoscere eos, se injustam causam fovere? Imo verò renuntiatio juris, haudquam supponit injustam causam, cum renunciare quilibet possit, juri pro se introducto,*

ducto, & uti non possit illo, quod ei lex dedit. Quid verò de Ludovici renuntiatione sentiendum sit, postea videbimus.

XXIX. Et hæc quidem satis confutant ea, quæ ex c. *Cum Hadrianus dis. 63.* nobis obvertit Baronius. Cæterum totum istud Gratiani capitulum *vñtio* laborare videtur, omnemq; adeò probationis vim amittet, si consideremus, primò, tribui id Gregorio IV. Pontifici. At Hadrianus II. de quo id agit, multo posterior est Gregorio, quod & annotarunt, qui jussu Gregorii XIII. jus Canonicum & decretum Gratiani reviderunt. Deinde non satis cohæret ista narratio, uti optimè animadvertisit Dn. Stephani Baluzius ad epistol. *Gregorii IV.*, quam edidit cum Agobardi operibus. *Nam quomodo fieri potuit*, (ipsa ejus verba referam) *ut Legati omnem indignationem medullitus sedaverint, quod dicerent Romani, ita factum esse, ne præsentia Missorum Imperatoris verteret in necessitatem, cum hic esset querelæ eorum fundus?* *An existimamus, Viros in aulâ educatos & longo Cæsarum Sacramento imbutos adeò jurium majestatis incuriosos ac desertores fuisse, ut ea tam facile finerent convelli & oblitterari?* Probabilius est excusasse Romanos præcipitationem ordinationis, quod raptus potius fuerit Hadrianus quam electus, neq; modum potuisse ponи ardori Cleri ac populi. Addiderunt haud dubiè, scire se jus, quod Imperator haberet in electione, neq; contemnere, & provisuros, ne deinceps talia attentarentur, tolerarent modo Missi electionem Hadriani ad eumque salutandum venirent. His verbis obsequii & reverentie in Augustum plenis crediderim delitos Missos, ad Hadrianum salutandum accessisse. Tum Ludovicum Imperatorem, ne Schisma in Ecclesiâ DEI faceret, banc electionem approbasse ac laudasse. Hactenus Baluzius. Optimè sanè: *Quis enim crederet, deprecari quém posse culpam, quam contumaciâ & proterviâ suâ auget?* Et quis crederet, veniam quem dare delinquenti, qui in delicto perseverat? Non certè is est modus placandi animum incitatum, & leniendi irâ accensum. Molliora requiruntur verba & ad pœnitentis habitum composita, non tam aspera, & irritantia magis, quam excusantia.

XXX. Post tot conquisita argumenta sed omni destituta nunc robore concludit tandem Baronius: *At quod dicunt eo modo datis ab Hadriano privilegiis renunciasse Imperatorem, quomodo quis renuncians, non exprimat, quia renunciat? necessaria enim omnino ejus est mentio &c.* Hoc verò iterum falsum est. Docent JCTi, renunciationem esse vel expressam, vel tacitam l. i. in verb. vel palam vel tacitâ dissimulatione sit renunciatum, cod. de integr. rest. min. Ita exempli gratiâ, actus recipiendi pretium post diem legi Commissoriæ præstitutum duo demonstrat, primum, quod agens recipit, idque satis patet ex ipso actu: deinde quod renunciare censetur legi Commissoriæ l. 6. §. fin. & l. 7. ff. de Lege Commiss. Hoc autem non fit palam, sed per præsumptionem demum id colligitur, dum recipiens eligendo implementum

M m

con-

contractus facit actum contrarium Commissoriæ. Dupliciter autem ex facto aliquo colligitur talis renunciatio: vel ex actu geminato diversis temporibus facto, quâ ratione gemina mulieris intercessio post biennium ceu quædam renunciatio, ausert. mulieri beneficium SCti Vellejani l. 22. ff. ad SCt. Vellej. Velex actu contrario, si quis illius, quod jure beneficij ipsi indulsum fuerat, contrarium commiserit vel admiserit, c. 20. X. de offic. deleg. l. 30. in fin. ff. de min. Sic in officiis testamenti querelæ, relictum legatum ab herede instituto acceptando, tacite renunciatur l. 8. §. 10. l. 10. §. 1. ff. de inoff. test. Sic deponens censetur renunciasse privilegio deponentibus competenti, si accipiat usuras l. 44. §. 1. & ibi gloss. ff. de adm. & peric. tutor. Quis verò dicere nunc velit, non competuisse talia jura & privilegia, quia illis renunciatum non est verbis expressis? Convenimus tamen in hoc cum Baronio, Carolum nunquam renunciasse. E contrario verò afferimus, Reges & Principes ad electiones Episcoporum concurrere jure suo proprio, & propter imperium, quod sustinent; nec ad eo ex alterius beneficio eam protestatem accipere: Quâ de re differendum erit mox pluribus.

XXXI. De Ludovico vero pio, Caroli M. filio valdè disceptatur, an non ille jure suo cesserit, & Pontificem Romanum deinceps sine assensu suo eligi voluerit? Apud Gratianum dist. dist. 63. c. 30. refertur Ludovici istius pactum cum Paschali Pontifice, in quo præter donationem Pontifici factam, hanc etiam Romanis dat gratiam, ut liceat eum, quem divinâ inspiratione & B. Petri intercessione omnes Romani uno consilio atque una concordia sine aliquâ promissione ad Pontificatus ordinem elegerint, sine aliquâ ambiguitate atq; contradictione more Canonico consecrare, & dum consecratus fuerit, legati ad se vel ad suos Successores Reges Francorum dirigantur, qui inter se & inter illum amicitiam & charitatem & pacem conscient. Cùm igitur olim non licuerit consecrare aut ordinare noviter electum, nisi accesisset consensus Regius, jure hoc suo nunc cedit Ludovicus, nec ordinationem procrastinari vult, sed post ordinationem Legatos ad se mitti jubet, non ad impetrandum consensum, sed ad pacem & concordiam stabiliendam. Constitutionem integrum ex monumentis Vaticanis & quidem quatuor exemplariorum collatione, uti jaicitat, recenset Baronius ad ann. D. CCC XVII. num. 10. seqq.

XXXII. Fateor, magnum habituram pondus hanc constitutionem, nisi reclamaret fides historica, quæ valdè suspectam illam reddidit, quicquid etiam de Vaticanis suis exemplaribus gloriatur Baronius. Siquidem ex eâdem bibliothecâ Vaticanâ aliud instrumentum à Baroniano valdè diversum recenset Raphael Volaterranus Geograph. lib. 3. Cætera suspiciorum argumenta eruditè collegit Carolus Molinæus ad SCt. Francie contra abusus Papar. num. 119. seq., cuius ipsissima verba hic adscribere operæ videtur precium. Minus obstat, inquit, c. ego Ludovicus 63. dist. ubi dicitur Ludo-

Ludovicum I. Paschali I. jus eligendi & instituendi Romani Pontificis remisit. Hoc enim à suspecto autore processit, videlicet à prefato Bibliothecario, ut Platinus in Paschali I. Sabellicus enneade 8. lib. 9. Volaterranus anthropol. lib. 22. testantur. Ut autem non est in favorem Paparum credendum. Bibliothecario, potentatus eorum fautori, famuloq; domestico: ita non est credendum Gratiano monacho, qui ipse affectibus & ambitioni novorum sui temporis Paparum, quantum potuit, favit, nec aliunde quam à Bibliothecario dictum c. Ego Ludovicus, transiumpsi, & si nec aliis, qui tantum dicta ejusdem Bibliothecarii recitant, nec aliunde sciunt, nec examinant. Sed examinando veritas elucescit in contrarium. Quia idem Paschalis à populo vi coactus pontificium munus obire ante habitam autoritatem Imperatoris Legatos excusatum & ad culpam non insidianam, sed in populum transferendam misit ad Ludovicum Pium: qui, ut manu eius erat, satisfactionem quidem accepit, sed cum increpatione Cleri & populi, & adjecto precepto majorum instituta paxq; servandi, utq; caverent, ne deinceps manifestem laderent, ut expressè Platina & Sabellicus testantur. Quid autem magis contrarium aut repugnans est prefata & suspecta Bibliothecarii scriptura? Certè vel hoc falsitatis convincitur, nec tamen uno etiam per se sufficienti exemplo tantum, sed etiam ex eo, quod tempore Eugenii II. immediati duci Paschalis Successoris, Ludovico Pio adhuc vivo, Lotharius I. filius ejus in Imperii consortium adiunctus Romæ politiam ordinavit, & magistratus instituit. Hoc autem fieri non potuisse, si Ludovicus Pius Romam ipsam, caput imperii, Pape dedisset. Quid, quod Volaterranus Geogr. lib. 3. prætensam illam Ludovici donationem longè aliter & disformiter, quam Gratianus refert? Sed ex Scripturā quādam apocryphā, quam in Bibliotheca Pape sese invenisse dicit. Et sic illius Bibliothecae scripture, unde tam Bibliothecarius, quam Gratianus & Volaterranus sumpserunt, sibi ipsis non constant, & non solum ut domesticæ & è loco suspecto, sed etiam ut variae rejiciendæ sunt.

XXXIII. His ita firmatis, donationem ipsam, quæ à Ludovico facta dicitur, & in eodem instrumento continetur, fallacissimè confitam esse probat. Deinde pergit: Præterea adhuc vivo Ludovico Pio & biennio ante ejus obitum Gregorius IV. electus, nunquam voluit inire Pontificatum, nisi prius sua electione ab Imperatore, legatisve suis ad hoc destinatis diligenter examinata & confirmata, ut omnes testantur, & addit Platina, quod prefatus Ludovicus hoc non faciebat ex superbia, sed ne jura imperii amitteret. Ergo falsum est, illum prius ea remisisse prefato Paschali, ut ex Bibliothecario refert Gratianus & alii, quia Gregorius IV. posterior est & tertius à Paschali I. & idem Ludovicus Pius adhuc vivebat, & recens adhuc fuisset memoria dicti prætensi pacti inter Ludovicum & Paschalem, si quod tale fuisset. — — Rursus in d. c. Ego Ludovicus, non dicitur, quod Ludovicus jus eligendi & ordinandi Romani Praesulū, ad imperium spectans absolutè vel simpliciter remiserit, sed ita demum, ut electio

effet omnium Romanorum & dummodo uno consilio & una concordia fine aliquā promissione fieret, & mox Legati de eā re ad Regem Francorum dirigerentur. Et sic, si verum fuisset illud pretensum pactum, non potuisset, electio auferri à populo & limitari ad clerum: & multo minus auferri à clero & limitari ad Cardinales, sine consensu Regis, cuius adhuc jus remaneret, si per Simoniam vel aliam corruptelam electio facta sit. Hęc Molinaeus in jure Canonico versatissimus, sed qui propter præfationem opusculo allegato præfixam Regno Galliae excedere coactus fuit, uti fatetur ipse in tr. de Monarchiā Francorum in fin.

XXXIV. Dum igitur acta Ludovici pugnant cum dicta ejus constitutione, necesse est ut statuamus, vel fabulosam & commentitiam eam esse, vel interpretatione aliquā juvandam. Et verò haudquaquam dici potest, quod exclusa per eam sit confirmatio Imperatoris. Seditiones & Simoniam abesse cupit, & tūm electum more canonico consecrare jubet. More autem canonico necessarius etiam erat assensus Imperatoris, cuius nulla omnino indicata constitutione facta est mentio. Atqui merito retorquemus telum istud, quo Baronum pugnare diximus, quod non excidat quis privilegio, cui expresse non fuit renunciatum. Quod verò Legatos post consecrationem à Papā ad se mitti postulat Ludovicus, eo ipso non remittit Legatorum missionem ante consecrationem, ad impetrandum Imperatoris assensum. Utraq; enim stare simul potest, si consideremus, differre eas causā efficiente & fine. Quæ enim fit ante consecrationem, ea autrem habet populum Romanum &, quidem ad obtainendam Imperatoris confirmationem. Altera autem fit ab ipso Papā in sede suā jam existente, ad pacem, amicitiam, & concordiam conciliandam.

XXXV. His ita sufficienter deducit haud frustra nunc conjecturali licet, assensum Imperatoris in omnibus Pontificum Romanorum electionibus requisitum fuisse, usque ad Hadrianum III. Pontificem, qui ut scribit Guilielmus continuator Anastasii in ejus vita, de electione Pontificis decrevit, ne in ipso creando Imperatoris auctoritas expectaretur, idq; ideo, ut Cleri & populi libera essent suffragia. Illectum eum credit Platina hāc opportunitate, quod Carolus Crassus Imperator ab Italā cum exercitu discedens in Nordmannos rebellantes movisset. Ab eo tempore, quales Pontifices sedem Romanam deinceps tenuerint, ex descriptionibus eorum disci potest. Mirabitur, quisquis ad istud fastigium promotos legerit Formum, Bonifacium VI, Stephanum VI, Romanum, Theodorum, Johannem IX. & alios, vera monstra & portenta Ecclesiastica. Ab illis enim acta, rapta omnia, cōelo terram, terram inferno permistam scimus ex historiis. Idq; ipsum cum animadvertisset Johannes IX. & scandala electionum ob Imperatoris exclusionem oriri secum reputasset, autor fuit in Concilio Romano à se habito, ut autoritas Imperatoris quodammodo restitueretur.

Dixi

Dixi quodammodo, quia hoc tantum videtur concessum, ut consecratio fieret in præsentiâ Legatorum Imperialium ad evitandos tumultûs, qui in actu isto excitari solebant. Verba ejus Synodi cap. 10. ita habent: *Quia sancta Romana Ecclesia, cui DEO auctore præsidemus, plurimas patitur violentias, Pontifice obeunte, qua ob hoc inferuntur, quia absq; Imperatoris notitia & suorum Legatorum præsentiâ Pontificis fit consecratio, nec Canonicô ritu & consuetudine ab Imperatore directi interiunt Nuntii, qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri: Volumus, id deinceps ut abdicetur & constituerit Pontifex, convenientibus Episcopis & universo Clero eligatur, expetente Senatu & populo, qui ordinandus est, sic in conspectu omnium celeberrimè electus ab omnibus, præsentibus Legatis Imperialibus consecretur. Nullusq; sine periculo juramentum vel promissione aliquas novâ adinventione ab eo audeat extorquere, nisi que antiqua exigit consuetudo, ne Ecclesia scandalizetur, vel Imperatoris honorificentia minuatur.* Legitur apud Gratianum c. quia dist. 63. sed cum inscriptione falsâ, ac si Stephanus Papa ejus autor esset.

XXXVI. Sed neq; hoc quidem decretum observatum fuit; qui enim successit, Benedictus IV. spretâ Johannis lege & auctoritate Imperatoris sedem occupasse dicitur. Et quanquam eum non omnino sine laude dimittat Platina, in descriptione tamen vitæ ejus, Lectoris animum præparat, ne ad sequentium Paparum vitas obstupecat nimium, & ob ingenitum eorum flagitia pessimè de Ecclesiâ Christi sentiat. *Ubi, inquit, cum ipsis opibus lascivire cœpit Ecclesia DEI, versis ejus cultoribus à severitate ad lasciviam, peperit nobis tantam licentiam peccandi, nullo principe flagitia hominum sum coercente hæc portenta, à quibus ambitione & largitione sanctissima Petri sedes occupata est potius, quam possessa.* Et certè fuerunt circa ea tempore per tres ferè hominum ætates Pontifices Romani, si non omnes, tamen plerique homines monstruosi, vitâ turpisimi, usquequaq; fœdisimi, uti de illis loquitur Cardinalis Baronius annal. tom. 10. Sic & Gilbertus Genebrardus lib. 4. Chronogr. sub initium seculi decimi: *Per annos ferè 150. pontifices circiter quinquaginta à Johanne scil. VIII. (nonum facit Platina, locum quoque & numerum concedens Johannæ Papissæ) qui Nicolao I. & Hadriano II. sanctis Pontificibus successit, ad Leonem nonum usq; à virtute majorum prorsus defecerunt, apotactici, apostatici, potius, quam Apostolici. --- E tanto Pontificum numero quinq; modo & satis tenuiter laudantur, Martinus II. Agapetus II. Johannes XVII. Sergius IV. Gregorius VI. Culpam autem ejus rei conjicit Genebrardus in Imperatores, quod libera ab ipsis non esset Pontificum Romanorum electio. Eandem sententiam repetit Thomas Stapletonus lib. 1. de magnit. Eccles. Rom. cap. 8. his verbis: Ab anno DCCCLXXIV. per annos CL. pontifices circiter 50. à Johanne VII. usq; ad Leonem IX. (exceptis quinq;) propter Germanicos Imperatores liberam & canonicam Romanipontificis*

cis electionem impedites, à virtute majorum plurimū deficients parum Apostolici visi sunt. Imperatoribus vero perperam ab utroq; imputatur ejus rei culpa, quos plerosque ut pietate & virtute insignes hodiè adhuc magni facit & in exemplum proponit posteritas. Rectius omnino Cardinalis Bellarminus in Chronol. ad ann. 1026: His, temporibus, quibus Pontifices Romani à pietate Veterum degeneraverant, Principes seculi sanctitate florebant.

XXXVII. Quid inter Ottonem I. Imperatorem, & Leonem VIII. Pontificem aetum fuerit, supra abunde discussimus. In compendium contrahit rem gestam Linthprandus, (si modo is autor est libri 6. capituli 6., de quo eruditos adhuc dubitare observo) dum ait: *Cives verò sanctum Imperatorem cum suis omnibus in Urbem suscipiunt, fidelitatemq; promittunt: hęc addentes & firmiter jurantes, nunquam se Papam electuros aut ordinaturos præter consensum atq; electionem Domini Imperatoris Othonis Cæsaris Augusti, filiiq; ipsius Regis Othonis &c.* Non erat temere conceptum istud à Leone Pontifice confilium, neque turpi assentationi innitebatur, sed gravissimis ex causis, & re ipsa præviā deliberatione accurate disculsa decretum hoc factum fuit. Audiamus rationes ejus enucleantem Carolum Sigonum ex lib. 7. Leone Pontifice subrogato tūm de statu Ecclesiæ reformando relatum. Non erat nescius Leo, omnem præsentis hujus perturbationis Ecclesiæ fontem à fœdā Romanorum ambitione esse deductum, qui pontificatum, id est, Rome ac totius propè Italiae dominatum anxie affectantes, intestinis jam pridem seditionibus civitatem, ac comitia corrupserint. Non sine causa Hadrianum I. Carolo Magno tribuisse, ut Ecclesiam ordinaret, & Pontificem legeret. Hadrianum III, qui liberā ex omni parte comitia effecisset, plus dignitati, quam quieti Ecclesiæ studuisse. Nam libertate populo in Comitiis redditid, Romanos indies deteriores effectos. Nimurum hanclibidinem coercendam esse, neq; aliud frenum acrius injici posse, quam si Hadrianus I. constitutio renovetur. Itaq; relatione factā & re in disceptationem adducta praesente atq; assentiente conventu sic statuit &c.

XXXVIII. Leo hic VIII. cum diem suum obiisset, coepit, quod eo auctore conclusum fuerat, populus Romanus observare, & quod Imperatoribus addixerat, jus præ cæteris in electione novi Pontificis attendere. Tunc, inquit Regino Abbas Prumentis libr. 2. circa fin. Legati Romanorum, Azo videlicet, protosciriarius & Marinus, Sutrienfis Ecclesiæ Episcopus, Imperatorem pro instituendo, quem vellet, Romano Pontifice in Saxoniam adeuntes, honorifice suscipiuntur & remittuntur. Et Otgerus Spirensis Episcopus & Linz Crémonensis Episcopus cum eisdem Romam ab Imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romana Jobannes Narniensis Ecclesiæ Episcopus eligitur, sed q; Apostolice Pontifex intronizatur &c. Laxior adhuc videtur fuisse potestas Ottonis III. Imperatoris, quippe qui initio imperij sui, cum vix esset annorum duodecim, imperiali usus præcepto vacante sede Romana, quendam sui consanguineum

guineum cuiusdam ducis filium illo de legit, atque ex more in sede Apostolica sublimari mandavit, uti testatur Glaber Rodulfus Monachus Cluniensis *bistor. lib. 1. cap. 4.* Fuit autem is Gregorius V. deinceps dictus. Quo defuncto, idem Imperator Gerbertum Ravennae Archiepiscopum, Pontificem Romanorum creavit, Sylvestrum scil. II. apud eundem Glabrum *d. l.*

XXXIX. Continuata diu fuit haec ratio constitueri Pontificem Romanum, ut maximè retractorius sèpè esset, & jus istud Imperatoribus extorquere conaretur populus Romanus. Nec enim sine causa Henricus II. Imperator novum eis frenum injecit, dum in verba sua jurare coegerit, Pontificum electioni se nequaquam interfatueros, nisi iussu Imperatoris id facere cogerentur, ut refert *Platina in vita Clementis II.* Videbat enim, pergit idem, Imperator eò licentia factiosum quemque & potentem, quamvis ignobilem devenisse, ut corruptis suffragiis tantam dignitatem consequeretur, quæ certè, nisi sanctitate & doctrinâ bene meritis volente DEO demandari cuiquam non deberet. Quod de Henrico refert *Platina*, coactos ab eo Romanos jurare, id alii ipsi Clementi Pontifici tribuunt. Vid. *Nauclerus gen. 35.* Ad istud autem, quod de corruptis suffragiis ait, commentarii vicem sustinere potest querela Caroli Sigonii *bist. reg. Ital. lib. 8.* Libet hoc loco, inquit, in memoriam revocare, quod supra in historiâ anni 776. referenda prediximus, Romanos proceres private querendæ potentie causâ corruptis comitiis Pontificis Ecclesiastis gravibus induentes propè annos seditionibus ac fœdis offensionibus implevisse. Hi suére, ut scripsi, *Alberus Marchio & Albericus filius Consul, Tusculani Comites*, & qui ab eis aut genus traxérunt, aut potentiam accepérunt, qui populo cleroq; aut mercede corrupto aut quicunq; alia ratione vetere comitiorum libertate dispoliato, amicos aut propinquos suos pro arbitrio provexérunt, homines fermè longè à reâ superiorum Pontificum disciplinâ & sanctitate remotos, ad quorum libidinem coercendam *Leo VIII. Pontifex legem retulit ab Hadriano I. latam*, deinde à tertio abrogatam: Ne Pontifex designatus sine Regis autoritate iniret &c. Creditum ergò fuit istis temporibus, multo sanctius procedere electionem Romani Pontificis, si concurreret suffragium aut assensus Imperatoris, quam si nulla ejus haberetur ratio, secus atque hodiè doceri solet, Imperatores intrusissime Episcopos in Romanam sedem planè monstruosos, & divina atque humana jura confusisse.

XL. *Primus*, ut ait *Johannes Aventinus lib. 5. annal. Gregorius VII.* qui & Hildebrandus, fretus armis Nordmannorum, qui tñm per Apuliam, Calabriam, Campaniam, quas vi occuparant, debabantur, confisus etiam opibus Machtilda mulieris impudentis & discordia Germanorum, contra morem, majorum, contemptâ Imperatoris autoritate Pontificatum Maximum occupavit. Primum eum dicit *Aventinus*. Quod enim *Onuphrius Panvinius in vita Gr.*

Gregorii VII. ante eum tres alios, Stephanum nimirum IX. Nicolaum II. & Alexandrum II. sine Imperatoris autoritate electos & consecratos memorat, non videtur usquequa; probatum. De Stephano enim IX. non est, quod solliciti simus, quandoquidem is per vim magis raptus & in cathedram colloca-tus fuit, quam per electionem deliberatam, ut testatur Leo Ostiensis in *Chron. Cassinens.* lib. I. c. 8. Et est tamen, qui scribit, Agnetem Augustam Henrici IV. tutricem, penes quam summa rerum tum fuerat, ea de re edocetam assensum suum prebuisse. Jacob. Revius in *hist. Pontif. Rom. sub Stephan. IX.* Vide-tur verò eam in rem destinata Legatio Hildebrandi fuisse, quam obiter refert Lambertus Schafnaburgensis ad ann. 1058. De Nicolaio II. autem manifestum est ejusdem Lamberti testimonium, haudquaquam eum sine Imperatoris autoritate Pontificatum inisse. Primum enim refert & improbat, quod defuncto Stephano Benedictus quidam inconsulto Rege & principibus adjutus factio popularium sedem Romanam invaserit, postmodum sub anno 1059. pergit: *Romani principes satisfactionem ad Regem mit-tunt, se scil. fidem quam patri dixissent, filio, quoad possent, servaturos, eorum animo vacanti Romane Ecclesie Pontificem usq; ad id tempus non subrogasse, ejus magis super hoc expectare sententiam, orantq; sedulò, ut quem ipse velit, transmittat, nibil ejus ordinationi obstat, si quis non per legitime electionis ostium, sed aliunde adscendisset in ovile ovi.* Rex habitâ cum primoribus deliberatione, Gerardum Florentinum Episcopum, in quem & Romanorum & Teutonicorum studia con-senserant, Pontificem designat, Romanq; per Godefridum marchionem transmit-tit. Ita Benedicto, qui sine jussu Regis & principum sacerdotium usurpaverat, reprobato, Gerardus qui & Nicolaus pontificatum obtinuit. Non ergo assen-sus tantum tribuitur Imperatori à Lamberto, sed jus aliquod potius, & ipsa prima designatio.

XLI. Accedit, quod ipse Nicolaus II. in decreto, quod anno 1059. de electione Romani Pontificis promulgavit, & apud Gratianum c. in nomine dist. 23. legitur, hujus juris, quod Imperatori competit, mentionem faciat, idque inviolatum esse cupit. *Eligatur autem Pontifex, inquit, de ipsis Ecclesiæ gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non invenitur, ex alia sumatur, salvo debito honore & reverentiâ dilecti filii nostri Henrici, qui in præsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator DEO concedente speratur: & jam sibi concessimus, sicut successoribus illius, qui ab hac Apostolicâ sede personaliter hoc jus impetraverint &c.* Ridiculus hic est Pontifex, qui jus istud regium ex privilegio pa-pali, & quidem personali tantum competere ait, ita ut cum persona extin-guatur, nec ad successores devolvatur; cum tamen Antecessores Pontifi-ces non præsentibus tantum Imperatoribus, sed eorum etiam successoribus jus istud competere profiteantur. Quod si verum est, decretum hoc Ni-colai, uti à Gratiano editum legitur, non esse integrum & incorruptum, sed depra-

depravatum & labefactatum, uti vult Cardinalis Baronius *ad ann. 1059.*
n. 30. seq. dixerim ego, in ipsis illis verbis, quæ de personali privilegio agunt,
vitiatum id fuisse. Sed enim quo minus istud pro suspecto habearius, facit
disceptatio Synodalis, inter Regis Advocatum, & Romanæ Ecclesiæ defen-
sorem, quam recenset idem Baronius *ad ann. 1062. n. 22. seqq.* tibi sub num. 30.
Regius Advocatus ad hoc ipsum Nicolai Papæ decretum provocat, dum ait:
*Huc accedit, quod præstantius est, quod Nicolaus Papaboc Domino meo Regi pri-
vilegium, quod ex paterno jure susceperebat, præbuit, & per synodalibus insuper
decreti paginam confirmavit &c.* Gui respondet Defensor: *Privilegium in-
vitissimo Regi nostro ipsi quoq; defendimus, & ut semper plenum illibatumq; possi-
deat, optamus &c.* Non negat, datum id fuisse, sed in lequentibus ait, Regem
impuberem ut eo non posse, & hinc Ecclesiam ut matrem, tutricis vicem
subire, & jus, quod illi competit, supplere.

XLII. Deniq; Alexandrum II. quod attinet, negari quidem non pot-
est, desuisse in ejus electione autoritatem Imperatoriam, displicuisse ta-
men id plurimis inter ipsos Romanos certum est, & hinc natum etiam inter
electores dissensum. Rem gestam ita refert ipse Onuphrius: *Cum verò non
paucis ex Clero & populo Romano conatus iste cum sanctissimi juramenti profanâ
violatione conjunctus displiceret, legatos illi miserunt ad Henricum IV. qui jam
adolescebat, ut iuxta juramentum patris suo in electione Clementis II. à Cardinalibus,
Clero, populoq; Romano præstitum, & secundum privilegia sibi à predecesso-
ribus & successoribus suis Romanis Imperatoribus à sede Apostolica de ejusdem
Pontificie sedis dispositione concessa, Romanum Pontificem à Cardinalibus conse-
crandum eligeret, atq; Romam mitteret, ut olim Pater suus facere consueverat.*
*Quod intelligens Hildebrandus Archidiaconus, cui jam inde à Gregorii VI. cuius
discipulus & alumnus fuerat, depositione & Clementis II. per Imperatorem sub-
rogatione, mirum in modum illud juramentum Cardinalium, Cleri & Populi Ro-
mani Imperatori præstitum, & hæc privilegia Imperatori concessa de sanctæ sedis
Apostolice in crendis Pontificibus dispositione, displicuerunt, tanquam contra ca-
nones, sanctorum Patrum instituta & libertatem Ecclesiasticam facta banc Imper-
atoris IV. dispositionem prævenit, & Cardinalibus quamprimum Pontificem Ro-
manum eligere persuasit, ne si adhuc discordes invenirentur, electum ab Impera-
tore, quod contracanones esse asserebat, suscipere cogerentur. Fuit igitur Im-
peratori quidem de vacante sede facta denunciatio, ab aliquibus etiam ex
clero & populo petitus, ut is Pontificem, quem vellet, designaret; sed to-
tum istud negocium impeditum deinceps & caliorum inflexum fuit ab Hil-
debrando.*

XLIII. Hildebrandus igitur ille, qui Alexandro II. successit, primus
fuit, qui nullâ præviâ denunciatione Imperatori factâ, nec expectata ejus
sententiâ, imò contemptâ prorsus & protervè neglectâ, postridic ejus no-

Etis, quā Alexander deceperat, eligi se in Pontificem Romanum passus fuit. De eo iterum Onuphrius: *Mortuo verò Alexandro II. die ejus obitūs hora vesprorum X. Cal. Maii Hildebrandus ipse Archidiaconus tanquam omnium potens & unicus Ecclesiastice libertatis assertor, Cardinalium omnium, Cleri, Populiq; Romani consensu nullā Imperatoris Henrici interpositā aut expectatā autoritate, Pontifex Maximus pronunciatus est.* Et post pauca: *Ipse verò jam Pontifex factus nullo modo Imperatoris autoritatem expectare voluit, sed consecrationem & coronationem nullā ejusdem Imperatoris habitā ratione accepit.* Quin imò, cùm privatus multo tempore ad recuperandam Ecclesię Romanę autoritatem laborasset, jam Pontifex factus ab incepto desistere indignum duxit.

XLIV. Verè dixit Onuphrius, Hildebrandum adhuc privatum multo tempore laborasse, ut Imperatorum jus destrueret. Quid enim is eo tempore, quo Alexander II. electus fuerat, consuluerit, jam diximus. Nec enim coērceri potuit tanta ejus protervia, ut maximè essent, qui Alexandrum objurgarent, & ad saniora consilia reducere omnibus modis conarentur. Tale quid de Hannone Archiepiscopo Colonensi refert Naucleus gener. 36. his verbis Alexandrum compellante: *Quo factum est modo, mi frater Alexander, ut præter servatos hætenuis mores, præter legem olim Romanis Pontificibus prescriptam, Pontifikatum Romanum à Rege & Domino meo Henrico injussus acceperis, & incipiens à Carolo multos nominavit, à quibus Pontifices vel electi fuere vel confirmati, aut eorum ab his electio affirmata.* Parantem plura dicere Hildebrandus Archidiaconus, cætu Cardinalium annuente, respondit: *Nulum unquam jus, nullum Imperium, Otto Archiepiscopे, Regibus & Imperatoribus Romanis in Pontificis Romani electione fuit, & si quid per vim, si quid perperam actum sit, censurā postea patrum correctum est.* Hac ratione prævaluit consilium Hildebrandi.

XLV. Circa electionem Nicolai II. non minus validum se præstítit Hildebrandus. Profectus is fuerat Florentiam. Ante abitum fidem ei dederant Clerici omnes, non prius se habituros suffragia novi Pontificis creandi, quam ipse in Urbem rediisset. Nihilominus, cum interea Stephanus IX. è vitâ discessisset, elegerant illi Mincium quendam, quem Benedicti X. nomine in sedem collocaverant. Rediens itaque Hildebrandus cum Gerardo Episcopo Florentino in omnes acerbissimè in vectus est, tūm vel maximè in eos, qui fidem dederant, se ejus adventum expectavros. Cumque hâc de re magna contentio esset, probarentq; nonnulli Benedictum ut Virum Optimum & sapientissimum: contra autem eam electionem plerique magnis clamoribus improbarent, utpote minus canonice & legitimè factam, tandem plurimorum consensu Hildebrando instante, Gerardus, ejecto Benedicto, Pontifex creatur. Ita Platina in *vit. Benedicti X.* Etsi autem Gerardus, postea Nicolaus II. dictus, per Imperato-

ris suffragium ad ictud fastigium electus fuerit, ut supra testimonio Lamberti Schafnaburgensis probavi, non videtur tamen id obtinuisse, si Hildebrandus noluisset. Quin colligitur ex relationi rei gestæ, Hildebrandum adhuc subdiaconum unicum & solum fuisse eo tempore, qui Pontifices Romanos crearet.

XLVI. Exeruit ille suam hanc arrogatiæ, & animum erga Imperatores malevolentia suffusum statim eo tempore, quo Leo IX. pontificatum iniit. Quâ de re non pigebit hic legere, quæ idem scribit Platina. Cum, inquit, Romani Legatos ad Imperatorem misissent oratum, ut optimum Pontificem sibi daret, is statum Baunonem Episcopum Tullensem, Virum bonum & simplicis ingenii, legatis & Ecclesiæ Romane obtulit. Cui quidem Romam Pontificio habitu petenti abbas Cluniacensis & Hildebrandus monachus Soana oriundus obviam facti persuaseré, ut deposito Pontificali ornatus Romam privatus ingredetur, quod dicerent, Henricum nullam creandi Pontificis potestatem à DEO habere, sed ad Clerum populumq; Romanum id pertinere. Motus bīs verbis Leo, cùm etiam vocem è cœlo inter eundum audivisset: Ego cogito pacis cogitationes, non afflictionis, deposito pontificio apparatu, privatus Urbem ingreditur, se ipsum accusans, quod Imperatori maluerit, quām DEO obtemperare. At verò Romanus Clerus svadente Hildebrando eundem Baunonem in Pontificem eligunt, eò libenterius, quod omnem auctoritatem eligendorum Pontificum ab Imperatore, ut par erat, ad Clerum transfusisset. Ex quo satis liquet, diu ante Hildebrandum id animo agitasse, ut Imperatorum jura interverteret, quām ipse pontificatum adeptus fuit. Concepit autem istud odium primum ex eo, uti supra ex Onuphrio demonstravimus, quod ab Imperatore dejiceretur Gregorius VI. cuius ipse discipulus & alumnus fuerat.

XLVII. Hic est ille Hildebrandus, ille Gregorius, qui primus omnium in jus vocare Imperatorem, eumque excommunicare, & tandem majestate suâ exuere, subditosq; ab obedientiâ ei debitâ absolvere ausus fuit. Legi & relego, inquit Otho Frisingensis, Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam invenio quenquam ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno privatum, nisi forte quis pro anathemate babendum ducat, quod Philippus ad breve tempus à Romano Episcopo inter pénitentes collocatus, & Theodosius ab Ambroso propter cruentam cædem à liminibus Ecclesiæ sequestratus sit &c. Sed enim de Philippi illâ à Babylâ Episcopo factâ exclusione, quam refert Eusebius lib. 6. hist. c. 34. & autor Chronicus Alexandrinus ad A. M. 5760. incerta planè res est inter eruditos, quandoquidem optimi quique auctores Christianos Imperatores à Constantino M. demum numerare incipiunt, & ipse Philippus, ut ait Eusebius περιφερόσαι γε τοῖς λόγοις, libenter obtemperasse dicitur: Theodosius etiam εἰς τοὺς λόγους, ut scribit Theodoreus lib. 5. c. 18. hoc est, obtemperavit his verbis & patientem le præ-

Nn 2

buit.

buit. At Henricus Imperator voluntariè & sponte se non submisit mandato Pontificio. Unde & Godefridus Viterbiensis eandem cum Frisingensi tenet sententiam: *Ante bunc Imperatorem, inquit, non legimus, aliquem a Romano Pontifice excommunicatum.*

XLVIII. Non persequar reliqua, ut invitus tandem laudatissimus & fortissimus Imperator ad pœnitentiam luscipiendam coactus à Pontifice ad ludibriū usque fuerit. Solum addam intīgnum Onuphrii Panvinii locum, quo istam Pontificis *ἀλογίαν* perstringit. Nam etsi, inquit, ante Romanī Pontifices, tanquam religionis Christianæ capita, Christiani, Vicarii, & Petri Successores colerentur, non tamen eorum autoritas ultra protendebatur, quā in fidei dogmatibus vel afferendis vel tuendis. Ceterū Imperatoribus suberant, ad eorum nutum omnia siebant, ab iis creabantur, de iis judicare, vel quidquam decernere non audebat Papa Romanus. Primus omuium Romanorum Pontificum Gregorius VII. armis Normannorum fatus, opibus Comitisse Matildis, mulieris per Italiam potentissime, confisus, discordiaq; Germanorum Principum bello civili laborantium inflammatus, præter majorum morem, contemptā Imperatoris autoritate & potestate, cùm summum Pontificatum obtinuissest, Casarem ipsum, à quo si non electus, saltem confirmatus fuerat, non dicam excommunicare, sed etiam Regno, imperioq; privare ausus est. Res ante ea secula inaudita. Nam fabulas, qua de Arcadio, Anastasio, & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror, satisq; hinc apparet, eos Reges atq; Imperatores, qui justā in justā de causa censuris istis positivis se subtrahunt, divino iudicio relinquendos.

XLIX. Quod si jam in causas disfidii istius & iræ papalis inquiras, invenies quidem, Saxones ab initio graviter ab Imperatore offensos Pontificem excitasse, & ardenter inflammaisse, sed revera Pontificem reconditum habuisse ignem alium, ex inuestituris Episcoporum, & institutionibus ipsorum Pontificum Romanorum ac Imperatoribus hac tenus fieri solitus, exortum, qui fomento terui calescens primum & aliunde enutritus, mox infunestas erupit flamas, & vasto incendio totum penē Occidentem conflagravit. Quā de re denuo audiri debet Onuphrius Panvinius, dē Hildebrando hæc referens porrò: Quapropter primis Pontificatis sui annis, concilio multorum Episcoporum & Abbatum Rome congregato legem tulit, quā sub anathematis pœnā omnibus Laicis, cuiusvis dignitatis essent, omnino interdicit Ecclesiastici sacerdotii, ut tunc dicebatur, investituram, seu, ut nunc dicitur, collationem, haud dubiè Imperatorem Henricum IV. & reliquos Reges putans, qui omnes dignitates Ecclesiasticas ad libitum eorum conferebant. Et in vita Clementis III. Inoleverat quædam in omni Ecclesiâ Latinâ & presertim in provinciis Imperio subjectis consuetudo, qua in Romanâ etiam aliquando fuit, ut decadentibus Ecclesiarum prelatis tam Episcopis quam Abbatibus, annulus & virga pastoralis ad Imperatorem à Clericis ejus civitatis mittebantur. Is statim in demortui Episcopi vel Abbatis locum,

locum, unum ex familiaribus vel Capellans suis substituens eum ad Ecclesiam pastore orbam, nullus Clericus vel populi electione expectata mittebat. Hec autem privilegia de Episcoporum & Abbatum, ut vocant, investiturā Imperio & Imperatoribus, temporum necessitate ita exigente, à Romanis Pontificibus Hadriano I. Leone III. & VIII. concessa fuerant, Carolo nimirum Magno, & Othoni I. Imperatoribus, hominibus sanctissimis, qui iisdem privilegiis sanctissime utebantur, pastores idoneos Ecclesias vacantibus vel eligentes aut eligi procurantes. Verum processu temporis omnibus, ut accidit, recte institutis in malum labentibus, & Imperatorum perversitate Gavaritia corruptis, cùm plerosq; pecuniā, favore, Principis seu ejusdem familiarium studio & indignos quidem eligi contigerit, solo ut putat Principis arbitrio intercedente, non ferenda hæc esse Romanus Pontifex Gregorius VII. existimavit. Quamobrem qui in hisce privilegiis omnino abrogandis privatus multoties laborasset, nec ob Imperatorum potentiam & Romanorum Pontificum prædecessorum suorum segnitatem multum profecisset, jam Pontifex Maximus factus, qui diu animo menteq; conceperat, executioni mandari omnino disponuit. Primo enim has electiones contra honestatem fieri sèpè clamitans, simulq; per eas jura Ecclesiastica & libertatem subversa iri demonstrans, ac per literas Imperatorem admonens, ut ab hisce desisteret electionibus eas libere clericis & populis civitatum, more majorum relinquere debere asserens, eum iterum & tertio admonitus & parere recusantem, diris & anathemate gravissimo prosecutus est; lege prius in maximâ Episcoporum synodo latâ: nemini Laicorum, cuiusvis ordinis esset, licere in negotiis electionum Prelatorum se intromittere, neminem Clericum à sacrâ manu hujusmodi prælaturas accipere posse.

L. Hæc & alia decreta, quibus Dictatum nomen datum fuerat, cùm promulgasset Hildebrandus, & assiduis persecutionibus Imperatorem sibi minime obtemperantem premeret, inter utrosq; graviores quotidie, atque inexorabiles invaluerunt discordiae; Papâ plurimum annitente, ut Rex privaretur & exueretur dignitate & potestate Regiâ; Rege vero contra nitente, & jura sua diu jam possessa strenue defendente. Imperii, ait idem Onuphrius, vel omnino tollendi, vel in perpetuum stabiliendi causa tunc maxime trahatur. Cæsar enim Imperii jura & ea quidem summa, omnino tueri: Papa vero Ecclesiæ libertatem, nulla Imperialis excidi ratione habitâ asserere volebat, indignum esse clamitans à manu Laicâ Sacerdotes creari, quamquam id per trecentos ferè annos à Caroli Magni tempore, sub sexaginta & amplius Romanis Pontificibus usurpatum esset. Maxime igitur Imperatori laborandum erat, ne hæc decreta starent, si Imperii jura, inquit si Imperium ipsum salvum esse vellet, quod ejusmodi Papalibus editis procul dubio dissipandum esse existimabat. Nulla sane Imperii Germanici tempestas usq; adeò fuit sæva & summè noxia, atq; hæc: & jam tunc nondum centum post Hildebrandinam tyrannideim, annis elapsis, Otho Frisingensis, dum animum adverteret ad solam excommunicationem

Imperatoris, quæque illam tunc temporis mala exceperunt, in hæc prorupit verba : *Tot mala, tot schismata, tot tam animarum, quam corporum pericula bujus tempestatis turbo involvit, ut solus ex persecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate ad humanae miserie calamitatem sufficeret comprobandum. Unde à quodam Ecclesiastico Scriptore densissimis Ægypti tenebris equiparatur &c.*

LI. Fuit Imperator ille crebrâ fortunæ varietate ad memoriam posteritatis præ cæteris insignis, traditurq; sexages & bis acie collatâ dimicasse. Neq; ineruditus neque ignavus, sed fato quodam ab omnibus ita impeditus, ut rem religionis tractare sibi videretur, quisquis in illum arma produceret. Ut scribit Guilielmus Malmesburiensis lib. 3. de gestis Reg. Angl. Sed præ omnibus triste ei fuit atque detestandum, quod filii ambo, quos ex Bertâ uxore primâ suscepserat, Conradus primùm, deinde etiam Henricus in Imperio successor, gravi eum persecutione premerent, neque alia ejus rei causa allegari posset, nisi quod excommunicatus à Pontifice Pater infelicissimus esset, & sic extra gremium Ecclesiæ viveret. Ad quod factum, & graves inde natas inter proceres Regni divisiones, respiciens, qui hisce temporibus scripsit, gravis autor libri *de unit. Eccles. conserv.* Ecce, inquit, *nostri temporis Gregorius Papa, qui & Hildebrand, cum aliquando os suum aperuit, Ecclesiam divisit, & præter ea, que dicta sunt supra, propheticam ollam ab aquiloni ne in tantum accendit, ut per hos XVII. & eo amplius annos, ubiq; sint in regno Romani Imperii bella & seditiones Ecclesiarum & monasteriorum incendia & destructiones, & ut sit Episcopus adversus Episcopum, clerus adversus clerum, populus adversus populum, imò filius adversus patrem, & pater adversus filium, & frater adversus fratrem &c. Idem auctor, quem alii Venericum Verceilensem, alii Sigeberatum monachum Gemblacensem, alii Waltherum Naumburgensem fuisse putant, graviter reprehendit Gregorium sive Hildebrandum, qui, ut statueret & confirmaret partium suarum schismata, historiam illam de Ambrosio Theodosium Imperatorem à limine Ecclesiæ repellente, protulerat. Ejus mentionē feci supra sub testimonio Othonis Frisingensis. Respondet autem, Gregorium abuti exemplo & longissimè discedere à facto Ambrosii. Theodosium enim leniter quidem fuisse coercitum Ecclesiasticâ disciplinâ; non tamen Ecclesiam divisam ab Ambrosio, vel soluto fidei sacramento separatos principes & milites R eip. ab Imperatoris sui consortio simul & obsequio, quod novo more fecerat Gregorius, qui solverat statuta sub anathemate confirmata à multis Romanis Pontificibus de inventiendis Episcopis per Reges & Imperatores. Nec tale quid tentasse Ambrosium, quando pulsatus fuisset pro studio hereticorum Valentiniani Imperatoris & matris ejus Justina minis atq; verberibus. Existimandum scil. non est, reprehensionem & excommunicationem eorum, qui in gubernatione sunt, & imperium tenent, privare eos & abdicare regimine, cùm utique ministro Evangelii nihil sit negotii cum politiâ gubernâ-*

bernatione. - Theodosius, licet ab Episcopo Ambrolio excommunicationi fuerit subjectus, nihilominus imperium retinuit, ac subditi ad obedientiam devincti manebant. Hildebrandinum ergo hoc fuit σύστημα πολιτείαν, sub praetextu excommunicationis Reges & Principes imperio exuere, & subditos ab obedientiae vinculo absolvere.

LII. Nec tamen impetrari ab Imperatore Henrico poterat, ut juri suo, quod circa investituras Episcoporum habebat, renunciaret. Vice versa Gregorio defuncto ejus decreta repetierunt & confirmarunt Victor III. in Concilio Beneventano, Urbanus II. in synodo Melfitanâ *can. 8.* & generali Claromontanâ *can. 15. & 16.* tum & Paschalis II. in synodo Pictaviensi, & demum Trecensi, cui Paschalis ipse praefuit. Hic ipse vero Paschalis post obitum admodum infelicem Henrici IV. Successorem ejus Henricum V. iisdem artibus, quibus Gregorius usus fuerat, aggressus, graviorem sibi eum invenit, quam putasset. Certatum utrinque est variis modis, & transacta res aliquando, sed mox revocata ex parte Pontificis, novisq; excommunicationum fulminibus in Imperatorem saevitum. Cumq; id porrò per successores in sede Romanâ Gelafium II. & Calixtum II continuaretur, evenit tandem, ut Imperio multis modis attrito, alia plane rerum facies exsurgeret. Imperator enim videns à se regnum paulatim deficere, & exemplum patris sui mente revolvens, atque metu anathematis, quo urgebarur, collectâ generali Curiâ apud Wormatiam investituram Episcoporum scil. annulum & baculum, in manus legati Apostolici nomine Lamberti, qui postea fuit Papa Honorius, publicè resignavit: per quem etiam ab anathemate est absolitus. Papa quoque Imperatori tale privilegium scripsit, ut Episcopi omnes tam Cisalpini, quam citra non prius Episcopi ordinentur, quam per manus Imperatoris de regalibus sint investiti, uti sribit Gotfridus Viterbiensis *Chron. part. 17. 5ive*, quam regalia de manu ejus per sceptrum suscipiant, uti loquitur Otho Frisingensis *lib. 7. c. 16.* Sed quod addit ibidem Frisingensis: *Hoc pro bono pacis sibi soli & non successoribus datum dicunt Romani.* Id, quibus cavillis Romana curia pacta sua evertere soleat, luculento potest esse argumento. Contrahit enim unusquisque non pro se tantum, sed etiam pro heredibus & successoribus suis, ut vulgatum habet JCtorum axioma. Nec obstat, quod pacta dentur personalia, quae personam non egrediuntur, quandoquidem utrum pactum in rem sit, an in personam, non tam ex verbis, quam ex mente pacientium aestimandum est: adeoque in dubio, quantumvis persona adjecta sit, in rem tamen esse presumitur: quia plerumque persona pacto inseri solet, non ut pactum personale fiat, sed duntaxat, ut demonstretur, cum quo pactum factum sit.

b. 7. §. 8. ff. de pac.

LIII. Pacta

LIII. Pacta conventa inter Imperatorem & Pontificem leguntur apud Goldastum in constitutionib. Imperialib. tom. i. pag. 258. his verbis: *Ego HENRICVS Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, pro amore DEI, & sanctae Romanae Ecclesie & Domini Pape Calixti, & pro remedio anime meae dimitto DEO & sanctis ejus Apostolis, Petro & Paulo sanctis &c, Catholicæ Ecclesie omnem investituram per annum Sacrum, & concedo in omnibus Ecclesiis, quæ in Regno vel imperio meo sunt, canonicam fieri electionem, & liberam consecrationem &c. Et rursus ex parte Pontificis: Ego CALIXTVS servus servorum DEI, tibi dilecto filio Henrico DEI gratia Romanorum Imperatori Augusto, concedo electiones Episcoporum & Abbatum Teutonici Regni, qui ad Regnum pertinent, in presentia tua fieri absq; Simoni & aliquâ violentia, ut si qua inter discordia emerserit, Metropolitanus & provincialium consilio vel judicio seniori parti assensum & auxilium praebas. Electus autem regalia per sceptrum a Te recipiat, & que ex his iure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii, consecratus infra sex menses regalia a te per sceptrum recipiat, & que ex his iure tibi debet, faciat, exceptis omnibus, que ad Romanam Ecclesiam pertinere noscuntur &c.* Idem Goldastus collegit etiam reliqua instrumenta, quæ ad rem præsentem faciunt, ex quibus historia hujus controversiae abunde illustrari & declarari potest, præsertim si addantur Ieronimi Carnotensis epistolæ & ad eas nota Francisci Jureti, pasim.

LIV. Hic fuit tandem tot dissidiorum, tot cruentissimorum bellorum & tot funestorum in Imperio motuum infelix exitus. Ita constituta magnâ sapientia & quodam quasi præfigio malorum, quæ ambition & superbia Pontificum Imperio & Ecclesiæ esset in vectura, si non coërceretur, ita, inquam, constituta sancitaque à Karolo Magno jura Imperatorum & annos trecentos conservata atque defensa, seditiona domesticorum conspiratio fatali successu in Pontificum gratiam penè uno momento elisit, atq; evertit. Neque enim negari potest, magnam hoc ipso Imperatorem & autoritatis suæ & potestatis fecisse jacturam. Ipse Onuphrius Panvinius dimidium potestatis Cæsareæ amissum fuisse lübens satetur. Valde gavila est plebecula futura calamitatis nescia, postquam contentionis leges Wormatiæ publicatae fuissent, securitusq; est applausus ingens populi stolidè acclamantis, & sub inani futura tranquillitatis spe, tyrannidis pontificiæ impium & crudele jugum sibi improvidè gratulantis. Quibus malis in Ecclesiâ & Rep. hæc concessio causam præbuerit, quæ damna dederint Pontifices hâc tyrannide armati, quid non tentarint, ut labefactatam peneque projectam Imperatorum autoritatem penitus conculcarent & pessundarent, deniq; quoties horum crudeli impulsu, Germania concitata ruerit in se, & suo perfusa cruore maduerit, atq; rubuerit, senlerunt & deplorarunt majores nostri.

LV. Qui

LV. Qui secutus est Henricum V. Lotharius II. Imperator indignè quidem tulit hanc ab antecessore suo factam investiturarum resignationem, adeò ut de eo scribat Otho Frisingensis *Cron. lib. 7. cap. 20.* futurum eum, nisi morte præventus fuisset, *cujus virtute & industria corona Imperii ad pristinam dignitatem reduci potuisset*, quibus verbis fine dubio ad investitura- rum restorationem respexit, quas Otho *l. 7. c. 18.* ab Imperatore modestè insinuatas, Bernardus autem Bonævallis importunè repetitas scribit, apud Baronium *ad ann. MCXXXI. num. 7.* metu tamen novorum tumultuum, & memoriâ pristinæ calamitatis prudenter abstinuit. Valdè cordata autem fuit ejusdem Imperatoris in Comitiis Aquaspenzilibus in causâ Papæ cum Petro Abate Casfinensi responsio. Imploratus is fuerat ab Abate, ut tueretur Monasterium Casinense, quod ad Cameram Imperii pertineret, adversus Rogerium Comitem Apuliæ, & ipsum Innocentium Papam, monachos suos excommunicationibus vexantem, & ejectionem minitantem. Idcirco Imperator judicis partes suscepit inter Cardinales & Monachos, imo inter ipsum Pontificem & Abbatem, quandoquidem Cardinales perpetuis relationibus à Pontifice, quid statuendum esset, decerni petierant. Tandem verò Imperator pontificii rigoris & inexpugnabilis contumacia pertusus in hæc verba erupit: *Postremo, si me à spe frustatum esse vultis, neque fratres ab excommunicationis sententiâ absolvere, contestor hodiè schisma inter me & Pontificem futurum, & pro amico obsequentiissimo, infestissimum fere inimicum.* Vid. Goldast. *tom. 3. Constitut. Imper. pag. 326.* Ex quo facile divinare licet, quid sperandum fuisset, si diuturnior vita optimo Imperatori contigisset.

LVI. Eadem ista tempestas, quæ imperium Romanum tamdiu fatigavit, etiam alibi sese exeruit, & Regna vicina fœdisimè crudelissimeque infestavit. Quid in Britanniâ tūm temporis contigerit, quibusque motibus Regnum istud expositum fuerit, disci potest à veteribus Scriptoribus, qui historiam ejus gentis exposuerunt, Simeone Dunelmensi, Johanne Bromtone, Henrico Knygstone, Matthæo Parisiensi, Guilielmo Malmesburiensi & aliis. Id omne in compendium contraxit Franciscus Godwinus Episcopus Landauensis *in vita Anselmi Archiepiscopi Cantuarieensis*, cuius verba, et si prolixiora sint, non pigebit hic adscribere. Primum refert, quâ ratione post obitum Regis Guilielmi Ruci successerit frater ejus Henricus, & de hujus studio in Ecclesiârum statu emendando. Dein pergit: *Anselmum primo quoq; tempore ab exilio revocandum decernit, à quo, postquam rediit, magno in honore habitus est, donec in iuriū Ecclesiasticorum defensione pervicacior, etiam bunc contra se irritarit. Triennio integro exul abfuerat, quo toto tempore Episcopatum investitaram, pro more, qui tunc ubiq; inoleverat Rex, pro lubitu contulerat, per traditionem annuli pediq; pastoralis. Urbanus verò Pon-*

si sex haud ita pridem defunctus, in concilio nuper coacto sanciverat, presulibus sic
 electis consecrationem nullo modo impertiendam. Henricus attamen Rex Episco-
 pos à se fratres suo, absente Anselmo designatos consecrari sine morā importune
 flagitare, seu potius pro imperio magno supercilios mandare: Anselmus è contra
 refragari & ingenti animi constantia afferere, nunquam se pro Episcopis habitu-
 rum illas, etiam si ab aliis consecrati fuerint, qui contra canonum prescripta cha-
 racterem Episcopalem suscepissent, neq; vel vite sue jacturā contra Sedis Aposto-
 lice definitiones acturum, nisi inde procedat remedium (hęc enim sunt verba Mal-
 mesburiensis) unde ovinis laboris procella super eum cecidit. Rex igitur ad Gi-
 rardum Eboracensem Archiepiscopum conversus, postulat ab eo, ut electis suis sa-
 crationis manus impendat. Non renuit ille. Dies Londini constituitur ad ne-
 gocium conficiendum. Adsunt undiq; quorum intererat, nullibi apparebat impe-
 dimentum, quando dērepente Gulielmus Giffardus Ecclesie Wintoniensis destina-
 tus Antiskes pedum pastorale annulumq; Regi, à quo acceperat, reddens, munere
 haud legitime suscepto, libenter dicit se caritatum. Cujus facti novitate, quod
 præter omnem expectationem & inopinatò accidit, perculsus primū Rex, deinde
 exēandescens vebementer & ingratitudinem hominis exosus regno ejicit, bonaq;
 exulis proscripsit, fisco nimirum adjudicatis omnibus ejus facultatibus, ubique
 repertis. Tumq; Anselmum adoritur, bujus incommodi unicum, ut putabat, au-
 torem, acjuramentum ut præstet, imperat, à fratre suo nuper exactum. Post mul-
 tas verborum controversias in hoc tandem convenient, ut harum omnium causa-
 rum cognitio, Pontifici summo, Paschali II. integra relinquatur, utq; Anselmus
 coram, Rex ceteriq; per legatum coram tribunali Pontificio litem persequantur.
 Præstituto die adfuerunt uterq; Anselmus suam causam acturus, Gulielmus Wa-
 relwast Exonensis electus, præter regiam, suam etiam sociorumque. Multa
 verborum contentione binc inde lite agitatā, cùm Regi adeò cordi esse regni sui
 jura à majoribus accepta contenderet Exonensis, ut vel diadema libentius abrice-
 ret regnoq; cederet, quam investuras controversias amitteret, hanc responsonem
 Papa effulminans, sciat, inquit, Dominus tuus, Paschalem ne pro sui quidem ca-
 pitis redemptione has investuras illi unquam impune permisurum. Hujusmodi
 Pontificis oraculo re definita revertitur uterq; Exonensis in Angliam, Anselmus
 ad hospitem suum veterem Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum, apud quem,
 Rege adbuc in sententiā, persistente, sedecim post id temporis mensium moram tra-
 xit. Accidit interea, ut in iis regionibus Adela Comitissa Blesensis, Regis Hen-
 rici Soror morbo gravi correpta decumberet. Ad eam consolandom Anselmus
 non procul inde degens accessit, & non parum momenti attulisse visus est ad mor-
 bum depellendum, ut qui animæ medicatus advenerat, corpori etiam sanitatem
 restituisse visus fuerit. Illa igitur postquam convuluit, fratrem precibus obtun-
 dere non desstit, donec effecisset, ut de pristinā pertinaciā nonnihil remitteret.
 Contendebat tunc temporis de regno cùm illo Robertus Dux Normannia frater
 ejus

ejus natu maximus. Rex igitur Competitorem veritus, ambiguo adbuc Regni jure, Pontificem noluit infestum habere. Que causa procul dubio fuit, ut Sororis precibus facilius cederet. Accersitur Anselmus, & tam Pontificis, quam illorum consensu in hunc modum lis tamdiu agitata componitur. Episcopijam antea designati ut consecrentur, decretum; deinde vero ut Rex de jure investiture post hac in perpetuum cederet, loco in posterum dato Canonicis electionibus; homagium tamen Episcopi consecrandi Regi prestarent, pro Baroniam & possessionibus ad Episcopatum suum pertinentibus &c.

LVII. Franciae Reges licet ipsi etiam jus istud investiendi noviter electos Episcopos per baculum & annulum plurimos jam annos exercuerint, citius tamen nec inviti cesserunt Pontificum voluntati, & super isto negocio factis decretis, quam Reges reliqui. Videntur quidem & ipsi ab initio restitisse, ut patet ex instructione Papae Gregorii VII, quam dedit Legatis suis in causâ Episcopi Ambianensis, post quam hic absente Metropolitanus ab aliquot Episcopis consecratus fuisset, ut cognitionem causâ suscipierent, & praesertim, si idem Ambianensis contra Romane Synodi & Apostolice sedis decretum de manu Laicis fandâ ambitione & temerario ausu investituram suscipere presumpfit. Et forte, quoad vixit Gregorius, non passi fuerunt Reges Franciae, Regale hoc sibi imminui. Eo vero defuncto felicior fuit Urbanus II. qui in ipsâ Galliâ in Synodo Claromontanâ non repugnante Philippo Rege hoc promulgavit decretum: *ut nullus in Clericali ordine constitutus, nullusq; monachus Episcopatus aut Abbatie, aut cuiuslibet Ecclesiastice dignitatis investituram de manu Laici suscipere audeat.* Quod si presumperit depositione multetur. Canonem hunc cum aliis edidit Vir Clarissimus Stephanus Baluzius. Eodem pertinet, quod post obitum Urbani, Paschalis II. Pontifex in Galliam venit, auxiliare manum petiturus à Rege Ludovico adversus Henricum V. Imperatorem pertinacissime tûm investituras retinentem. Quod utique minus ausus fuisset, nisi Ludovicus iure suo cesisset, aut saltem non restituisse Pontifici ubique terrarum eas prohibenti. Sed & diserte fatetur Ivo Carnotensis epist. 238. quam ad eundem Paschalem Pontificem scripsit, regnum Francorum præ cæteris Regnis sedi Apostolica semper fuisse obnoxium, & idcirco, quantum ad ipsas regias personas pertinuit, nullam fuisse divisionem inter Regnum & Sacerdotium. Et porro, Schisma, quod in Germanico Regno tûm existebat adversus Sedem Apostolicam, in Galliarum Regno non fuisse suscitatum.

LVIII. Quod si porro consideremus, quid actum fuerit in Concilio Rhemensi ab Callisto II. Papa præsente Ludovico VI. Francorum Rege, manifestum omnino fiet, nullum amplius fuisse dissensum inter Regem & Pontificem. Agebatur tûm summo utrinque studio, & examinabatur controversia de investituris, quam terminari volebat Pontifex & Ludovi-

cus factō hoc decreto, ut investiturā rerum Ecclesiarum nihil omnino sibi Laicalis exigeret perlona. Ei verò cūm consentire nollet Henricus Imperator, postquam eā de re per Legatos certior factus fuisset, ob repul-
sam illam excommunicatus fuit, non refragante Ludovico. Id vero qui fieri potuerit, ut Ludovicus consentiret, dubium sibi movet Illustrissimus Petrus de Marca lib. 8. de concord. Sacerdot. & Imp. cap. 21. n. 2, cūm tamen ipse adhuc Ludovicus investiturā adhuc dare solitus fuerit. Nec insu-
bidē eā difficultate se expedit, dām investiturā bonorum Ecclesiastico-
rum distinguit ab investiturā bonorum feudalium ab Ecclesiā possessorum. Non hanc, sed illam cessisse Pontifici Ludovicum ait, cūm olim Reges in-
vestituras universi patrimonii Ecclesiastici dare soliti fuissent. Tandem
ait, uno verbo & quidem apertiū responderi posse, si dicatur, *discordiam*
illam fuisse inter Papam & Imperatorem de investiturā corporali disputantes,
que jam abolita fuisse in Gallia à tempore Concilii Claromontani. At videtur
mihi Ludovicus blanditiis Pontificis inescatus odium aliquod in Imperato-
rem concepisse, & si verum est, salvam sibi relictam fuisse investiturā bo-
norūm feudalium ab Episcopis possessorum, exemptione istā suppressā, unā
cum Pontifice plus justo ab Imperatore exegisse. Nec enim distinctionem
eam ferunt generalia ista, quæ supra adduximus decreti verba. Et si porrò
de corporali tantūm investiturā dissensus & contentio inter Pontificem &
Imperatorem fuisset, non arbitror, Imperatorem ceremoniæ hujus tam te-
nacem futurum fuisse, ut salvā investiturā substantiā, pro baculo tantūm
& annulo suo & suorum sanguine atque spiritu decertandum esse crederet.
Sanè noluit Ludovicus etiam post Concilium Remense vel Episcopum vel
Abbatem creari, nisi ipse prius potestatem eligendi dedisset. De sui ipsius
electione refert Sugerius Abbas S. Dionysii, monachos illius cœnobii &
convitiis impetitos & carcere inclusos, quod ausi fuissent Sugerium sibi Ab-
batem eligere, non prius petitā licentiā à Rege. *Puer familiaris, inquit, Ab-*
batis Adæ antecessoris decessum denuntiat, communem de persona nostrâ pleno
conventu factam electionem. Sed quia inconsulto Rege factum fuerat, meliores
& religiosiores fratrum, milites etiam nobiliores cūm obtulissent Domino Regi
electionem ut assensum præberet, multis affectos convitiis Aurelianis, castello in-
clusos reportat &c. Nisi totus ego fallor, videtur mihi Ludovicus non tam
cedere de jure suo voluisse, quam conspirare cum Pontifice in Imperatoris
necem & imperii eversionem.

LIX. Sed & Philippum Regem, quod tam facilem se præbuerit in ad-
mittendis Papæ Urbani desideriis, excusat illustrissimus Marca d. l. 8.c. 19.
n. 13. seq. ex eo, quod temperamentum invenerit Pontifex, quo & regia au-
toritas conservaretur, & prædecessorum suorum statuta salva manerent.
Id ipsum probare intendit ex Iponis Carnotensis epistola 60. in quā distin-
ctio

Etio legitur inter electionem Episcoporum & concessionem Episcopatum, ita ut non hanc sed illam suis interdictis prohibuerint Pontifices, & in concessione solum hoc intenderint, ne illa fieret amplius per baculum & anulum, quod ea vergere videretur sub tali modo in contemptum sacrorum. At vero, ut mihi videtur, Ivo totus in eo est, ut improbet factum Pontificis, & investituras Regum defendat, licet Regem ipsum in diversam sententiam adactum negare nequeat. Eò enim refero, quod epist. 238. scribit: *Quantum ad ipsas Regias personas pertinuit, nulla fuit divisio inter Regnum & sacerdotium, tacite innuens, Regem tantum autotitati Pontificis cesisse, cæterum in Regno plurimos existere, quibus ista Regis benignitas prorsus displiceat.* Ut autem Regem suum aliquo modo excusat, epistola hæc sexagesimā distinctionem proponit modo allegatam, sed parum distinctè, dum Urbanum exclusisse mox ait Reges non ab electione vel concessione, à quā priori tamen eos excluderit Synodus octava. Ac si plus Urbanus concessisset, cui tamen propositum erat, Regum potestatem coercere, imo prorsus adimere. Nec enim tantū fuisse corporalis investitura, quam solam ab Urbano prohibitam putat Ivo, ut tanti per totum occidentem excitari debuissent motus. Et fatetur ipse Ivo, nihil referre, sive manu, sive nutu, sive lingua, sive virginā fiat concessio. Denique valde reprehendit Romanæ Ecclesiæ ministros, quod majoribus morbis neglectis operam suam irrisoribus prostituant, quo ipso, quid de Pontificum Romanorum hoc Zelo sentiat, haud obscurè prodit.

LX. Audiamus ipsa Ivonis verba, ut eo rectius de illis judicari queat: *Quod autem scriptissi, inquit, & alloquitur Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum, Sedis Apostolicæ legatum, p̄dictum electum (Senonensem Episcopum, Daimbertum intelligit) investituram Episcopatus de manu Regis acceptisse, nec relatum nobis ab aliquo, qui viderit, nec cognitum.* Quod tamen si factum esset, cùm hoc nullam vim Sacramenti gerat in constituendo Episcopo vel admissum vel omissum, quid fidei, quid sacrae religioni officiat, ignoramus: cùm post canonicaem electionem Reges ipsos Apostolicā autoritate à concessione Episcopatum prohibitos minime videamus. Legimus enim sanctæ recordationis summos pontifices aliquando apud Reges pro electis Ecclesiarum, ut eis ab ipsis Regibus concederentur Episcopatus, ad quos electi erant, intercessisse; aliquorum, quia concessiones Regum nondum consecuti fuerant, consecrationes distulisse. Quorum exempla supposuimus, nisi prolixitatem Epistolaे vitassemus. Dominus quoq. Papa Urbanus Reges tantum à corporali investiturâ excludit, quantum intelleximus, non ab electione, in quantum sunt caput populi, vel concessione; quamvis octava synodus solum probibeat eos interesse electioni, non concessioni. Quæ concessio sive fiat manu, sive nutu, sive lingua, sive virginā, quid refert? cùm Reges nihil spirituale sedare intendant, sed tantum aut votis petentium annuere, aut villas ecclesiasticas &

alia bona exteriora, que de munificentia Regum obtinent Ecclesiæ ipsis electis concedere. — — Videmus nullos, aut penè nullos pro hujusmodi transgresione damnatos, plurimos autem vexatos, plurimas Ecclesiæ spoliatas, plurimæ scandala exorta, divisum regnum & sacerdotium, sine quorum concordia res humanae nec in columnæ esse possunt, nec tutæ. — — Nec ista dico, tanquam velim adversus Sedem Apostolicam caput erigere, vel ejus salutaribus dispositionibus obviare, vel meliorum sententiis præjudicium facere, si vivis nitanur rationibus, & evidenteribus veterum patrum auctoritatibus. Sed hoc vellem cum multis mecum piè sentientibus, ut Romanæ Ecclesiæ ministri, tanquam probati medici majoribus morbis sanandis intenderent, & non ab irrisoribus suis audirent: Culicem excolantes & camelum glutientes, mentam, rutam, ciminum & anetum decimatis, graviora autem legis precepta prætermittitis. Cum per totum penè mundum flagitia & facinora videamus publicè perpetrari, nec eā vobis aliquā justitiae falce resecari. Satis hinc apparet, proposuisse Iwonem non publicam, sed propriam suam sententiam & conciliationem, & iis quidem verbis, quæ & Regis jura defendere, & Pontificis intentionem utcunque mitigare queant, fuisse cæteroquin ac eorum partibus, qui investituras Regibus ademptus nollent.

LXI. Ut maximè verò Franciæ Reges de jure suo nonnihil remiserint, certum tamen est, illis ipsis temporibus non potuisse Episcopum invito Rege sedem suam occupare. Disco id ex ejusdem Iwonis epist. 104. ubi refert, Regem Philippum admittere noluisse Galonem Beluacensis Ecclesiæ electum Episcopum, quod sibi timeret ab ejus adverstitatibus. Ejus successor Ludovicus Crassus inaugurationem suscipere noluit Rhemis, quod ejus Ecclesiæ Præsul Rudolphus à Paschali Pontifice, cum in Galliâ ageret, Rege non rogato, institutus fuisset. Ludovicus enim factum istud indignans Gervasium unum è Palatinis in easdem infulas nominaverat, Rudolphi tamen in possessione persistente, qui propterea nec dejici poterat sine tumultu & gravi periculo. Ideoque Ludovicus Aureliæ inungi voluit & coronari ab Daimberto Senonensi Episcopo, cuius supra mentionem feci, frustra & serò nimis contradicente Rudolfo per nuncios, sub prætextu, non alterius, nisi filius Rhemensis Episcopi manuunctionem Regis fieri debere. Vid. Segerius de vita Ludovici Crassi, & continuator Aimoini monachi lib. 5. cap. 49. adversus quam contradictionem, Ludovici factum eruditè defendit Ivo Carnotensis epist. 189. Nec potuit Rudolfus Ludovico reconciliari, nisi postquam per manum & sacramentum eam fidelitatem Regi fecisset, quam prædecessoribus suis Regibus Francorum antea fecerant omnes Rhemenses Archiepiscopi & ceteri Regni Francorum quamlibet religiosi & sancti Episcopi, ut loquitur & factum istud excusat idem Ivo epist. seq. 190. apud Paschalem Pontificem. De Sugerio Abate ut impedita ejus electio ab Ludovico Crasso fuerit, dixi supra, non aliam scilicet ob causam, nisi quod

quod nulla petita ab Rege fuisset licentia eligendi. Ludovico Crasso defuncto succedit Ludovicus junior, qui tenacissimus fuit hujus consuetudinis, ita ut orta inter eum & Papam Romanum, qui tum erat Innocentius II. dissensione, Ecclesia Gallicana turbaretur. *Defuncto enim Alberico Bituricensi Archiepiscopo missebatur Petrus à Papâ Innocentio eidem Ecclesie pastor consecratus, sed à Rege Ludovico repudiatus, eo quod sine ejus assensu fuisset ordinatus in civitatem minimè recipiebatur.* Sunt verba Roberti de Monte in append. ad Sigebert. ad ann. 1141. Addit Matthæus Paris, Regem propositis publicè sacrosanctis reliquiis in præsentia multorum jurasse, nolle se permettere, ut quamdiu ipse viveret, Archiepiscopus præfatus, civitatem Biturgiam intraret. Quantæ verò turbæ inde natæ fuerint, compendiosè exponit Joan de Bussieres in hist. Franc. lib. 7.

LXII. Videntur tūm facilius tolerasse Romani Pontifices prævium Regis in Galliā consensum, antequam Episcopus electus ordinaretur, quām ut investitura ab eo fieret per annulum & baculum. Hæc enim regale ali- quod majus & ipsam Episcopatum concessionem significare videbatur. At in Poloniā ne consensum quidem ferre aliquando poterat Pontifex. Cūm enim in regno isto Episcopatus pro lubitu & arbitrio suo Papa distribuere vellet, & Legatus ejus Hieronymus Archiepiscopus Cretensis hanc provin- ciam in se sulcepisset, atque Casimirus I. Rex conatibus ejus resisteret, nec pati vellet, ut sine consensu suo Episcopi constituerentur, ad Colloquium ventum est, in quo, cum Rex concitator in hæc prorupisset verba, *malle se Regno excidere, quām aliquem pati se invito fieri Episcopum*, Legatus contrā alperior factus vociferari coepit, *præstare ut tria Regna pereant, quām ut jus & autoritas Pontificis perturbetur aut imminuatur*, teste Cromero lib. 25. Chronic. Polon.

LXIII. Ut hanc de investituris Episcoporum tractationem absolvam, ex verbis Iwonis supra allegatis etiam id notatum velim, traditionem bacu- li & annuli, & per hanc factam investituram non semper significare colla- tionem bonorum feudalium aut aliorum latifundiorum. Sic enim ait: *Cum Reges nihil spirituale se dare intendant, sed tantum aut votis petentium annue- re, aut villas ecclesiasticas, & alia bona exteriora, que de munificentia Regum ob- tinent Ecclesiæ, ipsis electis concedere &c.* Ergo ex mente Iwonis traditio annuli & baculi etiam tūm usurpata à Regibus fuit, quando nullæ omnino villa, nullæ agrorum partes datae Episcopis electis fuerunt, sed solum, quando votis petentium annuere voluerunt. Et jam supra ostendi, investitu- ræ vocabulum in negocio hoc Ecclesiastico in usu fuisse ante Carolum Ma- gnum, cum Episcopis tam opimi & insigni terrarum tractus nondum con- ccessi fuissent. Et potuisset sane investitura istiusmodi sola voce aut lingua fieri, quod id planè nihil referat, uti optimè ratiocinatur Ivo; sed volue- runt

runt tamen Imperatores & Reges corporale aliquod symbolum adhibere, ut eo majore solennitate actus ille conspicuus redderetur, quemadmodum & alias in conferendis dignitatibus ut plurimum certæ aliquæ usu recipi solent ceremoniæ.

LXIV. Quandoquidem autem tam odiosa fuit Gregorio VII. ejusq; Successoribus ejusmodi ab Regibus facta Episcoporum investitura, omne posuerunt studium Viri tum temporis erudit, quibus isti Pontificum conatus dispicebant, ut excusatum ritum istum redderent, & mollieribus interpretationibus ab injuria, quæ illi imputabatur, vindicarent. De Ivo ne paulo ante dixi, quibus distinctionibus eum juvare studuerit. Ei sub jungimus Waltherum Episcopum Namburgensem, qui integrum tractatam de investituris edidit, & in eo investituras illas non tantum ratione bonorum temporalium ad Ecclesias pertinentium fieri tradit, sed etiam ita accipiendas eas scribit, ac si ab ipso Petro aut auctoritate Petri eas collatas haberet, ideo, quod noviter electus in die consecrationis suæ baculum & annulum ponat super altare, & ex eo deinceps utrumq; recipiat. Verba sunt ista: *Nihil refert, sive verbo, sive præcepto, sive baculo, sive alia re, quam in manu tenerit, investiat aut inthronizet Rex & Imperator Episcopum. Quia die consecrationis veniens annulum & baculum ponit super altare, & in curam pastoralē singula accipit a stola & auctoritate S. Petri. Sed congruum magis est, quod per baculum, qui est temporalis & spiritualis præcedens investitura per Regem in fundis & rebus Ecclesiæ contra tyrannos & raptores quieta & pacificaret omnia.*

LXV. His vero omnibus nihil omnino commoti Pontifices, dum alius perspiciebant, & per investituras istas majus aliquod jus ab Imperatoribus exerceri observabant, rebus suis intendere pergebant majore studio. Plus enimvero, quam possessiones tantum alias, & Episcopatum omnino ipsum per investituras ejusmodi collatum fuisse, ostendunt formulæ antiquæ apud Marculfum Monachum lib. 1. num. 5. 6. 7. Vacante enim Ecclesiæ petere solebant cives a Reges suo: *Quoniam sanctæ memoria Vir Apostolicus ille, illius Urbis Episcopus, sine adpropinquante ab hac lucemigravit, tempore nature complenti, ne destitute sint, quod absit oves decadente pastore, in loco ejusdem suppliciter postulamus, ut instruere dignemini illustrem Vironum illum, aut venerabilem illum cathedræ illius Successorem Sc.* Hinc petitioni assensum dum præbet Rex, noviter electum Episcopum hac formulâ commendat Metropolitanus ad *χειροτονίαν* impetrinendam: *Et quia cognovimus, sanctæ recordationis dominum illum, Urbis illius Antistitem, evocatione divina ab hac luce migrasse: de cuius successore sollicitudinem congruam, unâ cum Pontificibus vel procuribus nostris plenius tractantes, decrevimus illustri Viro aut venerabili illi in ipsa Urbe Pontificialem in DEIn nomine committere dignitatem Sc.* Quæ sane formula

mula ipsius Episcopatus concessionem adscribere videtur Regibus, quippe qui committere aut conferre dignitatem Episcopalem dicuntur. Nec vana proinde est gloria, quam sibi tribuit Carolumannus in Synodo anno DCC XLII. celebrata, dum ait: *Et per consilium Sacerdotum & optimatum meorum ordinavimus per civitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium.* Unde & ipsi Episcopi sacrum hoc suum officium acceptum ferebant Regibus & Imperatoribus. Sic enim ad Robertum Franciæ Regem scribit Fulbertus Episcopus Carnotensis epist. 3. Succurrite sanctæ DEI genitricis Ecclesiæ, cui nos fideles vestros, quantum possumus, licet indignos, præesse voluistis. Et epist. 4. Ad vos tandem, dilectissime Domine, nostri adjutorii summa redit, cuius gratuitâ bonitate Præfulis honore fungimur.

LXVI. Diuturno scil. usu receptum apud Francos erat, ut quem Episcopum Rex elegerat, Metropolitanus ad præceptum ejusdem Regis ordinaret, ac benediceret. In supplementis Conciliorum Galliarum, quæ addidit Petrus de la Lande fol. 64. legitur Dagoberti Regis ad Sulpitium Archiepiscopum Bituricensem epistola, quâ petit ut Desiderium consecret in Episcopum Cadurcensem: *Ideò, inquit, nos cognoscite taliter decreuisse, ut in civitate Cadurca, ubi germanus ejus dominus Rufficus præivit, in locum ipsum, honorem Episcopatus in DEI nomine beat accipere, quia divinâ inspirante potentia talis nostra devotione manet, ut eos quos moribus ornatos & sanctis operibus dedito perspicimus, sicut est iste fidelissimus DEI & noster Desiderius, bos ad Episcopale culmen provebere debeamus, quia sic decet Regiam celsitudinem, ut quos cognoscit in DEI timore conversari, & fidem Catholicam integrè custodire, vel Evangelica precepta, omnimodis ad Pontificale officium studeat promovere &c.* Ad morem hunc provocat Karolus Calvus, in libello proclamationis, quem adversus Wenilonem Archiepiscopum Senonum exhibuit in Concilio Tullensi apud Saponarias: *Mibi, inquit, à domno, & genitore meo, pie memoriae Ludovico Augusto pars regni inter fratres meos Reges divinâ dispositione est tradita. In qua parte Regni vacabat tunc pastore metropolis Senonum, quam juxta consuetudinem prædecessorum meorum Regum, Weniloni tunc Clerico meo, in Capellâ meâ mibi servienti, qui more liberi Clericis se mibi commendaverat, & fidelitatem Sacramento promiserat, consensu sacrorum Episcoporum ipsius Metropolis ad gubernandum commisi, & apud Episcopos, quantum ex me fuit, ut eum ibidem Archiepiscopum ordinarent, obtinui &c.* Hinc igitur & Principes de jure hoc suo magnificè gloriabantur, & Episcopi ipsi haud inviti in epistolis suis id agnoscebant.

LXVII. Hæc autem & alia ejusmodi verba Pontificibus fuerunt suades in oculis, feceruntq; ut de juris hujus ademptione consilia caperentur. Videamus vero, quibus ex rationibus investituræ illæ primum impugna-

pugnatæ fuerint. In Concilio Romano anno Domini M LXXXVIII. ab Gregorio VII. habitu factum est hoc decretum: *Quoniam investituras Ecclesiæ contra statuta sanctorum Patrum à Laicis personis in multis partibus cognovimus fieri.* Ex eo plurimas perturbationes in Ecclesiæ oriri, ex quibus Christiana religio conculcatur; decernimus, ut nullus Clericorum investituram Episcopatus vel Abbatie vel Ecclesiæ de manu Imperatoris vel Regis, vel alicujus Laice persona Viri vel sc̄emina suscipiat. Quod si præsumperit, recognoscat investitram illam Apostolicā autoritate irritam esse, & se ad condignam usque satisfactionem excommunicationi subjacere. Pœna hæc Clerico tantum decernitur, qui passus fuerit ab Laico se investiri, nondum ea extensa tum fuisse videatur etiam ad investientes. Quanquam Leo Ostiensis cap. 41. statutum in hæc Synodo fuisse scribat, utrumq; plecti anathemate debere, & qui scilicet daret, & qui acciperet. Biennio autem post, anno videlicet M LXXX. in Concilio itidem Romano etiam Laicæ personæ cujuscunque conditionis expressis verbis eidem pœnæ subjectæ fuerunt. Decretum ita se habet: *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum vel quilibet secularium potestatum aut personarum investituram Episcopatum vel alicujus Ecclesiastice dignitatis dare præsumperit, ejusdem sententia vinculo se obstrictum esse sciatur.*

LXVIII. Duasigitur suæ prohibitionis causas refert Gregorius. Prima est, quod investiture illæ contra statuta Patrum frequententur. Intelligit autem canonem 22. Concilii Constantinopolitani IV. in quo statutum fuit, *neminem Laicorum Principum vel potentum semet inservere debere electioni vel promotioni Patriarchæ vel Metropolitæ, aut cuiuslibet Episcopi: ne videlicet inordinata hinc & incongrua fiat confusio vel contentio, praesertim cum nullam in talibus potestatem quenquam potestativorum vel ceterorum Laicorum habere conveniat &c.* Refertur apud Gratianum c. 1. § 2. dist. 63. At vero canonem illum Ivo Carnotensis haudquaquam accipere voluit de investiture aut concessionibus, ut loquitur, sed de electionibus tantum. Verba ejus adscriptimus supra. Sed nec tale fuit Concilium istud, ut canones ejus ab omnibus observati fuerint, quippe quos promiscue omnes approbare noluerunt Episcopi Gallicani, uti testatum facit Petrus de Marca *de concord.* lib. 2. c. 17. n. 3.

LXIX. Altera Gregorii ratio est, quod observatum fuisset, plurimas ex Laicorum investiture ortas in Ecclesiæ perturbationes, & Christianam Religionem per eas conculcatam. Sed quæso ego, an justam putare licet hanc causam, tanti ut in universâ Europâ excitari debuerint tumultus? Fateamur enim verò, corruptelas aliquando investituras polluisse, & natas subinde in Ecclesiæ fuisse perturbationes, quis inde concludet, Regum jura universalia quodam dictatu aboleri & manu armatâ eripi debuisse?

Gene-

Generale est inter eruditos axioma, propter abusum non tollendum esse usum rei. Idcirco monendi fuissent prius Imperatores, Reges, Principes, ut investituris non aliter, nisi recte, justè, piè & secundum conscientiam uterentur, quam ut commoto toto Occidente tantæ Christianorum inter se strages ederentur, si modò justa hæc fuisse bellii suscipiendi materia. At verò hæc, quæ ab Gregorio data fuit decreti sui causa, *ac^eφανται* tantum fuit, & prætextus merus; vera autem *alibi*, cupidio imperii & infinitæ potestatis; cui accedebat spes magna facilitatis concepta ex Henrici adversâ fortunâ, post excommunicationem penè ab omnibus deserti, & intra Canusiana mœnia per triduum facti supplicis. Dum igitur Simoniam tollere se simulat Papa, dum Ecclesiæ salutem intendere se profitetur, Romanam sedem evahere & Imperii majestatem destruere omnibus modis annititur. Ingenua est confessio Onuphrii in vit. Gregorii VII. quod per decreta ejus non tantum Imperator Henricus IV. sed & omnes Reges petiti, deinde Episcopi & universus clerus Gallicus, Germaniæ & Italiæ, *majestas quoque & dignitas imperii Romani* everfa, quodq; longe plus erat, ea fundamenta jacta, quibus illius potestas omnino labefactabatur.

LXX. Sed fuitne tam vitiosa & flagitiosa Henrici vita, ut tam acerbam animadversionem mereretur? Non omnes in hunc censum venire debent pravitates animi, quibus ille contaminatus forte fuit, sed solæ illæ, quibus pollutæ fuerunt investituræ Episcoporum ab eo factæ. Hic vero ipsum audiamus Imperatorem aduersus accusatores suos te defendantem, & Simonia eum argentes fortiter redarguentem, quod his verbis refert Helmoldus. *Moguntinus, Coloniensis, Wormatiensis à Principibus missi* venerunt ad Regem in curia Regia Higeshem, dicentes: *Fac nobis reddi coronam, annulum, & purpuram, ceteraque ad investituras Imperiale pertinentia filio tuo deferenda.* Imperator querit causam. At illi. *Quid queris ea, quæ optimè nosti?* Scis de schismate longo, scis, quiditer Episcopatus, Abbatias & cetera omnia feceris venalia, & quomodo non sit electionis in rectoribus quibusq; consti- tuendis, sed sola pecunia habita ratio. Pro iis & similibus sanxit autoritas Apostolica & favit Principium unanimitas, te & regno & communione fidelium privandum. Quibus Imperator: *Vestra potestas est hæc mibi imponere & crimen impingere.* Dic tu Moguntine, adjuratus per nomen æterni DEI, quid exegimus vel recepimus à Te, cum te Moguntia p̄fecimus? Tu quoq; Coloniensis similiter? Illis autem fatentibus nihil pecunia aut oblatum, aut requisitum, aut acceptum hujusce rei gratiâ; Rex ait: gloria DEO. Similiter & de Wormatiensi. Et iterum Rex: dignam ergo pro beneficiis nostris nobis rependitis gratiam. Eoq; facit porro, quod plerique Scriptores Henrico parum æqui non tam Simoniam, quam alia ejus virtus perstringunt, & ipsum jus Regium investitura- rum impugnant, non tam abusum, quam usum ipsum insectantes.

LXXI. Et quæ verò Sedes Episcopalis Simoniâ magis affecta fuit, quam ipsa Romana? Eò tūm Pontificatus devenerat, inquit Platina (in vita Silvestri III. qui triginta annis Gregorium VII. antecesit,) ut qui plus largitione & ambitione, non dico sanctitate vita & doctrinâ valeret, is tantummodo dignitatis gradum bonis oppressis & rejetis obtineret, quem morem utinam aliquando non retinuissent tempora nostra. Sed hoc parum est, pejora, n̄ DEUS caveat, visuri aliquando sumus &c. Idem hoc Simoniæ vitium ipso hoc seculo undecimo in Ecclesiâ Romanâ invaluisse notat Glaber Rudolphus hist. lib. 5.c. 5. Ipso quoq; in tempore, inquit, Romana sedes, quæ universalis jure habetur in Orbe terrarum, præfato morbo pestifero per viginti quinque annorum spaciā miserrimè laboraverat &c. Et Ivo Carnotensis epist. 133, in quâ purgat Ecclesiam suam ab imputato Simoniæ vitio, Si autem, inquit, hanc pestem radicitus evellere non valeo, non tantum invaletudini meæ hoc imputandum est, quia ad hoc ab origine nascens Ecclesia Romana Ecclesia laboravit, nec à gremio etiam suo tales sua querentes penitus prævaluit eliminare. Imò verò Gregorio VII. melior omnino fuit Henricus Imperator, quippe qui, quos nosset Episcopos Simoniacos, officio movit, Hildebrandus vero, expulsos à Rege Simoniacos relocabat, & quos Regi infestos reddiderat, eos sibi familiari amicitia reconciliabat, & multis & magnis juramentis sibi vincitos & obnoxios efficiens, præ aliis exaltabat. Utī ait Benno Cardinalis in descriptione vit. Hildebrandi.

LXXII. Cæterū neque hoc quidem dissimulandum est, promotos sœpè fuisse ab Imperatoribus & Regibus eos, qui toti ab aulâ penderent, quique divinam gloriam minus quererent, quam principum gratiam, & infami adulazione officium sanctissimum conspurcare non erubescerent. Nicephorus Gregoras sub Andronico Imperatore Gerasimum Patriarcham Constantinopolitanum memorat Virum simplici ingenio fuisse, sed qui ob inscritiam ad Imperatoria obsequia aptissimus esset. Addit eleganter Gregoras: Διὰ γάρ τέτοιο τοιότερος οἱ βασιλεῖς εἰς πολὺν τρόπον ἀρχαῖ, ἵνα τοῖς τέτων εὐχεροῖς τακτικῶις τετέλευτησι, καθάπερ ἀνθράποι, οὐ μηδὲν τῶν ἀπάντων ἐνάντια Φρονῶτι, solere Reges dignitates ejusmodi talibus hominibus committere, ut obsequentes sibi habeant, perinde ut mancipia, neve esset, qui mandatis suis contradiceret. At verò, cum Ecclesiæ & sacrorum cura ad Reges etiam & Imperatores speciali quodammodo pertineat, quid absurdius est aut iniquius, quam si vitiorum occasione, aut quia Princeps aliquis occurrat, qui tantâ potestate abusus sit, Regalia ideo jura viali, & veteres Ecclesiæ regulas everti patiamur? Itaque si quod schisma inter prælatos, vel si vacantis Ecclesiæ defectus aliquis contingat, Principes Ecclesiasticis dignitatibus præ cæteris consulere & pacem Ecclesiæ procurare oportet.

LXXIII. Uri

LXXIII. Ut verò diversis temporibus diversimode le habuit procedendi in hoc negocio modus: ita probari extra casum necessitatis planè non potuit, sicuti Princeps solus, exclusâ omni reliquâ Ecclesiâ, Episcopos constitueri ius non tam vindicavit sibi quam rapuit. Aliquando scilicet Principes ipsi eorum, quos promoveri vellent, nomina populo proponebant. Et tūm, nisi adulatore consentiret populus, sed liberè suffragia sua exponeret, non poterat electio talis improbari. Aliquando post cleri ac populi decretum eorum voluntas expectabatur, qui modus communisfimus erat, & omnium optimè se habebat, quod ita utrinque libera magis existarent suffragia. Aliquando coniungebantur duo illi actus, & eodem tempore desiderium populi & voluntas Principis ad electionem peragendam concurrebat. Quæ procedendi ratio unicum hoc videtur continere incommodum, quod præsente principe populus eligere ferè soleat eum, quem Principi gratum & acceptum esse noverit. Aliquando verò electionem summam ad se revocabant Principes, sibique unis jus istud vindicabant. Quod quidem nec ipsum, si ad vitandos tumultus suscipiebatur, non omnino improbari poterat, cum in ejusmodi populi dissensionibus sœpe nullus planè sperari potest exitus; Sed quia intra modum illum Principes sese non semper continebant, nec pro innata ingenii humani cupiditate supremum istud arbitrium intra terminos suos coerceri, facile poterat, sœpe illud, nullo existente discrimine, nullâ urgente necessitate, in simplex & absolutum vertebarit imperium, Regesq; adeo sublatâ à clero & populo electionem libertate, Rescriptis suis Episcopatus concedebant, etiam invitis & repugnantibus populis. Id quod plurimis exemplis probatum dedit Petrus de Marca *de concord. sacerd. & imp. lib. 8. cap. 9. & 10. Add. Hieron. Bignon. ad Marculfii form. pag. 451. seqq. Francisc. Juret. ad Ivon. Carnotens. epistola. 104.*

LXXIV. Absolutam hanc Principum in eligendis Episcopis præsumptionem, & jus imperiosum indignè sèpè ferebant Episcopi, quibus antiquæ Ecclesiæ confuetudines & constitutiones cognitæ erant, nec desinebant illi identidem istud fuggillare, & Principibus aurem vellicare, ut populo redderent, quod injuste abstulissent, jus suffragii. In operibus Hincmari Archiepiscopi Remensis extat epistola ad Ludovicum Regem, quâ petit, ut liberam Episcopi in Bellouacensi Ecclesiâ electionem fieri permittat, & acriter reprehendit eorum sententiam, qui putant, non alium eligi debere, nisi quem Rex fieri velit. Nam si, inquit, quod à quibusdam dicitur, ut audi vi, quando petitam apud vos electionem conceditis, illum debent Episcopi & clericus ac plebs eligere, quem vos vultis, & quem jubetis, (que non est divinae legis electio, sed humanae potestatis extorsio) si ita est, ut dici à quibusdam audivi, ille malignus spiritus, qui per serpentem primos parentes nostros in paradiso decepit. & inde illos

eject, per tales adulatores in aures vestras huc jibitat: quia hoc in scripturis tam veteris, quam novi testamenti non continetur, neq; in Catholicorum dictis, vel sacris canonibus, nec etiam in legibus à Christianis Imperatoribus & Regibus promulgatis hoc scriptum vel decretum invenitur, sed talia dicta in infernum evomuit. Scilicet non subjacent actus istiusmodi imperio, nisi quatenus quietem publicam labefactant, & protenus vitiosi fiuat, si qua eis infertur coactio. Recte hinc Fulbertus Carnotensis epist. 61. Quartum verò promovit proscriptio refrangentium clericorum & exorta timore electio, verum non electio. Nam cum sit electio unius de pluribus maximè complaciti secundum liberam arbitrii voluntatem acceptio, quomodo electiore rectè dici possit, ubi sic à Principe unus obtruditur, ut nec clero, nec populo, nec ipsis summis sacerdotibus ad alium defectere concedatur. Et Petrus Abbas Cellensis per allegoriam epist. 2. Prorsus inaudita miseria, si hanc necessitate materfamilias addicatur, ut non tanquam libera cui vult, nubat, tamen in Domino, sed cui respicit, non ns succumbat famulari, imò concubinatus obsequio. Ea propter Ivo Carnotensis, talem, qui per violentiam Principis consecrationem adeptus est, ne quidem pro Episcopo haberi debere contendit, epist. 27. & nec clericatu dignum, multo minus episcopali honore arguendum cenlet.

LXXV. Ut verò voluntas Principis ne infringeretur aliquando, & qui ab eo destinatus erat, securus in officio persisteret, neve esset, qui adversus illius honorem niteretur, soliti fuerunt Principes præcipuorum Episcoporum, qui in viciniâ erant, suffragia postulare, non tam, ut ad electionem ipsi concurrerent, quam, ut adprobarent taltem voluntatem principis & personam ab eo selectam. Perspicuum id fit ex Fulberti Carnotensis epist. 88. quâ Roberto Regi Francorum hunc in modum responderet: Ex parte Celsitudinis vestre dictum est nobis, quod dominum Franconem Parisiensi Ecclesie dare vultis Episcopum, & ad hoc peragendum nostrâ humilitatis habere favorem. Nobis autem videtur, quia si Episcopus, de quo agitur, aptus est Clericus, est optime literatus, & ad sermonem faciendum agilis, in quâ re omnes Episcopos decet esse, non minus quam in operatione potentes atq; disertos. Unde si hoc fieri posse Canonici Domini Archiepiscopi Senonensis & Coepiscorum nostrorum probavit sagacitas, nostrum etiam, qui de hâc discussione appellati non sumus, habetis assensum. Fuit Robertus iste, ad quem scripta est hâc epistola, ut ipse eum notat ejus filius Henricus apud Glabrum Rodulphum lib. 5. cap. 5. Simoniz vitio contaminatus, idque cum non ignorasset Fulbertus, noluit simpliciter consentire, sed aliorum potius fidem explorari.

LXXVI. In Hispaniâ post Concilium Toletanum XII. hoc est annum DCLXXXI. ex conventione & decreto istius Concilii speciale quid obti-

obtinuit. Antea enim Rex non prius Successorem in Episcopatu vacante deligebat, quam de obitudecessoris certior factus, & de persona præficiendi à Clero & plebe, quorum interim deliberatio habita & decretum factum fuerat, consultus esset. Exspectandum igitur erat quoad constaret, utrum decretum hoc suum à Rege confirmatum, an aliis aliquis ex Regis arbitrio constitutus esset. Poterat enim Rex suffragia Cleri & populi admittere, poterat etiam spernere, & aliis Episcopatum pro lubitu suo conferre. Quandoquidem vero proflus inutilis erat aliquando hæc ratione deliberatio & decretum Cleri & populi, & in Regis voluntatem totus ille actus tandem resolvebatur, tūm & propter itinerum difficultatem & ampla terrarum spacia longius aliquod tempus requirebatur, quam ut expediti negocium hoc commodè posset. Ecclesiarum verò vacatio interim protrahebatur, maluerunt Episcopi in dicto Concilio congregati Regis dispositioni & Episcopi Toletani judicio novi Episcopi constitutionem committere, quam antiquo illo procedendi modo ulterius insistere, ut optimè canonem sextum dicti Concilij explicat, & Garsiæ Loailæ interpretationem consutat Petrus de Marca de concord. lib. 8. cap. 10. n. 4. ¶ 5. Verba canonis à Gratiano c. 25. dist. 63. hoc ordine recensentur: *Cum longè lateq; diffuso tractu terrarum, com- meantum impeditur celeritas nunciorum, quo aut nequeat Regibus audientibus decedentis præsulis transitus notificari, aut de successore morientis Episcopi libera principis electio exspectari, nascitur s̄ape aut nostro ordini de relatione talium diffi- cultas, aut regie potestati, dum consultum vestrum subrogandis pontificibus sustinet numerosa necessitas. Vnde placuit omnibus pontificibus Hispaniæ atq; Galliciæ, ut salvo privilegio uniuscujusq; provincie licitum maneat, deinceps Toletano Ponti- fici quoscunq; regalis potestas elegerit, ¶ jam dicti Toletani Episcopi judicium di- gnos esse probaverit, in quibuslibet provinciis, & in praecedentium sedibus præfi- cere præfules & decedentibus Episcopis eligere successores: ita tamen, ut quisquis ille fuerit ordinatus, post ordinationis sua tempus intra trium mensium spaciū Metropolitani proprii præsentiam visuras accedat.*

LXXVII. Summa nostræ doctrinæ hæc est, non debere nec posse omitti in constitutione Episcoporum consensum principis, adeoque hunc omnino necessarium esse ad salutem tūm Ecclesiæ tum Rēpublicæ. Quod ut ulterius demonstretur, repetendum est ex capite antecedenti, invitis non esse dandum Episcopum, sed populi assensum concurrere debere ad electionem ejus, qui eidem plebi dandus est pastor. At verò princeps caput est populi, apex magistratum, & Cleri ipsius in externo regimine Episcopus. Quomodo ergo, si membrorum requiritur assensus ad aliquod negocium, non multo magis requiretur capitum? quippe, quod omnium membrorum non nobissimum tantum est, sed reliquis etiam imperio præstet, & normam agendi præscribit. Perpetuus est consensus inter caput & reliquum cor- pus.

pus. Nec potest alteri benē esse, alterutrum si dolet & malē affectum est. Interest ergo utriusque, suam pro modo suo conservare integratatem, sibiq; ipsi prospicere, ne ex culpā alterius damnum aliquod sentiat. Et hoc argumentum inter alia urget Ivo Carnotensis epist. 60.

LXXVIII. Deinde verō ad regimen Ecclesiasticum, quod Principi competit, in primis hoc pertinet, ut sacris præficiantur personæ idoneæ & removeantur, qui doctrina & moribus offendicula ponunt. Quia enim Majestatis etiam hoc est officium, ut in verâ religione subditos suos retineat, id autem commodius fieri nequit, quam si in eâ instituantur perpetuò & informentur, utique curare etiam debet, ut tales Doctores Ecclesiæ & scholis præficiantur, qui auditores suos ex Scripturâ sacrâ ad omne opus bonum instruant, quique vitæ sanctimoniam verâ, & non fucatâ pietate, populo exemplum præbeant. Magistratus præcipuum hoc est axioma, quod esse debeat custos utriusq; tabulæ. Idque non ita intelligendum est, quod coercere tantum debeat refractarios, ne his tabulis petulanter controveneriant, ne doctrinæ & cultui divino in sacris literis præscripto publicè contradicant, vel ab illo temerè se subtrahant, & vitam in flagitiis pessimè traducant, quæ sunt interdicta solum de non lædendo & non oppugnando; sed dicitur etiam Custos ob positivam & externam potestate proponendi, promulgandi & obligandi subditos luos ad doctrinam istam & cultum publicè propositum. Qui & ipse proponi aliter non potest, quam per ministerium Verbi & per pastores specialiter ad hoc negocium destinatos & in doctrinâ istâ probatos. Probatio autem ista cognita esse debet magistrati, ne quis Ecclesiæ præficiatur, qui lupi potius animum gerit, quam pastoris, aut alias minus habilis sit, ad officium tale gerendum.

LXXIX. Sed & interest Keip. quandoq; ne quis temerè in ordinem Clericalem recipiatur. In Concilio Aurelianensi I. quod anno DVII. celebratum est, hoc factum legitur decretum, c. 6. De ordinationibus Clericorum id observandum esse decrevimus, ut nullus secularium ad Clericatus officium præsumat accedere, nisi aut cum Regis iussione aut cum judicis voluntate. Id quare ita constitutum sit, discere licet ex Capitularibus Karoli Magni lib. I. cap. 120. ubi idem renovata constitutione lanscit: *De liberis hominibus, qui ad servitium DEI se tradere volunt, ut prius hoc non faciant, quam à nobis licentiam postulent. Hoc ideo, quia audivimus aliquos ex illis non tam causâ devotionis hoc fecisse, quam pro exercitu, seu aliâ functione regali fugiendâ. Quodam verò cupiditatis causâ ab his, qui res illorum concupiscunt, circumventos audivimus, & hoc ideo fieri prohibemus. Scilicet solebant quantumplurimi olim partim immunitatum Ecclesiasticarum illecebris accensi, partim etiam divitiis, quibus abundare tūm cōperunt Ecclesiæ, allecti, certatim quique ut immunitatibus potirentur, seque adeò ab militaribus officiis & muneribus sub-*

subducerent, vel etiam Ecclesiarum bonis sustentarentur, Clerici fieri. Quod quia in detrimentum vergebatur Reip. plurimis Imperatorum Constitutionibus, quarum nonnullæ in Codice Theodosiano de decurionibus extant, coerceri oportuit.

LXXX. Maximè verò considerandum hīc venit, quod sacrorum Antistites auditorum animos flexibiles in manu habeant, eosque sermonibus suis occupare, & quandocunque libitum fuerit, δημοσιων exercere queant. Et sunt aliqui tam copiosâ & concitata facundiâ prædicti, ut nunc hic, prout animi intentio fuerit, diversisq; dieris tempore, argumentis auditores flectant, & in suam sententiam veluti rapiant. In antiquitatibus Britannicis, quas evulgandas curavit Matthæus Parkerus Archiepiscopus Cantuariensis, in vita Gulielmi Warhami, illustre tale refertur exemplum, de Johanne Coletō Ecclesiæ Paulinæ Londinensis Decano. Ipsa ego referam verba, ut de hominis ingenio & arte dicendi fieri judicium queat. Proximâ tunc sequenti quadragesima Coletus die Veneris ante Pascha, qui à Pontificiis sanctus dicebatur jussu Archiepiscopi concionem coram Rege (Henrico VII.) habens docuit, quomodo sub Christi vexillis militandum Christianis fuerit. Eo tempore Rex in Gallos bellum parabat. Ac Coleius cùm de sedandis Principum discordiis, Christianisq; à bello revocandis multa, eaq; mirâ facundiâ protulisset, subjunxit, bis qui sub Christi vexillis pugnant Christi humilitatem, non Alexandri aut Julii Cæsaris aut similiū Imperatorum ferociam esse proponendam. Rex aliquanto turbatus ac veritus ne suorum Ducum ac procerum animos tam pie ac diferte orationis vi à bello in Gallos suscepto fletteret hc averteret, finita concione eum accessivit, --- eique suum de bello Gallico gerendo consilium & institutum indicavit, non se id sponte sed laetus itum & coactum ac ad Regni tutelam suscepisse. Proinde quamvis in concione de Christianâ pietate gerenda & omnis viru ita cupiditate deponenda eleganter atq; piè dixisset, ita ut suum ipsius animum in Gallos hostiliter affectum pene mitigasset, tamen quia hoc bellum necessitatis non voluntatis, nec illatio belli, sed Gallicane vis ac injurie repulso quedam esset, rogavit eum, ut altera concione se ac aulam suam de bello ad incolmitatem atque defensionem patriæ Christianis suscipiendo eadem orationis facultate, quā de humilitate tūm docuit, institueret. In quo Coletus non minus Regi quam Christo officium atque obsequium præstít. Nam de bello Christianis licito gerendo tantâ gravitate & eloquentiâ dixit, ut non modo Regem atq; Proceres ad bellum jam propenos, sed languentes atq; timidos contra Gallos tūm incenderet &c. His artibus dum non modo mirabilia, sed prodigii similia sæpè efficiunt antistites, dumque ob sanctitatem, quam præseferunt, populum sibi obsequentem habent, quis negabit in eorum designatione ad officium hoc publicum, Principis assensum necessarium esse? ut scilicet pacis & amantes constituantur, ut legibus Reip. adsveti, ut illi, qui boni cives sunt,

Qq

quiique

quiquestatu, in quo degunt contenti præsentia sequuntur, futura meliora expectent. Et fieri profectò potest, ut ne regnum quidem retineri posfit, nisi curet Rex, ut fidelissimos sibi atque obsequentissimos pastores habeat. Germanisanè Imperatores gravissimas dedere pœnas juris hujus abdicati, uti omnes testantur historiæ.

LXXXI. Est & alius titulus, quo Ecclesiasticarum personarum electionem vindicare sibi possunt imperantes, ipsum nempe jus patronatus in specie ita dictum. Quia enim tam profusa quondam in Ecclesias Principum quorundam fuit liberalitas & munificentia, ut cum summo imperii sui detimento in immensum aucta hodiè inveniatur potentia Episcopalis, saltem hujus dotationis respectu ex ipsis Principiis Juris Pontificiis nullo modo ab electione Episcoporum excludi poterunt principes patroni. Nam & jure æquum est, & honestati conveniens, quod in Ecclesiæ cathedrali vel Collegiali Prælatus electus ante institutionem, patrono ipsi cuicunque, etiam privato exhibendus sit, ut ipse patronus videat, sitne is conveniens & idoneus Ecclesiæ administrationi. Verba sunt Didaci Covarruviae in retect. ad c. *possessor de reg. jur. in 6. part. 2. §. 10. n. 5.* ubi ex hoc principio defendit regale Hispanicum, quod scil. Reges Hispaniarum habeant jus presentandi Episcopos, ideo, quia jus patronatus obtineant in Ecclesiis Cathedralibus, cum eas exererint construxerint, & amplis patrimonii dotaverint. Et tale jus patronatus transit ad filios & nepotes, quorum nomine intelliguntur pronepotes & cæteri descendentes, itaque jus patronatus transit ad heredes in perpetuum. Fernand. Vasqv. *illustr. controv. lib. 1. cap. 22.* Hoc argumentum validè urget Lupoldus de Babenberg tr. de Zelo Germ. vet. princ. cap. 8. Omnes, inquit, predecessores sui Reges & Imperatores non tam virtute disti privilegii, quam ex hoc, quod erant ut plurimum patroni seu dotatores Ecclesiarum cathedralium, & majorum monasteriorum Germaniae, investituras Episcopatum & Abbatiarum in ipsis Germaniae partibus, usq; ad tempora ejusdem Henrici facere consueverunt. Neque hoc novum fuisse dicit in sequentibus apud ipsos tantum, sed & Reges Hungariae & Burgundia & Anglia & Hispania, idem prorsus fecisse, addit.

LXXXII. Huc non minus pertinet etiam illud, quod primaria intentione donationis istiusmodi Regalis fine suo prorsus destitueretur, si nulla omnino Regibus circa constitutionem Episcoporum competenter potestas. Enimvero Carolus Magnus, uti scribit Gulielmus Malmesburiensis lib. 5. de gest. Reg. Angl. pro contundenda gentium illarum ferociâ, omnes pene terras Ecclesiis contulerat: consiliofissime perpendens, nolle sacri ordinis homines tam facile quam Laicos fidelitatem Domini rejicere. Præterea si Laici rebellarent, illos posse excommunicationis autoritate & potentia severitate compescere. Multum ergo interest, ut sciat Princeps, quis sit ille, qui Ecclesiæ præficitur, utque

utque certus sit de fide eius, cui tot populi committi debeant. Eaque propter specialibus constitutionibus Carolus obedientiam praestari voluit Episcopis, quibus pars regiminis concedita fuit, ut eo firmius suum esset imperium sub lacra hac tutela. *Precipimus inquit lib. 5. capitular. 163.* atque jubemus, ne forte, quod ab sit, aliquis circa Episcopos leviter aut graviter agat, quod ad periculum totius imperii nostri pertinet. Et c. 170. necessarium judicavimus omnibus precipere, ut honorem debitum venerabiliter Episcopis absque ullâ simulatione aut detractione impendant, eisq. in omnibus, ut patribus obedient.

--- Nam Episcopos & Sacerdotes, quibus omnis terra caput inclinat, per quos & nostrum pollet imperium, admodum honorari & venerari omnes monemus, nec eos lacerari, aut blasphemari, aut detrahi a quoquam volumus &c. Nec vitio igitur verti potuit Henrico IV. Imperatori, quod per legatum Archiepiscopum Trevirensem a Paschale II. Pontifice Episcopos ad le noviter electos mitti petierit, ut fidelitatis juramentum sibi praestent. *Nec mirum*, inquit Sugerius Abbas in vit. *Ludovici Crassi*, etenim civitates & castella Marchias, telonea & queq. Imperatoria dignitatis nullo modo aliter debere occupare.

LXXXIII. Accedebat aliquando ex statu Reip. ratio alia specialior, eaque valde prægnans, & quæ vel sola sufficere poterat ad consensum Principis exquirendum. Sic enim invaluerat in Regnis quibusdam, ut in Regnum consilia & consistoria atque Regni administrationem adhiberentur non alii serè, quam Episcopi, potioremq; Officialium numerum constituerent, ex quibus quidam Cancellarii, quidam justitiarii, quidam thesaurarii. Regni erant, alii alia Regis munera atque negotia procurabant. De quo equidem instituto, utrum id conveniat personis Ecclesiasticis, nolo nunc disquirere. Munus tale serio deprecatur Nicolaus de Clemangiis epist. 14. Sed commoda inde resultantia nomine Richardi Archiepiscopi Cantuariensis prolixè recenset Petrus Blesensis epist. 84. Ubi igitur talis consuetudo recepta est, non debet invito & repugnante Principe vel unicâ hac ex causa quisquam ad Episcopalem dignitatem promoveri, ne, si seccus obseratum fuerit, obtrudatur Principi in Rep. minister, à quo majus periculum extimescendum fuerit, quam ab hoste jurato aut perduelle aperto. Non admittit privatus aliquis famulum se invito sibi ab alio obtrusum, aut se ingenentem, cuius tamen res domestica in exiguum Orbem contrahitur, & angustis terminis continetur. Cur igitur non eodem jure eademq; potestate gaudeat Princeps, ex cuius ministerio tot hominum salus & incolumentas pendet?

LXXXIV. Possunt verò etiam aliæ subinde se ingerere causæ, propter quas ex solâ & unicâ Principis voluntate atque decreto institutio Episcopi fieri debeat. Nam sœpè erroris in Ecclesiam contra DEI verbum invecti aliter evelli nequeunt: sœpè schismata cavendi non alia præstò est

ratio: s^ep^e Cleri suffragia factionibus, popularis electio seditionibus, perturbatur. Quo rerum statu, quin ex decisione Principis unica salutis & Ecclesiasticae & politicae ratio utiliter obtenta fuerit, nemo dubitare potest, qui summo tenus tantum ore historiam delibavit Ecclesiasticam. Describit Ammianus Marcellinus homo gentilis lib. 27. in perpetuum Christianorum opprobrium cruentas discordantis populi seditiones, quibus abuli Damasus & Ursicinus ad rapiendam sedem Romanam, scisis studiis asperrimē conflictati sunt, ita ut in basilicā Siciinī uno die CXXXVII. reperta cadavera peremptorum fuerint. Et laudat deinde insignem Prætextati prudentiam, quā seditiones ista coercitae fuerunt. *Hec inter, inquit, Prætextatus prefecturam Urbis sublimius curans, per integratatis multiplices actus & probitatis, quibus ab adolescentiæ rudimentis inclinavit, adeptus est id, quod raro contingit, ut cū timeretur, amorem non perderet civium, minus firmari solitum erga judices formidatos: cuius auctoritate justisq; veritatis suffragiis tumultu lenito, quem Christianorum iugia concitarant, pulsoq; Ursicino, alta quies pari jam proposito civium Romanorum optime adolescentebat, gloria clari reboris plura & utilia disponentis.* Exempla alia, quibus necessaria prorsus fuit Principum intercessio, prostant pasim, & addi possent multo plura, si dubitare de iis liceret.

LXXXV. Ex dictis tria hinc conficio porismata. Primo, principes non habere hanc potestatem circa electiones Episcoporum ex concessione aut privilegio Pontificis Romani. In quo quidem facile consentientem haberemus Cardinalem Baronum, qui concessionem talem factam esse omnino negat, & ut supra ex eo audivimus, Sigebertum Gemblacensem, fraudis, imposturæ, dolii, licet conatu planè frustaneo, incusat. Sed rectius faceret ille, si sententiam reliquorum suorum sociorum propugnaret, cū hoc utique magis faceret ad Monarchiam Romanam tuendam, ut optimè ratiocinatur Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccles.* lib. 6. c. 7. n. 125. Qui vero ad concessiones Pontificum potestatem hanc Principum referunt, ex Hadriani & Leonis cum Imperatoribus Carolo & Ottone pactis conventis manifestam rem esse jactitant. Verum Marcus Ant. de Dominis *d. l. pacta ista rectissime ita interpretatur, ut fuerint proprii Principum juris recognitiones & admissiones cum remotione obstaculi injusti per prohibiciones perperam & indebet positi, ac declarationes, posse deinceps Principes suo jure uti, & se nolle id amplius impedire.* Dixi supra, in decreto Hadriani nihil novum esse praeter juris Regii extensionem ad eas partes Italæ, in quas jus Pontifici Romano erat, & ut Carolus insuper potestatem haberet eligendi Pontificem Romanum ipsum. At neque hoc quidem videtur ex concessione pontificia resultasse, nisi per consequentiam, & quantum fluit ex principatu, quem Karolus in Urbem Romanam & provincias

Papæ

Papæ subjectas ex concessione Pontificis impetravit. Simulatque enim Adrianus Papa Carolum Patrium & Leo VIII. Ottonem Augustum & Imperatorem agnoverunt, quibus summa jam' maiestas in Urbem Romanam & illius provincias, quas Romana Ecclesia principum dono possebat, cum patritii & Imperatoris nomine competenteret, non potuit sanè regimē istud aliter exerceri, nisi cum pleno jure isto regio, quod in Episcopos competit. Cui enim jurisdictione data est, ea quoq; concessa esse videntur, sine quibus jurisdictione explicari non potuit *l. 2. ff. de jurisdictione*.

LXXXVI. Sequitur secundo, Regale hoc competere principibus jure proprio & vi ipsa maiestatis, quā possent. Licer enim Republicæ administratio a numine divino eum in primis ob finem Principibus concreta sit, ut tranquillitatem publicam procurent atque conservent, & sufficere videatur, ut cives inter se quiete vivant; tamen quia cives in officio suo erga se & erga Principem non arctiore vinculo alio, quam religionis cultu, adstringi possunt, inde est, quod ipsa natura duce in nobiliores has curas ventur Principes, studiumque suum eo intendant, certe intendere debeant, ut cives ad felicitatem æternam prosequendam excitant. Idq; non poterunt assequi viam commodiore, quam si per Episcopos, quae ad fidei sinceritatem & mores componendos pertinent, populis denunciari faciant. At hic multum interest, ut supra exposui, tales in Ecclesiis constitui Episcopos, qui contineant se intra cancellos vocationis suæ, quiique tam in prosperis quam adversis pie, prudenter, mansuetè ac patienter se gerere, populumq; sibi concreditum in obedientia debitâ conservare queant.

LXXXVII. Tertiò etiam hoc inde sequitur, non potuisse Imperatores & Reges juri huic renunciare. In Senatu Burdegalensi disputatum fuit aliquando, ut refert Nicolaus Boërius *decis. 31.* utrum Imperatores Ludovicus, Henricus primus, & Otto I. quibus & eorum prædecessoribus scil. Carolo Imperatori & Regi Franciæ & suis successoribus fuerat concessum per Adrianum & Leonem privilegium instituendi Romanos Pontifices, ut fine eorum voluntate & consensu eligi non possent, potuerint de facto tali renunciare privilegio? Quæstio hæc haud paulo aliter formari debuisset, si & fidei historicæ & politicis rationibus respondere debuisset. Breviter, queritur: utrum Princeps juri constituendi ministros Ecclesiæ renunciare queat? Ubi dum in utramq; partem disputat Boërius, non attendit ad ipsam formam regiminis hoc pertinere, ut circa sacra & Ecclesiastica, potissimum quod disciplinam externam concernit, perinde veretur princeps, ac circa civilia & administrationem secularem. Ut ergo non potest renunciare Rex regiminis, ut est totum aliquod potestatum sub hoc modo, ut maneat Rex; ita nec potest renunciare parti regiminis, hoc est, potestatis Ecclesiasticæ, quæ ipsi competit, & ad constituendum regimen concurrit. Potestas enim

Qq 3,

enim

enam Ecclesiastica & civilis in personā principis una eademq; est, & ratione objecti tantum distinguitur, nec licet proinde salvo regimine à potestate principis objectum aliquod eximere. Quæ eadem ratio est, quod nullo argumento excusari possit exemptio Clericorum, cum adversum hoc planè sit regimi publico, ut status in statu formetur, & in Rep. sint, qui non sint membra Reip.

LXXXVIII. Cognata investituris, de quibus hactenus diximus; & non minore cum contentione agitata inter Reges & Pontificem Romanum fuit controversia de juramento Regibus ab Episcopis præstanto. Hominium id aliquando dictum fuit, quandoq; hominiscum, ut plurimum verò homagium. Solebant enim Episcopi olim fidelitatem Regibus juramento promittere, & quidem hâc solennitate, ut manus jungerent & supponerent, quandoquidem manus communiter pro symbolo fidei habebatur. Vid. Francisc. Juret. ad Ivon. epist. 54. Quapropter, ut de Episcoporum fide certi essent Reges, solebant illi manu exterrâ & suppositâ eam promittere & juramento firmare. Vid. in primis Stephanus Baluzius ad Agobard. pag. 122. seq. Id verò non minus atque investituras indignè ferentes Pontifices permettere amplius noluerunt. Primus id prohibuit Gregorius VII. Ut *Clericus à Laico nunquam justificetur*, inquit, *nec pro terrâ, nec pro aliis rebus, quas ab illo teneat, nec sibi hominatum faciat; sed omnino, quæ ab eo tenet, sibi antequam ullam patiatur injuriam, dimittat.* Eum lecutus Urbanus II. in synodo Claramontanâ similiter edixit can. 17. Ne Episcopus vel Sacerdos Regi vel alicui Laico in manibus ligiam fidelitatem faciat. Idem repetit Paschalis II. Papa in Concilio Lateranensi: *Patrum, inquit, nostrorum decreta renovavimus, sancientes & interdicentes, ne quisquam omnino Cle- ricus hominum Laico faciat.*

LXXXIX. Ne verò temerè prohibitionem istam factam quis dicere, conquisitæ sunt rationes, sed quæ non tam ipsum promissæ fidelitatis actum, quam ritum aliquem extrinsecus adhibitum odiosum redderent. Sic enim refert Rogerius Hovedenus annal. part. I. ann. 1099. Urbanus Papa tertid bebbomada pasche magnum concilium tenuit Romæ, in quo excommunicavit omnes Laicos investituras Ecclesiarum dantes. Omnes eisdem investituras de manibus Laicorum accipientes, nec non omnes in officium sic dati honoris consecrantes. Excommunicavit etiam eos, qui pro Ecclesiasticis honoribus Laicorum homines fiunt, dicens nimis execrabile videri, ut manus, que in tantam eminentiam excreverunt, ut quod nulli angelorum concessum est, DEU M cuncta creantem suo signaculo creent, & eundem pro salute totius mundi DEI Patris obtutibus offerant: in hac ignaviam vel stultitiam detrudantur, ut ancille fiant earum manuum, que diebus ac noctibus obscuris contactibus inquinantur, five rapinis ac injuste sanguinis effusioni additæ maculantur. Et ab omnibus est acclamatum: fiat, fiat, & in his con-

consummatum est Concilium Eccl. Eandem rationem adduxit Papa Paschalis II. per interpretem Episcopum Placentinum, cum Trevirensis Archiepiscopus nomine Henrici Imperatoris in veteratum jus de investituris & fidelitatis juramento allegasset: *Si sacras, inquit, Dominico corpori & sanguini manus, laici manibus gladio sanguinolentis obligando supponat, ordinis suo & sacre unctioni derogare.* Et Episcopi provinciae Remensis in epistola, quam scripserunt è Synodo Carisiacensi ad Ludovicum Regem Germaniae: *Manus enim chrismate sacro perunda, que de pane & vino aqua mixto per orationem, & crucis signum conficit corpus Christi sanguine sacramentum, abominabile est, quicquid ante ordinationem fecerit, ut post ordinationem Episcopatus seculare tangat ullo modo sacramentum.*

XC. Sed enim, si sola ista ceremonia externa, quā manus manui subiecatur, odium sustinuit, potuisset me quidem judge ea securè omitti. Responderi enim tūm idem potuisset, quod Ivo Carnotensis rescribit ad Abbatem majoris monasterii, cum is à Metropolitano suo urgeretur, ut datā dextrā confirmaret plenam obedientiam quam ore promiserat: *Non major, inquit, mibi videtur obligatio manus, quam oris.* epist. 234. Et sitam abominanda est ista manuum Clerici & Laici iunctio, cur non æquè prohibita est inter eos salutatio, quæ fit per dationem & acceptiōem manus? At profectò non tam ceremoniam istam detestabantur Pontifices, quām ipsum juramentum fidelitatis, quippe per quod etiam Imperatori subjecti essent, cū tamen totum & universum clerum à te solis dependere, sibique unis obtemperare debere quām maximè cuperent. Videntur ergo ceremoniam illam, ut minus decentem & ab officio Clericorum alienam, primum impugnare voluisse, ut si ex voto omittetur ea deinceps, ipsum totum juramentum successu temporis evanesceret, & ab Imperatoribus negligeretur. Hac enim eādem intentione etiam externam investituræ ceremoniam, quæ fiebat per baculum & annulum, suggillabant, ut eo commodiū ipsa deinceps investitura abrogari posset. Et connexæ plerumque tūm temporis erant duæ illæ controversiæ de investituris & de homagio, cum ex utraque isto per Regio-impediretur, quo minus augeri posset, potestas papalis.

XCI. Non minus autem difficiles se præbuere Reges circa remissionem homagii, atque circa investituras. Quæ intercesserint lites inter Henricum Angliæ Regem & Anshelmum Archiepiscopum Cantuariensem docere nos potest Wilielmus Malmesburiensis de gest. Pontif. Anglor. lib. 1. cuius inter alia hæc sunt verba: *Verumtamen cām Rex more Antecessorum suorum ab Archiepiscopo hominum interrogaret, & ille pro excommunicatione Rome facta differret, missi Romam ab utrāq; parte nuncii. Jubetur interim Regi hominum facere, vel absolutis morarum nexibus regno excedere. Quin potius, respondit ille, insuffiantur Apostolicae literæ, & quod tenor earum continet, fiat. Redierant*

dierant enim jam Romā nuncii, & casso labore semitam triverant, quod. Paſchalis Papa ſententiā antecellorū ſui invictō robore tuebatur. Quid ad me de literis Apostolicis? ait Rex. Jura Regni mei nolo amittere. Exitus ejus contentio-nis hic fuit, ut post longas contradictiones acquiesceret tandem Paſchalis Papa in permissione hominii. Sic enim idem Malmesburiensis lib. 2. Dire-cti Romam Legati controverſiam tot annis agitatam singulari probitate ſedarunt. Concedit ſquidem Papa, ut Rex homagia de electis acciperet, ſed nullum per bacu-lum & annulum investiret.

XCII. In Galliā eodem modo reſiſtebat poſtulatis Papae Ludovicus Crassus. Quæ inter eum & Radulfum electum aut à Paſchali Pontifice po-tius intruſum Metropolitanum Ecclesiæ Remensis interceſſerint conten-tiones, ſuprā expoſuimus. Eas ut componeret, ſummo studio laborave-rat Ivo Carnotensis cum Theobaldo, Priore cujusdam monaſterii Parifi-enſis. Quid autem effecerit, ipſe refert epift. 190. ad Paſchalem Pontificem. Adquievit, inquit, tandem precibus noſtris (ſcil. Rex) & concesſit, ut euñ ad cu-riam ſuam, que Aurelianis in Natali Domini congreganda erat, ſecurè adducere-mus, & ibi cum eo & cum principib⁹ Regni de hoc negoſio, quantum fieri poſſet, ſalvā regni integritye traſtaremus. Factum eſt ut conditum erat; & conve-nientes in curiam multiplicatis interceſſoribus petitionem noſtram ſemel & ſapiens replicavimus. Sed reclamante curiā plenariam pacem impetrare nequivimus, niſi p̄dictus metropolitanus per manū & ſacramentū eam fidelitatem Regi faceret, quam p̄deceſſoribus ſuis Regib⁹ Francorum ante a fecerant omnes Re-menses Archiepifcopi & ceteri regni Francorum quamlibet religioſi & ſancti Epi-scopi. Quod per uadentibus & impellentibus totius Curiæ optimatibus, eti propter mandatorum rigorem minūs licebat, factum eſt tamen, quia Ecclesiastica paci & fraterne dilectioni ſic expediebat.

XCIII. Cum verò ita multifaſiam impedirentur conatus Pontificum Romanorum, confugiendum illis fuit ad distinctionem inter juramentum fidelitatis & homagium, ita ut illud quidem Epifcopi p̄fſtare tenerentur, non verò hoc, ut ſci. polluerent manus suas, quod homagium non niſi manu manui ſubjectā perficeretur. Hanc distinctionem proposuerunt Friderico I. Imperatori Legati Pontificis Hadriani IV. apud Radevicum lib. 2. Epifcopos Italiæ ſolū ſacramentum fidelitatis ſine hominio facere debere Domino Imperatori. Sed respondit Imperator: Epifcoporum Italiæ ego quidem non affeo hominum, ſi tamen & eos de noſtris Regalibus nihil delectat habere. Qui ſi gratanter audierint à Romano P̄fſul, quid tibi & Regi? conſequenter quoq; eos ab Imperatore non pigeat audire, quid tibi & poſſeſſioni? Credebat Ponti-fex, diſtinzione hac oblatā facilius ſibi aſſenſum Imperatorem. Antea enim haud paulo durius ad eum ſcriperat his verbiſ: Quid dicam de fideli-tate beato Petro & nobis à te promiſa & jurata, quomodo eam obſerves, cūm ab

iis

īis qui dīi sunt & filii excelsi omnes (Episcopis videlicet) homagium requiri, fidilitatem exigis, & manūs eorum sacramas manibus tuis innectis. Ei verò eādem acerbitate tūm respondit Imperator: Ab iis autem, qui dīi sunt, per adoptiōnem & regalia nostra tenent, cur homagium & regalia sacramenta non exigamus? Cū ille noster & vester, institutor ab homine Regenbil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, qui pro se & Petro censum Cesarī persolvit, & exemplum vobis dedit, ut ita faciat, doceat vos, dicens: Discite à me, quia mitis sum & bimilis corde. Aut igitur regalia nostra nobis dīmittant, aut si hēc utilia judicaverint, quæ DEI, Deo, quæ Cesaris, Cesarī persolvant &c. Utraque epistola habetur in appendice incerti Autoris ad dicti Radevici libb. de gestis Friderici I.

XCIV. Sanè juramentum fidelitatis distingui aliquando solet ab homagio, quod hoc ab omnibus subditis, illud verò ab illis tantūm præstetur, qui feuda & beneficia possident, quanquam utrumque sèpè concurrere soleat, si vasallus scil. simul subditus fuerit. Quod si ergo Episcopi feuda habent à Regibus, illorum respectu rectè ab iis exigitur vasallagium; Si verò subditi fuerint, tenentur propter conditionem hanc suam juramentum fidelitatis aut subjectionis præstare. Idcircò in Conciliis non Hispanicis tantūm, sed Gallicanis etiam sèpè fit mentio juramenti fidelitatis, ab Episcopis præstati, ad quod servandum illi perinde, ut alii subditi, admōnentur. Nec aliter conceptæ erant formulæ, nisi quæ communiter edi solebant, uti testatur juramentum, quod Hincmarus Remensis Archiepiscopus edere jussus est apud Pontigonem, quod habetur in ejusd. operibus tom. 2, num. 61.

XCV. Verum enim verò obligent sibi Reges & Principes Episcopos suos, ut velint, adstrictissimè, prævalebit tamen apud eos juramentum, quod præstandum eis præponitur Romæ. Formula ejus præscripta est in c. 4. &c. de jurejur. Ali quanto auctior est ea, quam præstitit Henricus Deus Archiepiscopus Cantuariensis his verbis: *Ego Henricus Archiepiscopus Cantuariensis ab hac hōrd ut antea fidelis & obediens ero beato Petro, sancto eq[ue] Apostolice Romana Ecclesiæ, & Domino meo Domino Alexandro Pape VI. suisq[ue] Successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu vel facto, ut vitam perdant vel membrum, seu capiantur malâ captione. Consilium verò quod mibi credituri sunt per se aut nuncios ad eorum damnum me sciente nemini pandam. Papatum Romanum & Regalia S. Petri adjutor eis ero ad retinendum & defendendum salvo meo ordine contra omnem hominem. Legatum Sedis Apostolice in eundo & redeundo honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apostolorum limina Romana Curia existente citra Alpes singulis annis, ultra verò montes singulis bienniis visitabo, aut per me aut per meum nuncium, nisi Apostolica*

Rr

absol-

374 CAP. II. De Jure Principis circa electionem Episcoporum.

absolvat licentia. Possessiones vero ad mensam mei Archiepiscopatus pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo inconsulto Romano Pontifice. Sic ut me DEUS adjuvet, Et hoc sancta DEL evangelia. Profecto non alias auctius obligari posset vasallus Domino suo, quam per talem aut non multum dissimilem juramenti formulam.

XCVI. Notat autem Marcus Antonius de Dominis de *Rep. Eccles.* lib. 4. c. 7. n. 52. juramento isto solos ab initio Episcopi Romani suffraganeos illi ut Metropolitano suo fuisse adstrictos. Inde vero ab reliquis etiam universi Orbis Episcopis fuisse exactum, & sic effectum, ut Papa omnium Episcoporum Monarcha agnosceretur. Quin & Archiepiscopi praestare jubentur fidelitatis & obedientiae juramentum c. 4. §. de elec. Imo ipsi etiam Patriarchae, qui in eodem dignitatis gradu cum Episcopo Romano consistunt, tali juramento fidem suam adstringere jubentur, c. antiqua 23. §. de privileg. His scil. artibus coerceri oportuit potestatem Regum & Principum, quâ sibi subditos volebant esse Episcopos, & hoc religionis vinculo continere & connectere necesse fuit, quæ dissolvi alias facile potuisset, monarchiam Ecclesiasticam.

XCVII. Autor ejus formulæ, quæ in d. c. 4. §. de jurejur. extat, fertur esse Gregorius VII. qui idem, uti supra diximus, prohibuit deinceps, ne quis Episcopus homagium Regibus praestaret. Et sic igitur, quod Regibus olim debebatur, ad se transtulit, ut eo felicius succresceret, quod diu animo versaverat, imperium papale. Supra audivimus, quâ ratione Gregorius hic extorquere conatus fuerit Imperatoribus jus investituræ, quod infinitis antea aëtibus exercuerant. Utque instituti hujus sui rationem aliquam & autoritatem proferre posset, provocavit ille ad Concilium IV. Constantinopolitanum, quod Oecumenicum VIII. vulgo dici solet. In illo namque can. 2. § 22. constitutum fuerat, neminem Laicorum Principum vel potentum semet inservere electioni vel promotioni Patriarchæ vel Metropolitæ aut cuiuslibet Episcopi debere. At verò in eâdem Synodo constitutum etiam legitur, can. 8. ne Patriarchæ ab Episcopis alias sponzionem exigerent, quam eam, quæ fieri consvererat, quâque promittere solebant, veram se fidem servatueros. Cur ergo non perinde etiam Gregorius hanc patrum autoritatem fecutus fuit? Cur ille ab eo, quod Antecessor per Legatos suos improbabvit, planè diversum nunc statuit, & non sponzionem simplicem sed juratam exigit? Nempe non debuit sibi hoc usurpare Photius Patriarcha Constantinopolitanus, quod ad Monarchiam stabiliendam faceret, ne impediretur in eâ exædificandâ Episcopus Romanus. Denegandum igitur erat illi hoc axioma, quod rectius suo tempore sibi vindicaret Gregorius cum Successoribus suis.

CAP. III

CAP. III.

De Jure patronatus.

I.

Breviores erimus in hâc tractatione, à quâ abstinere potuissimus omnino, eò quod Canonistæ hodierni in Ecclesiâ Collegiatâ, cuius species est Cathedralis, jus patronatus non admittant quoad præsentationem Rectoris, licet illi locum faciant quoad honores, & similia. Didacus Covarruvias in *relect. c. possessor de R. J. in 6. part. 2. §. 10. n. 3.* Sed & extra personam Rectoris & ejus prælaturam, nolunt excludere jus patronatus, quoad alia beneficia inferiora. Rationem differentiarum reddunt istam, quia in Ecclesiis Collegiatis prælatus eligitur, istaque electio est quid merè spirituale, spiritualia autem non cadant in Laicos. Rochus de Curte *de jure patron. verb. in Ecclesiâ. n. 4.* Et quia adeò in beneficiis inferioribus non proceditur per viam electionis, facilius hinc in iis locum invenire ajunt jus patronatus. At verò si negocium hoc ex principiis suis aestimari & expendi debeat, datas assertiones meras esse præsumptiones, ut Tertulliani verbo utar, facile constabit. Nec enim concedimus, electionem esse quid merè spirituale, neque concedimus, spiritualia non cadere in Laicos, neque, inferiores ordines non conferri debere per electionem. Principia hæc sunt nullibi probata, nec admissa.

II. Didacus Covarruvias *d. l.* statuit, eo ipso quod Ecclesia Collegialis constituitur, simul dari & competere ipsi Collegio jus eligendi sibi prælatum, per *c. 1. §. de elec. & patronum* adeò Collegiam Ecclesiam institutentem sibi imputare debere, cum legem illam accipere teneatur, quæ ipsi actui jure inest. At verò ex positione unius argumentari non licet ad exclusionem alterius. Nec enim ex textu constat, agere in eo Lucium Papam de Ecclesiâ patronatâ. Imò verò si in Ecclesiâ Collegiatâ ab electione excludi non debent parochianî, multo minus patronus, cui potius jus competit, excludi potest, aut debet. Parochianos autem adhiberi ad electionem presbyteri in Ecclesiâ Collegiatâ debere constat ex matrice *d. c. 1. quam edidit Antonius Augustinus in antiqu. collat. 1. c. 1. b. t. ex quâ suppleri debet, quod in Raymundi compilatione deficit.* Sic autem habent verba: *Nullus in Ecclesiâ, ubi duo vel tres fratres in congregatione fuerint, eligatur presbyter, nisi eorum electione, & convocatis eisdem etiam parochianis, atque in unum consentientibus &c.* Nec verò pugnare cum statu Ecclesiæ Collegiatæ præsentationem prælati à Patrono factam constat ex eo, quod Covarruvias ipse *d. l.* admittit, patronum Laicum jus eligendi prælatum habere posse, si tempore constructionis Ecclesiæ aut dotationis id jus ex

Rr 2

con-

consensu Episcopi excepit sibi. At vero quid opus est tali exceptione, si verum est, jus hoc acquiri per ipsam ædificationem & dotationem, uti statuunt Canonistæ per c. 25. *X. de jur. patron.* Stante hoc jure, quorsum exceptur Ecclesia Collegiata? aut, ut etiam hæc juri communi substet, quorsum alia nova contraria exigitur exceptio vel reservatio. Nihilominus tamen usita observatum fuit, uti patet ex Innocentii III. lib. 1. epist. 21. ubi Marchio Brandenburgensis in fundatione Ecclesiae conventionalis ipsum jus præsentandi prælatum sibi reservavit; quam epistolam propterea miram, & glossas una lineâ delere dicit Franciscus Bolquetus *in not.*

III. Aliam rationem denegatæ laicis præsentationis in Ecclesiâ Collegiatâ reddit Gregorius IX. Pontifex in c. 51. *X. de elect.* eamque duplice, primò, quia id esset perniciuum exemplo, *deinde*, quia redundaret in dispendium Ecclesiasticæ libertatis. Verum enimvero, quod primam rationem concernit, explicari debuisset, in quâ re pernities ista metuenda foret. Supra enim sufficienter probatum dedimus, ad ipsam totam Ecclesiâ, uti ea ex Clericis & Laicis constat, pertinere jus eligendi pastores. Altera vero ratio, cum in Concilio Tridentino ad infringendum jus patronatus laicorum adducta fuisset, à quamplurimis improbari cœpit: *quasi vero manifestior servitus non sit, pendere à curia Romana, que contra institutionem & fundationem ea administrat, scil. beneficia, quam à patrocinio secularium, qui ea conservant, uti refert Petrus Svavis in bish. Concil. Trid. lib. 8. prope finem.* Quod vero addit Pontifex, ordinationem factam denunciandam esse patrōno, ut suum si voluerit honestum impertiatur assensum, quod itidem à Clemente III. consultum fuit, c. 25. *X. de jur. patron.* id illudere magis videatur & offutias inferre juri patronatus, quam illud stabilire. Statuunt enim Doctores, consensum patroni ita requiri, ut velit nolite validitas electionis permaneat, nec adeo de necessitate præcisâ eum postulandum esse, ita ut sine illo confirmari electio nequeat, aut confirmatio sine tali requisitione consensus non sit valida. Vid. August. Barbosa *ad d. c. 25. n. 5.*

IV. Habere vero jus patronatus etiam in Ecclesiis Cathedralibus locum, non tantum quod honorem & prærogativam aliquam, sed etiam quod electionem & præsentationem concernit, pluribus exemplis confirmat Julianus Vivianus *de jure patronat. part. 1. lib. 3. c. 1. n. 38.* More tamen Canonistis & Theologis Pontificiis usitato potestatem eam deducit ex concessione Pontificis Romani, *num. 37.* sed quam parum attendit circa jus patronatus, quod habent Hispaniæ Reges, Didacus Covarruvias *d. l. n. 5.* ubi jus illud ex præscriptione potius, & Concilii Toletani XII. decreto, & ex ipsâ constructione & dotatione Ecclesiarum ortum statuit, quam ex privilegio pontificio. Idque jus tam pingue asserit, ut nisi à rege nominatus nemo possit dignitatibus Episcopalibus in ligniri. Idem jus patronatus ex

COR-

constructione & dotatione Ecclesiarum Cathedralium Regibus Hispaniæ competens urget Alphonfus Alvarez. Guerrer. *in spec. Princip. cap. 63. n. 2.*
Ipsi, inquit, *Goþorum Reges*, à quibus Regum Hispanicorum originem in antecedentibus deduxerat, *discurrentibus annis construxerunt sacra templa* *Ecclesiæ*, ubi divina officia virtute divinæ celebrarentur, *& ornamenta plurima ministrarunt*, ex quo *jus patronatus in iisdem Ecclesiis, præsertim cathedralibus acquisiverunt, & specialiter sibi reservaverunt*. Add. Fernand. Vasp. lib. 1. *contro. illust. cap. 22. n. 14.* Garfias Loaila ad cap. 6. *Concilii Toletani XII*, sed cum strictrâ Petri de Marca *de concord. sacerd.* *& imp. lib. 8. c. 10. n. 5.*

V. Dum hâc ratione Reges & Principes ex ædificatione & dotatione Ecclesiæ Cathedralis jus patronatus acquirere solent, quod pluribus aliis exemplis comprobat Renatus Choppinus *de sacr. polit. lib. 1. tit. 4.* quid obstat, quo minus etiam alii, qui Reges & principes non sunt, iisdem titulis patronatus hoc jus in majoribus Ecclesiis sibi comparare queant? In Concilio quidem Tridentino *sess. 25. de reform. cap. 9.* cautum fuit, sacerdotii cùjuscunque patronum audiendum neminem, nisi qui solemnès juris patronatus tabulas exhibeat, aut quinquagenariæ possessionis fidem faciat authenticis scripturis; reliqui patronatus antiquati fuerunt prorsus, nisi qui summis principibus competunt in Cathedrales aliasve Augustæ fundationis sacras Basilicas; sed decretum istud, cum in censuram hominum venisset, variis judiciis exceptum fuit, dicentibus nonnullis, injuriam fieri secularibus, quibus juris sui probationes difficiliores redditæ, totumq; illud caput falso quodam pronuntiato niti, nempe omnia beneficia libera esse, nisi patronatus probetur. Nam contra certum esse, Ecclesiæ bona temporalia non habere, nisi à secularibus donata, quæ credibile non est, eâ lege ab ipsis concessa, ut Ecclesiasticis liberum esset ea dispensare & dissipare arbitratu suo. Itaque à primâ sui origine quodvis beneficium juri patronatus fuisse obnoxium, & pro tali præsumendum, nisi ubi ostendi potest donatio absoluta cum patronatus cessione totali, referente Petro Svak. *d. lib. 8.* Quò facit, quod statuunt Doctores, per fundationem aut ædificationem Ecclesiæ jus patronatus ipso jure acquiri, licet fundator id expressè non reserverit, sed sufficere, quod tempore constructionis id expressè non remiserit. Martin. Mager. à Schönberg. *de advocat. armat. cap. 9. num. 533.* Nec tamen ratio appetat, cur Concilium Tridentinum solos exceptos velit Reges & principes à privatione juris patronatus, nisi forte metuendum sanctis Partibus fuit, ne perinde excitarentur super isto negocio tumultus, atq; olim super Episcoporum investituras.

VI. Et cur verò non aliquis, qui Rege aut Principe inferior est, jus patronatus habere queat in Ecclesiâ Cathedrali seu Episcopali, si posueris, fundatam aut ædificatam ab eo suisle talem Ecclesiâ? Si enim fundatio,

Rr 3

si ædi-

si ædificatio, si dotatio modus est acquirendi jus patronatus, & si patronatus jus locum etiam habet in Ecclesiâ Cathedrali, quid est, quod speciale hic Principibus largiatur axiom, & ex quo æstimandum erit id præcipuum? Imò verò longè majus metuendum est periculum ab eo, quem princeps, ut patronus, præsentat, quam quem præsentat ab eo inferior, cum utique facilius & confidentius rejicere queat Episcopus hunc quam illum. Hæc enim causa est, quod prohibuerit Hadrianus Papa, ne quis Laicorum Principum vel potentum semet insereret electio- ni aut promotioni Patriarchæ, metropolitæ aut cuiuslibet Episcopi, apud Gratianum c. 1. dist. 63. Et additur ratio: ne videlicet *inordinata & incongrua fiat eleccio, vel confusio, vel contentio.* Contentio scil. metuenda foret, si contradiceretur illi, quem princeps elegisset. Ita videmus, cavisse sibi Pontifices Romanos, ne monarchiæ à se fabricandæ impedimentum pone- retur à potestatis secularibus, & ut seorsim ageret Respublica Ecclesia- stica.

VII. Duplici igitur jure patronatus in Ecclesiis muniti sunt Reges & Principes, Regio & vulgari. Sic enim distingui hodiè & dividi istud solet. Vulgari tamen non alias, nisi vel ædificaverint vel dota verint Ecclesiam. Jus patronatus Regium consistit in potestate regendæ ac tuendæ Ecclesiæ. Jus regendi in quinque capitibus consistit, ut 1. instituantur Ecclesiæ ministri, qui digni fuerint, & removeantur indigni. 2. Ut visitentur statim temporibus Ecclesiæ, & corrigantur atque tollantur, quæ irrepserunt, corruptelæ tam in doctrinâ, tam in disciplinâ. 3. Ut ministris Ecclesiæ prospiciatur de foro privilegiato, 4. ut bene administrantur bona Ecclesiæ tempora- lia, & 5. ut de causis mixtis cognitores & judices constituantur speciales. Hoc jus Regium, quod Christianam fidem concernit, tribus persecutionum seculis prioribus post Christum natum planè non extitit, & sic primitiva Ecclesia fuit sine patronatu Regio. Neque enim Episcopi præfuerunt jurisdictione aliquâ, sed exemplis & severitate disciplinæ, quam *Thrinpias* appellarunt Græci, cœtu suo præiverunt, & summâ cum fide administrarunt omnia. Postquam verò per Constantinum M. Christiana religio in gremium imperantium transiit, patronatus hoc jus illico competere illis cœpit, quod exercuerunt etiam non invitis Pontificibus Romanis, pietatem & religionem Christianam tam temporis plus æstimantibus & colentibus, quam externum splendorem & imperium plusquam Regium.

VIII. Ad exemplum hujus patronatus Regii videtur introductum jus patronatus vulgare, quod quidem suas habuit ætates, & ex parvis initiis paulatim crevit, uti ferè jura cætera omnia. Antiquitus enim præter processonis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil proprii juris in Ecclesiis à se fundatis aut ædificatis habebant patroni, quem solum illis permittebat Gela-

Gelasius Papa c. pie mentis § c. Frigentius 16. q. 7. Quid hic per processionem aut processionis aditum intelligatur, variant Doctores. Omissis significationibus, quas vocabulum processionis in jure civili habet, de usu ejus Ecclesiastico videndum. Cultum processionis vocat idem Gelasius c. precepta 3. de consecrat. dist. 1. & videtur tum ibi, tum can. 5. seq. vocabulum id interpretari per frequentationem publicam & integrum conventum, quo & facit ejusdem Gelasii sententia in c. presbyteri dist. 24. Eodem significatu videtur vocabulum id accepisse antiquus Metaphrastes Conclii Laodiceni, dum σύναξις in can. 17. reddidit per processionem, quam per conventum vertit Dionyssius Exiguus. Haud aliter etiam Gregorius M. usus est vocabulo processionis. Quam enim lib. 4. epist. 41. vocavit processionem, sequente epist. 43. appellat popularem conventum. Ex quibus patet, processionem publicam, σύναξις, item δημοσίας σύνοδον apud Justinianum novell. 67. publicam frequentationem, popularem conventum, & processionis aditum, eundem antiquitus habuisse significatum. Sequioribus vero temporibus religiose precantis agminis certo cum ritu ac ceremonia obambulationi, uti eam definit Nicolaus Serarius lib. 1. cap. 1. adhæsit, & quasi propria facta est. Ita ut per processionem nunc ferè unicus ille intelligatur actus, cum ab una Ecclesiâ in aliam Clerus simul & populus publicè progrediuntur, supplicationis & orationis cauſa.

IX. Nec uno tamen modo se habebant loca sacra. Invaluerat enim aliquando, ut Oratoria privata extruerentur, ad quæ nec publici conventus nec publicæ processiones fiebant. Atque illa unà cum hereditate ad posteros transibant, cum licet religiosa loca essent, publico tamen cultui & publicis congregationibus destinata nondum erant. Et in his cœpisse primum jus patronatus privatorum probabile est, cum nec presbyter aliquis constitutus in illis esset, & si sacra facere oportenter, presbyter aliquis ab Episcopo postulari debuit. Protractum vero deinde id jus fuit etiam ad Ecclesiæ & ea loca sacra, ad quæ procedebat, & in quibus conventus publici agebantur, sed in illis nihil omnino juris proprii habebat ab initio patronus, præter processionis aditum, qui omni Christiano debetur, uti loquitur Gelasius d. 1. Quæ verba ita interpretantur Antonius Bengeus & Franciscus Pinsionius de benefic. tit. de onerib. Eccles. §. 3. n. 4. ut significant, post fundationem Ecclesiæ auctoritate ordinariâ confirmatam licere patrono in Ecclesiam suam convenire publicè, & cum omnibus Christianis, quod alias non liceret. Eâqueratione coërcitam, putant illi, Patronorum quorundam proterviam, qui cum eo tempore processiones non essent communes omnium fidelium in uno cœtu, sed alium cœtum constituerent processiones clericorum, alium monachorum, alium viduarum, alium puerorum, ipsi etiam specialem cœtum constituere ausi fuissent. Voluisse igitur Gelasium

lasium processiones illas ac omnibus fidelibus in uno cœtu peragi, & hinc patronis quoque concessum fuisse cum reliquis aditum ad Ecclesiās à se fundatas, & publico cultui consecratas, ad quas ante consecrationem nec patronis, nec cæteris in participationem mysteriorum divinorum concessum erat.

X. Sed hic in diversam abit, & veterum magis sententiam amplectitur Antonius Dadinus Alteserra *ad c. 26. X. de jure patr.* Ait enim, Gelasii dictum non ita accipendum esse, ut patronus non alio jure habeat processionis aditum, quam quo vilis plebecula, quæ nihil meruit de Ecclesiā, alioquin enim frustra Pontificem fundatori exceptisse processionis aditum, si non esset eo usurpus alio jure, quam quo privatus quilibet, & unus ē plebe; sed intelligendum esse specialem aliquem honorem, qui propterea etiam processionis honor diceretur, *c. 25. X. de jur. patronat.* & processionis Gratia à Gregorio Magno *lib. 12. epist. 19.* istumq; honorem consistere ait in eo, quod procedenti Patrono in Ecclesiam fortè die solenni foundationis, Clerici occurrerent solemni cum processione, eumque in finem adducit verba Fulberti Episcopi Carnotensis *ex epist. 21. scribentis: Die proximā Comes Theobaldus redit, se in processionem recipi cum processione premandat &c.* Non multum ab hac sententiâ discedunt illi, qui putant, processionis honorem maximè consistere in eo, ut in Ecclesiā, sive coetibus Christianorum in eâ congregatis, patronus primum & illustriorem locum obtineat, in processionibus cæteros praecedat, & in aliis quoq; præferatur. Claudio Marescallus Advocatus Parisiensis in *tr. juris honorifici.* Utraque hac sententia Veteribus etiam cognita & adprobata fuit, uti videre licet apud Antonium de Buitrio *ad c. 25. de jure patron. n. 21.* Cæsar. Lambertin. *de jure patron.* q. 1. pr. n. 14. Sed neutra hac satis conformis videtur verbis Gelasii, qui planè nihil præcipui relinquit patrono, quod non habeat quivis Christianus alias. Nec poterit Alteserra ex novioribus ritibus veteres æstimare, cum utique Fulbertus in eunte demum seculo undecimo floruerit.

XI. Quicquid vero hujus fit, id maximè videtur inde probari posse, quod tempore Gelasii patronus Ecclesiæ à se ædificatæ, nondum habuerit jus præsentandi clericos. A Justiniano plerique introductum autumant, ut Patronus clericos institueret, interveniente autoritate Episcopi. *novell. 57, cap. 2. & novell. 123. cap. 18.* In Occidente vero serius id admissum à Pontificibus Romanis, nec ut videtur, ante Concilium Toletanum nonum, cuius decretum apud Gratianum *c. decernimus 16. q. 7.* his verbis legitur: *Decernimus, ut quamdiu fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites fuerint, pro eiusdem locis curam habeant solicitam: atq; Rectores idoneos in iisdem basilicis iidem ipsi Episcopo offerant ordinandos.* Antiquiora quidem adhuc, sed obscuriora ejus rei occurruunt vestigia in *c. in parœciâ 16. q. 1.* & in *Abbatem 18.*

tem 18. q. 2. de quibus tamen dubitari adhuc potest, utrum à Laico, Domino prædii, Clericus propolitus fuerit ex jure patronatus per modum præsentationis, an verò per modum consilii? Nec altius tamen hinc repetendum foret jus illud præsentationis, ex quo hodiè jus patronatus æstimari solet, quam à temporibus Pelagii.

XII. Ab eodem Pelagio permisum fuit patronis, ut partem aliquam oblationum, quæ solennibus diebus in conventibus publicis offerrentur, acciperent & sibi retinerent, dummodo id fundationis tempore nominatum cautum fuisset, uti patet ex c. Eleutherius 18. q. 2. Quod capitulum in antiquis editionibus & apud Contium Gelasio tribuitur, sed ab emendatoribus Pelagio vindicatum fuit. Istam verò consuetudinem tolerare amplius noluit Concilium Bracarense II. apud Gratianum c. 8. de consecrat. dist. 1. Si quis basilikam non pro devotione fidei, sed pro questu cupiditatis edificet, ut quicquid de oblatione populi colligitur, medium cum clericis dividat, eo quod basilikam in terrâ suâ condidit, hoc de cætero observari debet, ut nullus Episcorum tam abominabili voto consentiat, nec basilikam, que non pro sanctorum patrocinio, sed magis sub tributaria conditione est condita, audeat consecrare. Econtrario verò patronis ad inopiam redactis necessaria alimenta præstari debere in Concilio Toletano IV. c. 37. constitutum fuit: Quicunq; fidelium propriâ devotione de facultatibus suis Ecclesiæ aliquid contulerint, si forte ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eâdem Ecclesiâ suffragium vita pro temporis usu percipient. Apud Gratianum c. quicunq; 16. q. 7.

XIII. Plura patronorum jura adducere nunc nihil attinet. Redeo ad id, quod præcipuum est, quodq; in præsentatione Clericorum consistit. Eam ita necessariam in Ecclesiâ patronatâ statuunt Canonistæ, ut institutio Ordinarii spredo Patrono facta nulla planè sit & irrita c. decernimus 16. q. 7. c. 8. &c. de jur. patron. Recte omnino, dummodo dextrè explicitur, neque excludatur populus reliquus ab electione sui pastoris. Hactenus enim non facio cum Canonistis, quando statuunt, electionem Episcopi ad solos pertinere Canonicos, electionem verò presbyterorum & reliquorum Clericorum ad solum Episcopum; præsentationem autem à patrono factam ita absolutam faciunt, ut præter eum ad electionem Clerici nemo quisquam suffragio suo admitti amplius debeat, sed ex nudo & simplici ejus arbitrio Clericus instituendus sit, dum ne inidoneus Episcopo tantum videatur. Quæ capita recte perstringit, & jus patronatus propterea rejicit Gisbertus Voetius in polit. Eccles. part. 2. lib. 3. tr. 2. c. 1. seqq. Quod si verò jus præsentandi ita explicitur, ut solum denotet jus nominandi, & proponendi certam aliquam personam, de eâ autem & qualitatibus ejus judicium relinquat, non Episcopo tantum, sed toti etiam Ecclesiæ, & electio ita ab omnibus ordinibus, quotquot Ecclesiam constituunt, perficiatur, causæ nihil

nihil erit, cur jus patronatus, tot jam seculis receptum, rejici debeat, & ex Ecclesiâ prorsus eliminari. Sané necessarium est in omni societate, ut sit aliquis, qui primum habeat suffragium, quique de rebus agendis primo loco suam dicat sententiam. Quod si igitur placuerit, ut circa electionem ministri Ecclesiæ Laicus aliquis de Ecclesiâ benè meritus primum habeat votum, non exclusis reliquis, qui ejusdem Ecclesiæ membra sunt, quid est, quod reprehendi in tali ordine queat? Et ita se habet hodiè jus patronatus in Ecclesiis Saxoniciis, in quibus non alium ob finem concionem ~~donum auctoritatis~~ ad populum habere jubentur Candidati duo, tres, quatuorve à patrono nominati, nisi ut ex illis eligi deinceps possit maximè idoneus.

XIV. Et sub hac limitatione atque restrictione si exerceatur jus patronatus, non video quid obstet, quo minus illud etiam in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis locum habere queat. Improbavimus supra mores hodiernos, quibus à solis Canonicis Episcopus eligi consuevit. Improbavimus etiam si soli patrone, sive secularis, sive Ecclesiasticus is fuerit, ea potestas relinqueretur. Dum autem patrone solum hunc honorem tribuimus, ut de persona ad Episcopatum promovendâ cogitet, ejusque, quam idoneam putaverit, nomen reliquæ Ecclesiæ publicè proponat, eamque in conspectum omnium sistat, ut adeò communi totius Ecclesiæ suffragio is deinceps eligatur, non puto, à quoquam improbari talem procedendi modum posse. Sic enim facile omnia evitabuntur incommoda, quæ in jure patronatus à Canonistis proposito exagitata Gisbertus Voëtius dicit. Et profitetur ipse cap. 9: sicutum jus patronatus papale, prout à se ex Canonistis pontificiis descriptum fuit, & novum in Belgio à nonnullis patronis vindicatum atque usurpatum refutare. Quomodo, inquit, alicubi in Germania adhuc vigeat & usurpetur, non respexi, nec attendi.

XV. Ut eo clarius constet, quæ ratione in Ecclesiis nostris jus patronatus locum habeat, opera pretium erit, ex responsu Theologorum Wittbergensium, quod habetur in Consiliis eorundem part. 2: pag. 18. verba aliqua: *huc pertinentia annexere, quæ talia sunt: Vocationem legitimam quod attinet, ea non ad unum ordinem hominum in Rep. aut Ecclesiâ, multo minus ad unum hominem spectat, sed totius Ecclesiæ jus est, quæ tota habet potestatem constituti ministerii & vocandi Ecclesiæ ministros.* Et quia tres hominum ordines sunt in Ecclesiâ, ministerium, magistratus Christianus & plebs, singulis sunt sue certæ partes in administranda ministrorum vocatione. Quod ut planius intelligatur, requisita ad vocationem legitimam diligenter considerandasunt. Vacante loco in ministerio ut sis suppleatur, necesse est personam unam seu plures idoneas denominari Ecclesiæ. Denominationem sequitur probatio in concionibus habendis & aliis ministerii requisitis: Hanc exploratio doctrine, donorum & sinceritatis, denique ordinatio & institutio ad officium Ecclesiasticum. Hæc omnia completi-

mur legitimæ vocationis nomine, in quibus trium ordinum in Ecclesiâ quilibet suum habet, quod expediat. Nominationem personæ olim quidem modo Magistratus, postquam Christianus factus est, modo presbyteri, nonnunquam plebs sibi vindicarunt, ut in electione Ambrosii videre est. Deinceps vero, cum sepe magni motus in electione personarum existarent, autoritate Magistratus condita sunt jura patronatus, quibus his, qui Ecclesias sive fundarunt, sive redditibus dotarunt, potestas facta est denominandi & vocandi pastorem idoneum ad vacantem Ecclesiam. --- Etsi igitur patroni elegant personam, eamq; denominant Ecclesie; tamen nisi ministrorum & plebis sive auditorum accedit consensus non est censenda legitima vocatione. Vetus enim canon est: *Ne quis detur invitit.* Hinc cernitur in praxi veteris Ecclesie semper ad vota horum patronorum accessisse Cleri populiq; suffragia. --- Ipsa vero ratio dicitur, si qui in Ecclesia ista, cui proficiendus est minister, sint jam ante ministri ordinarii verbi, ut eorum quoq; in diligendo Collegâ judicium meritò audiatur, cum ut auditoribus invitit Pastor, ita & pastoribus & ministris invitit Collega non sit obtrudendum. Restringitur ergo jus patronatus ad ministerii & auditorum consensum, quo ob legitimas & probatas causas non accedente, irrita nominatio aut electio facta à patrono, & querenda alia persona, in quam Ecclesia tota consentiat. Ubi omnium ordinum consensus adfuerit, persona à patrono remittitur ad Superintendentem, qui gubernationi Ecclesie est prefectus, sive ad aliam Ecclesiam, cujus in doctrina sinceritas probatur, ut facta exploratione doctrine & donorum fiat publica vocationis approbatio & separatio personæ ad ministerium Evangelii, quam deinde sequitur institutio, quā datur novo Pastori Ecclesias sua docenda ac regenda, & vicissim Pastor Ecclesie, ut eum audiat tanquam legitimè à Christo sibi datum ὑγίειν & Doctorem. Ea lege si jus patronatus usurpetur, ut auditoribus libera approbatio personæ nominate & Ministerio Ecclesiastico liberum judicium relinquatur, nihil habet incommodi, & cuiq; quod suum est, relinquitur, & ad praxin veteris Ecclesie quam proximè acceditur.

XVI. Cavendum vero omnium maximè est patronis, ne hoc sibi competens jus in corruptelas degenerare faciant, & in pessimos usus vertant. Sepe olim, qui oratoria sibi juxta prætoria sua construxerant, licere sibi ex domesticis, suis qualemcumque clericum constituere & Episcopo præsentare, opinabantur, ut & Sacerdotem haberent simul, & mancipium suis obsequiis destinatum. Declamat vehementer adversus pessimam istam consuetudinem Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis lib. de privileg. & jure Sacerdotii c. 11. Increduit, inquit, consuetudo impia, ut penè nullus inventatur anhelans & quantulumcunq; proficiens ad honorem & gloriam temporalem, qui non domesticum bâbeat Sacerdotem, non cui obediat, sed à quo incessanter exigat licit am simul atq; illicitam obedientiam, non solum in divinis officiis, verum etiam in humanis; ita ut pleriq; inveniantur, qui aut ad mensas ministrent, aut saccata vina misceant, aut canes ducat, aut caballos, quibus fœmine sedent, regant,

gant, aut agellos provideant. Et quia tales, de quibus hæc dicimus, bonos Sacerdotes in domibus suis habere non possunt, non curant omnino, quales clerici illi sint, quantâ ignorantia cœci, quantis criminibus involuti; tantum, ut habeant presbyteros proprios, quorum occasione deserant Ecclesiæ seniores officia publica. Quod autem non habeant eos propter religionis honorem, appareat ex hoc, quod non habent eos in honore. Unde & contumeliosè eos nominantes; quando volunt illos ordinari presbyteros, rogant nos, aut jubent, dicentes: Habeo unum Clericacionem, quem mibi nutriti de servis meis propriis, aut beneficialibus, sive pagenib; aut obtinui ab illo vel illo homine, sive de illo vel illo pago. Volo, ut ordines eū mihi presbyterum. Cumq; factum fuerit, putant ex hoc, quod majoris ordinis Sacerdotes non eis sint necessarii, & derelinquent frequenter publica officia & prædicamenta &c.

XVII. Inde verò ortum habuit pesima consuetudo alia, ut, qui à patronis sacerdotia obtinere volebant, aut foedis obsequiis ea mereri, aut pecuniâ numeratâ comparare studerent, putantes, integrum planè, & incontaminatam, nulloque Simoniæ vitio affectam esse suam ordinationem, dummodo ordinatori suo nihil detur, aut debeatur. Acerrimè morem istum perstringit Hincmarus Remensis in capitulis anno Domini D CCC LXXIV. conscriptis cap. 5. Sepè, inquit, vos admonui de exenio superfluis contrasacras regulas pro Ecclesiæ viduatis non dandis. Sed, sicut audivi, vos non inde castigatis, sed vos ipsos, & vestros nutritos in maledictionem Simoniacæ heresios traditis. -- -- Et non necesse esset vobis petere Ecclesiæ cum superfluo exenio: quia quiq; fideles, si vestra culpa non esset, plus quererent bonos Clericos, quam vestros denarios. Et hoc non suffertis; sed vos & vestros nutritos in maledictionem mititis, cum dato patronis premio vobis & illis peccatum emitis.

CAP. IV. De Subjecto electionis; qui & quales ad Episcopatum eligi debeant.

I.

Supra jam anticipavimus dicere, non nisi dignos eligi debere. Et hæc omnium quidem Doctorum est sententia. Sed quando ab eis informari cupis porro, quis dignus dici debet, & num eligi possit dignus, omisso digniore, multa & magna inter eos est disceptatio. Ante omnia autem notandum est, dignitatem talem non esse æstimandam ex affectu commendantium, aut censu fortunæ, nec præcisè ac absolute ex virtute morali, quæ boni viri est; sed relativè ex virtute ad finem officii congruâ, quando quis ad id munus de quo agitur virtute sufficienti instructus est, etiamsi quoad aliam virtutem alius dignior reperiatur. Ut enim, si Resp. destitueretur bono artifice in arte sulphuraria aut bono balistario, inepti & in-

& insanire videretur, qui ad id munus promovere vellet optimum pictorem: ita non minus ineptire intelligeretur ille, qui Virum optimum & vitæ inculpatissimæ, sed rerum Ecclesiasticarum prorsus imperitum & ignarum præficere vellet regimini Ecclesiastico, ut optimè ratiocinatur Thomas c. 2. quest. 185. art. 3. Fieri enim potest, ut quis sit Vir Optimus, sed tamen ineptissimus ad clavum regni, ad suggestum, ad familiam gubernandam, ad munus aliud, quod sustinere affectat. Optimè D. Brentius ad Actor. cap. 1. Duo proponuntur ab Apostolis in conspectum DEI, qui ambo satis pii & honesti erant, alter autem eorum, nomine Josepb, tantâ pietate coram hominibus splendet, ut & hinc cognomen justi sortitus sit. Hunc tamen negligit Dominus in mittendâ sorte & efficit, ut sors cadat super Matthiam, virum quidem honestum, sed non tantâ honestatis specie coram hominibus præditum, quam Josepb, atq; ita Mattheus, qui hominum famâ postponitur, judicio DEI præponitur &c.

II. Si jam ex ipsis fontibus juris Canonici definiendum est, quâ ratione dignitate subjectorum eligendorum judicari debeat, hæc inde colligitur sententia, oportere suffragia eligentium in omnium optimum collimare. Sic enim Leo I. apud Gratianum c. metropolitano 19. dist. 63. Metropolitano defuncto, cùm in loco ejus alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad civitatem Metropolim convenire debent, ut omnium Clericorum atq; civium voluntate discussâ ex presbyteris ejusdem Ecclesie vel diaconis optimus ordinetur. Sic & Hieronymus apud eundem c. licet 8. q. 1. Requiritur ergo in ordinando Sacerdote etiam populi præsentia, ut sciant omnes & certi sint, quod qui præstantior est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior: ille eligitur ad sacerdotium. -- - Ut nihil scientiae, nihil in eis sapientiae, nihil deficit industrie, sed adgit omnis multitudo sensuum, adgit omnis congregatio sanctorum cogitationum &c. Et sic recte Metensis Episcopus sancti Salvatoris præpositurâ vacante adjuravit Canonicos, ut secundum DEUM & juxta conscientiam suam unum eligerent de duobus, in quos partes videbantur oculos extendisse, quem Ecclesia magis utilem & idoneum reputarent c. constitutis 46. &c. de appellat. Et propterea reprehendit atque objurgat Innocentius III. Pontifex Archiepiscopum Mediolanensem, aitque inter alia etiam in hoc culpabilem esse, quia non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisset officium Ecclesiasticum & beneficium in personâ magis idoneâ dispensare. c. un. &c. ut Eccles. beneficia sine diminut. conf. Quò etiam pertinet, quod circa electionem Abbatis constitutum est à Justiniano Imperatore Novell. 5. cap. 9.

III. Nihilominus tamen Canonistæ hodiè sufficere ajunt, si quis non fit indignus, cùm utiq; dignus præsumatur, qui non probetur indignus. Per c. un. &c. de scrutin. in ord. fac. adeoque posse præferri dignum digniori. Id quod eatenit Didacus Covarruvias ad c. peccatum de R. J. in 6. part. 2.

§. 7. num. 3. seq. ut valida sit electio nec revocari queat, cum alioqui omnes electiones maximum discrimen & periculum paterentur, essetque locus mille litibus, si permisum esset electiones revocare eam ex causâ, quod dignior electus non sit; non tamen propterea excusatos vult esse eligentes a peccato, quod committunt, dum utique ratione Officii sui tenentur dignorem, imo dignissimum ad eam functionem promovere. Peccatum vero istud non simplex esse, sed plura alia comprehendere eleganter notat Fernandus Vasquius illustr. controv. lib. 1. cap. 43. n. 16. Eum enim, qui meliore posthabito beneficium confert minus digno, lucrum aliquod ex largitione rei alienæ acquirere, dum illum minus dignum sibi debitorem facit, & hinc furti speciem committere; subesse etiam impietatis vitium, dum non tantum dignorem præmio & emolumento debito defraudat, contra regulas justitiae distributivæ, sed etiam ejus honorem & existimationem laedit, cum utique justitia distributiva doceat, pro meritis virtutum tales honores esse conferendos: cæterum subesse adhuc etiam peccatum contra justitiam commutativam, quæ svadeat, ut administrationi rerum Ecclesiasticarum optimus quisq; præficiatur. Et hoc ipsa etiam ratio naturalis evincent. Nam qui digno electo dignorem prætermittit, personarum non solum muneric & officii rationem habet, personæ non Ecclesiæ negocium gerit; Utiloquitur Johannes Azorius in Institut. moralib. part. 2. lib. 6. cap. 15. Conf. quos magno numero allegat Barbosa ad c. 19. ¶ de elect.

IV. In Concilio Tridentino hâc de re diversimode disputatum fuit, cuius historiam nobis refert Petrus Svavis lib. 8. E Patribus, inquit, magna pars dici volebant, digniores necessario eligendos & in ejus rei confirmationem magnu numero Canones & testimonia à sanctis Doctoribus adferebant. Cui sententie reclamant Pontificis, afferentes, id esse autoritatem Pontificis restringere eum in modum, ut nunquam cuiquam gratificari possit, nec alium esse usum in curia receptum, à tempore cuius non existat memoria, quam ut dignus eligatur. Sed & Ora- tores etiam Galli & Hispani repugnabant, potestatem Regum in nominationibus plus sat circumscribi causati, si dignissimum exquirere tenerentur. Per multos Patribus circumibant presantes, ne id caput etiam fineullo additamento de eligen- dis dignioribus reciperetur. Nominatim Episcopus Britinorien- sis & Lainezius Jesuitarum Generals annotationes quasdam & observationes, à se factas Patribus distribuentibus conabantur ostendere, magna ex illo decreto incommoda consecutura. Nam in eo contineri, ut vacante Ecclesiâ Cathedrali Metropolitanus ad Capitu- lum nomen ejus, qui esset promovendus transmitteret: Id pro Concione publicè propositum in omnibus civitatis Ecclesiis parochialibus die Dominico etiam portis Ecclesie affigeretur, ac postea Metropolitanus ad civitatem vacantem profectus testes de persone qualitate examinaret, lectisq; in presentia Capituli omnibus ejus Codicillis & testimonis, quicunq; aliquid contra persone dignitatem opponere vellet,

let, audiretur. Quæ omnia tabulis consignata mitterentur ad Papam in Consisto-
rio legenda. Hanc Constitutionem disserebant causam fore seditionum & calumnia-
rum: tūm bāc ratione certam autoritatem populo dari, quā freatus Episcoporum
electiones, sicuti aliās, esset usurpaturus &c. Et porrō. Censebat major pars, sub-
lato illo comparativo, dicendum solummodo, ipsos teneri, ut de persona digna pro-
videant. Verum ex alterā parte id consideratum volebant alii, à Patribus sem-
per usurpatam banc loquendi formulam, dignorem esse præferendum, & rationem
aducebant, culpā vacare non posse, qui minus dignum tametsi idoneum digniori an-
teponit. Post multam disceptationem, inventa ratio rei componendæ, reliquit in
speciem voce dignioris terminisq; utendo primum positivis, dein ad comparativos
progrediendo, sic ut proviso libera intelligatur, unde adhibita est ea dicendi forma,
quam impressam cernere est, nempe obligari eos, qui promovendi jus habent, bonos
pastores & idoneos promovere, & mortaliter peccare, nisi digniores & Ecclesiæ ma-
gis utiles præfici curaverint. Quibus verbis manet illa naturalis expositio, multos
esse digniores & magis utiles, respectu aliorum multorum, qui minus digni & uti-
les sunt, intra quem ambitum satis latum habet campum promoventis arbitrium.

V. Hæc ita agitata fuerunt in Concilio Tridentino. At verò ab
Reip. secularis exemplis dīci potuisset, quæ ratio in electionibus esset ser-
vanda. Laudatur ab Justino Historico lib. 12. Alexander Magnus, quod
successorem sibi nullum ex familia suā, sed dignissimum esse jussit. Cum
desiceret eum, inquit, amici viderent, querunt, quem Imperii faciat heredem? re-
spondit DIGNISSIMVM. Tanta illi magnitudo animi fuit, ut cùm Herculem
filium, cùm fratrem Arideum. & cùm Vxorem prægnantem Roxanem relinque-
ret, oblitus necessitudinum, dignissimum nuncuparet heredem, sextā die præclusa
voce exemplum digito annulum Perdicæ tradidit. Quæ res dissensionem amico-
rum gliscerent sedavit &c. Ad eundem modum post Maximiliani I. Imper-
atoris obitum, cùm convenissent Septemviri, novum Imperatorem electu-
ri, omne suum studium posuerunt in eo, ut Imperatorem constituerent, qua-
lem Imperium Romanum tūm exigebat, omnium fortissimum, & qui Rem
publicam virtute & armis stabilire atque tueri posset, uti videre licet ex eo-
rum suffragiis apud Sleidanum lib. 1. Et hunc ordinem procedendi etiam
in electione ad officia Ecclesiastica observari debere confidenter asserimus,
ut semper præferatur dignior minus digne.

VI. Dignior vero, uti ex jam supra dictis patet, in hāc disputatione
non simpliciter dicitur ille, qui dōctior sit, vel quī sanctior, sed is qui juxta
munus & rem cui præficiendus est, aptior ejus ministerio appetet. Siqui-
dem quandoq; qui sanctus Vir, virtuosus & bonus est, ac præterea diligenter
ad curam, præferendus est Viro sanctiori, qui non ita diligens est, eaq;
ratione non ita aptus, sicuti prior, administrationi ejus munera cui, est præ-
ficiendus. Idemq; observandum erit circa doctrinam & eruditionem. Nam
fre-

frequentissime , qui doctior est, non ita convenit muneri publico, sicuti alter, qui doctus est, & doctrinam habet satis sufficientem ad munus, quod ei confertur. Didac. Covarruv. d. l. Ut vero de dotibus eligendi sufficiens habeatur cognitio, inquirendum est non in ejus vitam tantum, sed etiam in ejus eruditionem & prudentiam, quæ partes omnes Episcopatui administrando oppidò sunt necessariae. Nec enim facere possum cum asserto Pontificis in c. un. § . de scrutin. in ord. fac. dignum presumendum esse, qui non probetur indignus. Uti enim rectè notat Joh. Baptista Vivianus in rationali ad h. t. intelligendum id est tantum de bonitate naturali & intrinsecâ, cum quâ homo nascitur, quod nempe aliquis sit castus, pacificus, sobrius &c. non vero id locum habet in bonitate & idoneitate accidentalí extrinsecus adveniente, qualis est eruditio. Talem enim rectè ait non presumi, nisi probetur. At vero, uti infra dicemus, eruditio præcipuum aliquid est requisitum in persona Episcopi.

VII. Ut vero exactius constet, in quibus dignitas eligendi consistat, ad specialia magis nobis erit excurrendum, quibus tamen præmittendum est adhuc illud, non venire hoc loco inspiciendas qualitates illas, quæ ad Episcopatum jam promotis sive jam ordinatis accedere debent vel subsequi, sed de illis nobis nunc differendum esse, quæ ipsam promotionem aut electionem præcedere, vel comitari, & præsentes adesse debent. Et ex illis vero vicissim aliæ generales sunt, cuivis ad ministerium quodvis Ecclesiasticum promovendo necessariae, aliæ speciales, ad singula officia requisita, cum utique longè major & amplior beat esse habilitas in Episcopo, quam presbytero, & in hoc vicissim major, quam in diacono. Maxime autem necessariae qualitates & communissimæ habentur illæ, de quibus mentio fit in cap. 7. § . de elect. c. 4. de et. § qual. præf. c. 29. de præb. ætatis scil. matritas morum gravitas, & plenitudo scientiæ. Nos Canonistarum ductum secuturi non de his tantum, sed aliis etiam pluribus nunc videbimus in specie aliquando pleniū.

VIII. Vetus invaluit & obtinuit consuetudo, pro regulâ ubique ferè observatâ, ut Episcopus ex gremio ejus Ecclesiæ, cui præfiendus erat, susciperetur, neq; adeo præteriri poterat facile cleris illius civitatis. Apud Athanasium apol. 2. legitur querela Julii I. Pontificis Romani de Gregorii ordinatione contra canones factâ, non tantum quod Athanasio adhuc vivente superinductus esset, sed etiam quod peregrinus plane esset, & in Ecclesiâ Alexandrinâ ignotus, cum utiq; oportuisset aliquem constitui ex ipso sacrario , & ex ipso Clero. Eum secutus Cœlestinus in epist. 2. quæ est ad Episcopos Galliæ n. 5. cum injuriâ quâdam conjunctum esse ait, si præferantur extranei : *Tunc, inquit, alter de alterâ eligatur Ecclesia, si de civitatib[us] ipsius Clericis, cui est Episcopus ordinandus nullus dignus, quod evenire non credimus,*

mus, poterit reperi. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis Ecclesiis merito preferantur. Habet unusquisq; Clericorum sue fructum militie in Ecclesia, in qua suam per omnia officia transegit etatem. In aliena stipendia minimè alter obrepat, nec alii debitam alter sibi audeat vendicare mercedem. Sit facultas Clericis revitendi, si se viderint pregravari; & quos sibi ingredi ex transverso agnoverint, non timeant refutare. Legitur apud Gratianum c. nullus dist. 61. Idque Cœlestini dictum suggerit Ivo Carnotensis Gaufrido Cemanensis Ecclesiæ Decano epist. 52. ad removendos ignotos, & ex transverso, ut ait, venientes. Pariter ex verbis Leonis I. supra adductis constat, voluisse eum, ut metropolitanus ex presbyteris ejusdem Ecclesiæ vel diaconis ordinaretur. Eamque suam sententiam repetit in epist. 100. ad Gennadium Episcopum Constantinopolitanum, cui post ejectionem Timothei Episcopi Alexandrini Iuadet, ut apud Alexandrinos non alium, nisi qui ex eâ Ecclesiâ fuerit, Episcopum eligi procuret. Omni igitur labore, inquit, & circumspetione pervigili unitati Ecclesiastica profuturus, emitere frater cbarissime, ut spes suffragatoribus ipsis admatur, & Alexandrinis ex clero suo catholicus Episcopus secundum morem veterem per orthodoxos Episcopos consecratur. Idem voluit etiam Gregorius M. dum lib. 11. epist. 16. ad Barbarum Episcopum scribit: Commonemus etiam fraternitatem tuam, ut nullum de alterâ eligi permittas Ecclesiâ, nisi forte inter Clericos ipsius civitatis, in quâ visitationis impendit officium, nullus ad Episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Apud Gratianum c. obitum dist. 61. Et huc pertinet, quod legge latâ deinceps constituit Ludovicus Pius in capitularibus suis apud eundem Gratianum c. sacrorum 34. dist. 63. Sacrorum canonum non ignari, ut DEI nomine sancta Ecclesia suo liberius patiatur honore assensum ordini Ecclesiastico præbemus, ut scil. Episcopi per electionem Cleri & populi secundum statuta canonum de propriâ dicœcesi remotâ personarum & munerum acceptione ob vite meritum & sapientie donum elegantur. Ad dicœcesin extendit Ludovicus, quod ad civitatem restrinxerant Episcopi Romani. Quo exemplo inducti Patres in Concilio Valentino adhuc ultra dicœcesin ad viciniam quoque eligendi potestatem porrigere non dubitarunt c. 7. Atque ita (hæc sunt verba) aut in clero, aut in dicœcesi certè ipsâ, vel si opus sit in viciniâ ipsius probata & officio digna persona queratur, que inventa consensu totius Cleri & populi ad honorem DEI civitati ipsi præficiatur.

IX. Ratio hic eadem est, quæ in collatione dignitatum secularium & Rep. civili, ubi omnium ferè gentium moribus recepta hæc est sententia: Exteri indigenis ne præferantur, eo quod alienigenam dominum aut imperantem nemo patiatur lubens, tum quod injuriam id inferre videatur, si indigenæ inhabilitatis arguantur, tum verò quam maxime, quod peregrini ita adsveti non sint populo, cui præficiuntur, & consuetudinibus patriis, ut

Tt

re.

regimen ab eis expectari queat Ecclesiæ & R. eip. accommodatum. Et ut maximè externus aliquis benè rem gerat, & commode gubernet; tamen quia moribus & ingenio differt, nec eam erga populum representare potest benevolentiam, ac si esset indigena, faciles oriuntur dissensionum occasiones. Sunt verba Philippi Cominæ lib. 8. comm. in fin. Multum enim ad regimen Ecclesiasticum prodest, exploratissimam habere parochianorum īdolem, quæ utiq; non præsumitur æquè cognita esse peregrino, atque civi ab ipsis incunabulis inter eos versato: & licet extraneus aliquis cognitam eam utcunque habeat, destituetur tamen ille dexteritate & felicitate applicationis. Nam ut arborum plurimarum fructus, quoquinque terrarum deferantur, semper sui soli sapient fructum & succum: ita in omnibus actionibus, consiliis & deliberationibus ad rationes ingenii morumq; eorum, quos domo attulit, īdoles hominum vernacula propendere consuevit. Et uti solstitialis herba ad Solis obsequium, ita illi ad gentis suæ naturam respicere, suaque illi instituta conformare non desinent.

X. Quæ cum ita se habeant, & per diversa tempora optimè constitutum inveniatur, longè tamen aliud placuisse videtur Innocentio III. c. ad de-
corem s. &c. de institut. Sed videtur tantum, ejusque rei ratio apparebit, si facti speciem attentius consideremus. Captâ à Francis & Venetis Constantinopoli ita inter eos convenerat, ut ex Francis Imperator, ex Venetis Patriarcha eligeretur. Cumque ita ex pæcto isto, patriarchatus honorem consecutus fuisset Thomas Maurocenus Venetus, à popularibus suis jura-
mento se obstringere coactus fuit, quod neminem vellet facere Canonicum in Ecclesiâ S. Sophiæ apud Constantinopolitanos, nisi Venetum natione,
vel qui continuè per decennium Venetiis habitasset. Quodque bonâ fide
modis omnibus quibus posset laborare vellet, ut semper in Ecclesiâ S. So-
phiæ esset Venetus Patriarcha. Etsi vero conditiones istas improbasset
Pontifex, Maurocenum tamen in patriarchatu confirmavit, indignantibus
licet Clericis Francorum, qui propterea Maurocenum pro Patriarchâ
agnoscere noluerunt, donec per Apostolicæ sedis legatum res ea compo-
sita fuisset. Licet igitur clericos ignotos & extraneos ordinare jure sit
prohibitum, & propriæ Ecclesiæ clericos vel parœcos aliis omnibus ante-
ferri patrum regulis cautum esset; quia tamen vel nullus ex Græcis Cleri-
cus Constantinopoli præsens amplius erat, sed in universum omnes cum
Patriarchâ suo, Joanne Commateno, civitatem deseruerant, vel consultum
non erat Victoribus, ut ab Græcis dehinc amplius officia Ecclesiastica su-
stinerentur, quod, ut supra exposui, demagogia optimè à Clericis exerceri
posset, quærebatur, utrum hoc casu ex reliquis nationibus, quæ extraneæ
essent, omnibus una aliqua lola ita præferri deberet, ut reliquæ omnes ex-
cluderentur? Idque negat Pontifex, cuius quidem rationes quoad hanc
partem,

partem, utrum sufficientes sint, nunc non discutio. Sed satis factum puto, si ostendamus, non negare Pontificem in suâ hâc disquisitione, clericos cù jusque Ecclesiæ proprios & patios anteferri debere exteris, sed agere de casu, quo Clerici ejusmodi originarii nulli inveniuntur. De pacto ipso inter Francos & Venetos initio nulla nunc nobis cura est, quanquam plurima in utramque partem disputari possent, sed quæ aliis discussienda relinquimus. Interim ad meliorem explicationem constitutionis Innocentianæ videri possunt Franciscus Bosqvetus ad Innocentii III. epist. 18. lib. 1. Petrus de Marca de concord. Sacerd. & Imp. lib. 4. cap. 9. n. 10. Anton. Dadin. Alte-
serra ad b. t. Didacus Spino à Caceres in Spec. testim. gloss. 3. pr. n. 35. seq.

XI. Secunda inspectio in personâ eligendi erat, utrum ille natalibus illæsus esset, & ex legitimo matrimonio natus? c. 7. & 20. & de elect. c. fin. de fil. presbyt. Spurius enim & ex illicito concubitu natus si in Episcopum electus fuisset, maximæ sèpè inde natæ sunt turbæ. Tales expertus fuit Gozlinus filius naturalis Roberti Regis ex Abbe Floriacensi à Rege sub-
vectus ad Archiepiscopatum Bituricensem, qui vix post quinquennium intra civitatem admissus fuit, teste Ademaro in Chron. Rex autem, inquit, Rot-
bertus pro defuncto ordinavit Abbatem Gantilenum, licet repugnarent monachi, nolentes sibi præesse filium scorti: erat enim ipse nobilissimi Francorum Principis filius manzer, à puero in monasterio S. Benedicti nutritus, quem etiam Rex supra-
scriptus Archiepiscopum Bituricensem fecit, postea post mortem Dalberti Archiepi-
scopi. Sed & ipsi quinquennio seditionem agentes, noluerunt in civitate recipere, dicentes vivâ voce, non decet dominari Ecclesiæ filium scorti: postmodum tamen Regis voluntas prævaluuit, & DEI nutu in sede susceptus est. Dispensandi tamen facultatem fibi integrum esse voluit Pontifex Romanus, quam illi in Ecclesiis patrimonio suo subjectis non invidemus. Ut enim latius potesta-
tis lux fimbrias extendat, per ea, quæ supra diximus, nullo jure admitti po-
test. Sed nec requirita ab eis sectatoribus semper fuit talis dispensatio. Sanè & grè id tulit, qui in Angliam tempore Henrici III. à Pontifice missus fuerat, Legatus, cùmque remotionem eorum omnium, qui ex illegitimo coitum nati, beneficia adepti fuerant Ecclesiastica, in plenâ Synodo minaretur, à Wigorniensi Episcopo, quanti ea res plena periculi esset, admonitus ab incepto destitit. Ubi legitur in antiquitatibus Britannicis in vita S. Ed-
mundi Archiepiscopi Cantuariensis. Sed nec difficulter in Curiâ Romanâ im-
petratur dispensatio, dummodo non deficit pecunia, utpote primum &
principium movens, & quæ una plurimum in hâc re valet. Obvia sunt in hi-
storiarum monumentis exempla. Nec multum abest, inquit Gabriel Palæo-
tus de notis & spuriis cap. 57. in fin. cùm vidimus & nos quendam hujusmodi
genere totius Ecclesiæ gubernacula tenentem. Nec desunt adhuc aliqui talibus

editi natalibus, qui in sacrum Episcoporum Collegium & Cardinalium etiam quandoq; adleguntur.

XII. Canonistæ huic referunt aliud vitium originis, quando quis presbyteri filius fuerit. Id verò intelligi volunt de filiis in presbyteratu & sacerdotio vel in sacris ordinibus parentum suscepatis. Caterū si quis ex legitimo matrimonio genitus fuerit, quamvis postea pater ejus ad sacros ordines promoteatur, & demum ad sacerdotium aut etiam Episcopatum accedat, filium tamen hunc dicunt libere posse ad sacros ordines & dignitates Ecclesiasticas promoveri, sed in aliis Ecclesiis, non in eâ, in quâ pater præfuerit vel præest, nam in eâ non posse nisi simplex beneficium obtainere. Vid. Dd. ad tit. XI. de fil. presbyt. ord. qui tamen inter se in quā plurimis quæstionibus dissentient. Cùm vero hæc eorum dogmata ex perperam factâ prohibitione Conjugii procedant, non est, cur illis inhæreamus, maximè cùm in primitivâ Ecclesiâ nulla talis cuiquam quæstio status mota fuit. Id quod optimè observat Gratianus ad c. pen. dist. 56. Cùm ergo inquit ex sacerdotibus, nati in summos pontifices supra legantur esse promoti, non sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis conjugiis nati, que sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant. Et in Orientali Ecclesiâ usque hodiè eis licere probantur. Supra autem c. 2. dist. ead. retulit exempla eorum, qui cùm presbyterorum filii essent non solum sacerdotes, sed etiam summi sacerdotes facti fuerunt. De quo capitulo, quām variè in codicibus legatur, videri potest Antonius Augustinus de emendat. Gratiani lib. I. dial. 6.

XIII. Sic & servi à toto ordine Clericorum excludebantur olim, tantum abest, ut ad Episcopatum eis concederetur aditus, non tamen propter natales, quam propter calumnias Gentilium, & ne fides Christiana male audiaret, ac si Dominorum jura per eam interverterentur. Generalis querele, inquit Gelasius apud Gratianum c. 12. dist. 54. etiam vitanda præsumptio est, quā propemodum causantur universi passim servos & originarios dominorum jura possessionemq; fugientes sub religione & conversatione obtentu vel ad monasteria se se conferre, vel ad Ecclesiasticum famulatum conviventibus quoq; præsulibus indifferenter admitti, que modis omnibus est amovenda pernities, ne per Christiani nominis institutum aut aliena jura pervadi aut publica videatur disciplina subverti; præcipue cùm nec ipsam ministeri Clericalis hæc obligatione fuscari dignitatem conveniat: cogaturq; pro statum militantium sibi conditioneq; jurgari, aut videri, quod abfit, obnoxia. Et Quapropter tum legibus tum canonibus constitutum quam sapientissime fuit, ut de servili conditione nemo ad sacros ordines promoveretur, nisi prius à proprio domino legitimam libertatem consecutus fuisset. Vid. Gratianus d. dist. 54. per tot. Et sic legitur etiam in Capitularibus Karoli M. lib. I. c. 88. De servorum verò ordinatione, qui passim ad gradus Ecclesiasticos indiscretè promotebantur, placuit omnibus cum sacris canoni-

nonibus concordari debere, & pacatum est, ut nullus Episcoporum deinceps eos ad sacros ordines promovere presumat, nisi prius a Dominis propriis libertatem consecuti fuerint. Pari modo Ludovicus Pius filius Karoli considerans, non debere Christi ministros obnoxios esse humanæ servituti, statuit, ut quicunq; ex servili conditione, conciliante scientiâ & morum probitate, ad ministerium adsciscerentur altaris, primum manumittantur a propriis dominis, vel privatis vel Ecclesiastis. Et tunc demum gradibus initientur altaris, uti ait autor incertus, qui vitam ejus descripsit, cap. 10. Omitto plura, quæ in hanc rem afferre possent. Videri potest Dn. Baluz. ad Regino n. pag. 539.

XIV. In eodem censu fuerunt etiam servili conditioni obnoxii, liberti scilicet, adscriptitii, conditionarii, uti vocabantur, qui obligati erant tributo servili vel aliquâ conditione vel patrocinio cuiuslibet domus. c. si quis 7. dist. 54. Non poterat namque libertus in clerum recipi, nisi plenam illis libertatem abdicato omni patronatus jure concessisset Dominus. Sic enim statutum fuit in Concilio Toletano IV. Quicunq; libertatem a Dominis sive ita recipiunt, ut sibi in eis nullum obsequium patronus retenter, si isti sine crimine sunt, ad clericatus ordinem liberi suscipiantur, quia directâ manumissione absolute noscuntur. Qui vero retento obsequio manumissi sunt, pro eo quod adbuc patroni servitute tenentur obnoxii, nullatenus sunt ad Clericatus ordinem promovendi, ne quando voluerint eorum domini, sicut ex clericis servi. Item in Concilio Elibitanico c. 80. Prohibendum est, ut liberti, quorum patroni in seculo fuerint, ad Clericum non moveantur. Ergo ut talis aliquis promoveri posset, oportebat eum a Domino sine retentione operarum & residuo clientelæ nexus manumitti, ut ita plenam & ab omni potestate herili liberam autoritatem acciperet, cum alias nexus ille, qui diversimodè se habebat, uti eruditè exponit Nicolaus le Maistre de bon. Eccles. lib. 3. cap. 8. seq. impedimentum poneret Clericatu obtinendo, & probrosum existimaretur Clero, sui ordinis Viros in servitutem relabi, aut vilibus officiis destineri, aut alio quo cunque modo in clientelæ obligatione versari.

XV. Ex his principiis resisterunt Ivo Episcopus & Canonici Ecclesiae Carnotensis, Adelæ Carnotensi Comitisæ, dum illa servos & libertos suos in Ecclesiam intrudere vellet, allegantes, in Collegium suum recipi debere neminem, nisi liberæ & non servilis conditionis esset. Utque hoc observaretur eò accuratius, non statutum tantum super eâ re conceperunt, sed juramento etiam confirmarunt, ejusq; formulaq; etiam eò extenderunt; ut adversus ipsum Comitem Carnotensem ejusque machinationes directum esset; quin & adigebant eum, qui in Collegium recipi vellet, ut sacramento adseveraret, ex legitimo matrimonio se natum, & liberum nec libertum aut collibertum esse. Cumque statutum id etiam a summo Pontifice confirmatum esset, ægrè id tulit Comitissa, maximèq; dehinc vexa-

yit & multis injuriis afficit Ecclesiam Carnotensem, adeò ut cogeretur tandem Ivo exorare Pontificem Romanum de dispensatione faciendâ & temporando statuto. Jam enim tandem, inquit, in epist. 147. crebris pressionibus publicis & privatis precibus, multa mora multa lima ad hoc Carnotensem Clericorum corda DEO donante infleximus, quatenus apud paternitatem vestram fideliter intercedant, ut conditionarios de familia Carnotensis Comitis, qui de legitimo conjugio nati fuerint, & regios fiscalinos, pro quibus similis perturbatio fieri posset, de privilegio, quod eisdem Ecclesia fecisti, de non admittendis conditionariis excipiatis, & in eundem statum, in quo erant ante privilegium, redire jubeatis. Non enim hoc impedit sacramentum Clericorum, quod super hac re ante fecerant, quia cognoscunt tam maiores quam minores & publicè fatentur, se sacramentum illud hac conditione fecisse, ut possent instituto suo & profutura adjicere & nocitura excipere. Alter quippe danna, scandalum, perturbationes intus & foris, contentiones, irae, rixæ, que omnia ista de causa orta sunt, & quotidie oriuntur, sedari non possunt. Hac autem omnia DEO faciente cessabunt, si vigilancia vestra manentibus in sua stabilitate his, qui in privilegio sunt, ea tantum, quæ Ecclesia dispensari postulat, paternâ provisione dispensaverit, & ea que coibenda sunt, Apostolicâ censura coibuerit &c. Et sic vicit tandem Adela Comitissa, secutum enim fuit diploma Pontificium, in quo jubentur Canonici Carnotenses juramentum istud de legitimis natalibus prorsus omittere. Vid. Joh. Bapt. Souchetus ad I voni epist. 116. 132. & 147.

XVI. Illud hic negligi non debet, quod constituit Justinianus Imp. in Novell. 123, cap. 4. Post ordinationem servili & adscriptitiâ fortunâ liberos esse debere Episcopos ita ordinatos. Ex quo colligere licet, etiam servos tum temporis aliquando ad Episcopatum promotos fuisse. Non minus enim liberatur ille conditione servili, atque liberatur per Episcopatum patriâ potestate, sub qua ordinandus fuerat. Qui enim omnium sunt spirituales patres, quomodo sub aliorum potestate consistant? inquit idem Justinianus Novell. 81. c. 3. Curiales tamen & officiales exceptit Imperator d. Novell. 123. Tales enim si Episcopi electi fuerint, ab Episcopatu remotos curiae aut officio restitui jubet. Secus atque suo tempore statuerat Constantius Imp. l. 49. Cod. Theod. de decur. qui Episcopalis dignitatis gradum à Curiali nexu ita liberare voluit, ut nec partem aliquam bonorum Curiae relinquere electum oporteret. Solum Episcopum, inquit, facultates suas curiae, sicut ante fuerat constitutum, nullus adigat mancipare, sed Antistes maneat, nec faciat substantie cessionem. Alias autem Clerici communiter ad curiam retrahebantur, quippe qui clericatum ideo plerumq; amplecti solebant, ut decurionum munera evitarent. Ejusmodi enim Curiales multis & gravibus Reip. oneribus erant obnoxii, quorum pondere obruebantur, unde plique talia onera detrectabant. Quo factum est, ut non tantum retraherentur

rentur & Curiis restituerentur, qui ita discesserant, & aliud genus vitæ fecuti fuerant, sed etiam quibusdam privilegiis oportuerit munire decuriones, ne Curiæ vacuæ relinquerentur, magno civitatum damno.

XVII. Sequitur ut de ætate eligendi ad Episcopatum videamus. Ubi non displicet decretalis Alexandri III. in c. 7. §. de elect. dum illi non dero-gatum fuisset in Ecclesiâ Latinâ per praxin contrariata. Cum, inquit, in cunctis sacris ordinibus & ecclesiasticis ministeriis sint ætatis maturitas, gravitas morum & literarum scientia, inquirenda: multo fortius in Episcopo hec oportet inquiri, qui ad curam aliorum positus in se ipso debet ostendere, qualiter alios in domo DEI oporteat conversari. Eapropter ne quod de quibusdam pro necessitate temporis factum est, trahatur à posteris in exemplum: presenti decreto statuimus, ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam trigesimum annum ætatis exegerit. Ratio cur ætatis annus tricesimus præfixus fuerit, videtur peti debere exinde, quod nec presbyter olim fieri poterat, nisi annos natus triginta, c. 1. seq. dist. 78. Episcopus autem ex principiis Canonistarum fieri non possit, nisi presbyter antea fuerit. Cur verò presbyter ordinari non queat, nisi annum compleverit trigesimum, hanc rationem assignat Concilium Neo-Cæsariense c. 11. quia Christus anno ætatis trigesimo baptizatus fuit & cum deum docere coepit. Etsi verò istæ rationes non concludant apodictice, cum exempla pro lege haberi non semper debeant, non contemnendæ tamen sunt istæ tales constitutiones, quandoquidem ætas triginta annorum solidæ ac perfectæ præudentiæ est, & majore tum animi quam corporis robore præ-dita. Sic enim in can. 17. Concilii Agathenfis perfecti viri ætas dicitur, & in legibus Wisigothorum l. 10. tit. 2. perfecta ætas. Vid. Paul. Zachias quest. Medico-Legal. lib. 1. tit. 1. quæst. 7.

XVIII. Sed quia nulla regula tam firmâ est, ut non patiatur exceptionem, non poterunt sanè erroris illico argui, qui Episcopum aliquando ju-niore Ecclesiæ præficiunt. Ικανότης enim respicienda est, quæ in quibusdam citius, in quibusdam tardius sese exserit. Egregie hic Ignatius epist. ad Magnes. Neq; etiam contemnenda est Episcopi juventus, sed secundum voluntatem DEI Patris omnis reverentia ei tribuenda est, quemadmodum facere novi sanctos presbyteros, non resipientes ad eam, quæ apparet, juventutem, sed ad prudentiam, quam in DEO habet. Quandoquidem annos continuo sapientes non sunt, neq; senes possident intelligentiam, sed spiritus, qui in hominibus est. Nec ergo faciendum cum Bonifacio Papâ, sive Fabianus ille fuerit, uti sub hoc nomine allegat Ivo dictum, quod habetur apud Gratianum c. 1. dist. 78. Si quis trigesimum ætatis sue annum non impleverit, nullo modo presbyter ordinetur, etiam si valde sit dignus. Imo verò ab hoc jure recessum esse, & longiorem ætatem remissam atq; ad vigesimum septimum ætatis annum reductam fuisse, ita ut eos annos attigisse non complevisse necesse sit, notant Antonius

nus Bengeus & Franciscus Pinslonius de benefic. ad verib. canonica §. 2. num. 8.

XIX. Malè tamen omnino Ecclesiæ prospiciunt, qui sine delectu & sine intuitu prudentiæ singularis adolescentes, imò verò pejus illi, qui omnino pueros Episcopos faciunt. Ex Frodoardo refert Cardinalis Baronius ad ann. 925. n. 9. quâ ratione Heriberti Comitis Aquitaniae filius puer nondum quinquennis Ecclesiæ Remensi præfectus & Archiepiscopus factus, dehinc à Papâ Johanne Decimo confirmatus fuerit. Monstrum id, ait, *numquam bastenus in Orbe Christiano visum nec auditum, imò forte nec mente conceputum.* Mox calamus stringit in ipsum Papam, atq; opus hoc illo dignum, quem *infamis fœmina, infami opere in Petri solium intrufisset.* Tandem verò id, quod ita in tantâ Ecclesiâ malè fuit à malo Principe usurpatum, in exemplum citò transisse, ut complures hujus seculi Principes sibi sanguine conjunctos adolescentulos in summas cathedras curaverint promovendos, justè conqueritur, & Romæ etiam atq; Constantinopoli idem contigisse haud frustra commemorat.

XX. Romæ enim simile quid contigisse discimus ex Glabri Rodulphi Hist. lib. 5. cap. 5. cuius hæc sunt verba : *Insuper ad cumulum tantum malum cùm non essent in populo, vel rari, qui ceteros corrigentes talia redarguerent, impletum est Propheta vaticinium, quod ait : Et erit sicut populus sic sacerdos. Præsertim cùm tunc in seculari potestate, tum etiam in Ecclesiastica religione totius regiminis personæ consisterant in puerili etate.* Propter peccata enim populi contigit tunc illud Salomonicum, quod ait : *Væ tibi terre.* Nam *Si ipse universalis Papa Romanus, nepos scil. duorum, Benedicti atq; Johannis, qui ei præcesserant, puer ferme decennis intercedente thesaurorum pecunia electus extitit à Romanis, à quibus exinde frequenter ejectus ac in honeste receptus nulla potestate viguit Ec.* Non contentus amarâ hâc sugillatione Glaber, quod detestandum planè id sibi videretur exemplum, denuò in id invehitur in fin. libri 5. Ipo quoque in tempore, ait, *Romanæ sedes, quæ universalis jure babetur in Orbe terrarum, prefato morbo pestifero per viginti quinq; annorum spatha miserrimè laboraverat.* Fuerat enim eidem sedi ordinatus quidam puer circiter annorum 12. contra ius fasq; quem scil. sola pecunia auri & argenti plus commandavit, quam etas aut sanitas, *Si quoniam infelicem habuit introitum, infeliciorum persensit exitum, quippe referre turpitudo illius conversationis & vite Ec.* Quibus ultimis verbis nonnihil corruptis videtur innuere id, quod de eo refert Benno Cardinalis in vita Gregorii VII. eum in sylvis à Dæmone suffocatum fuisse. Et quod de eo referunt alii, quod post obitum ab eremita quodam horrendâ imagine visus, ac de causâ interrogatus responderit : *Hac specie oberro, quia in pontificatu sine ratione, sine lege, sine DEO vixi, & omnibus probris Romanam sedem inquinavi.*

XXII. Ro-

XXI. Romæ dum talia patrabantur, quid mirum, alibi etiam in Ecclesiis non æquè celebribus similia commissa fuisse? Fuerunt nihilominus, qui corruptissimam eam disciplinam & improbisimos mores gravi censurâ & animadversione perstrinxerunt, & Ecclesiæ tūm turpiter prostitui acerbè indoluerunt. Ita justâ objurgatione reprehendit Ivo Carnotensis Ranulphum Dunelmensem Episcopum, epist. 157. quod duos filios suos duodecim vix annorum Episcopatui Luxoviensi intrudi fecisset: *Quod in Ecclesiâ Luxoviensi paternitas vestra* (alloquitur ita Paschalem Pontificem) *poterit agnoscere, quam jam per plures annos Ranulfus agnomine Flammardus, Dunelmenis Episcopus inaudito invasionis genere occupavit, qui duos filios suos vix duodenates accepto pastorali baculo à Comite Normannorum predictæ Ecclesiæ intrudi fecit, eâ conditione, ut si primogenitus moreretur, Judaico more in Episcopatum alter alteri subrogaretur.* *Quod cum partim dolentibus, partim deridentibus plurimi diu perpetua esset Ecclesia, monitu quorundam religiosorum graviter redargui solo charitatis intuitu Rotomagensem Archiepiscopum, quod ex adverso non staret, quod pro domo Israël murum non opponeret Eccl.* Quo & pertinet quærela Bernhardi Abbatis Clarævallenfis ad Henricum Senonensem Archiepiscopum epist. 42. Scholares pueri, inquit, & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad Ecclesiasticas dignitates & de sub ferulâ transferuntur ad principandum presbyteris: latiores interim quod virgas evaserint, quam quod meruerint principatum, nec tam illis blanditur adeptum, quam adeptum magisterium. --- Nec dicimus, quamcunq; ætatem DEI gratiæ præmaturam, sicut nec seram, cum multos videamus juniorum super senes intelligere, moribus antiquare dies, prævenire tempora meritis, & quod ætati deest, compensare virtutibus. --- Bonus puer Samuel, qui loquenti DEO promptus aderat auditor. --- Bonus & Jeremias, qui ante sanctificatus quam natus, cum se excusaret de pueritudine, nihilominus constitutus est super gentes & super regna. Bonus quoq; Daniel, cuius spiritum suscitavit DEUS, ut convinceret iniqua judicia, & sanguinem innoxium liberaret. Deniq; cani sunt sensus hominis & ætas senectutis vita immaculata. Sicubi hujuscemodi puer senex promotus invenitur: opus DEI est his, qui tales sunt, mirandum, non imitandum. Ceterum curritur in clero passim ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisq; vietus sit, cum ad curas pervenerit Eccl.

XXII. Exceptos tamen quoad ætatem requisitam Canonistæ volunt consanguineos Regis & sublimes personas. Antonius Bengeus & Franc. Pinson. d.l.n. 9. ideo quod sub eorum autoritate in tuto sint bona Ecclesiastica. Quasi verò propter bona Ecclesiastica instituti essent Episcopatus. Imò verò improbat hoc in Alexandri III. constitutione, quæ habetur in c. 2. &c. de ætar. & qual. ord. Claudio Espencæus, Theologus Parisiensis, quod confirmet ille puerum ad Archidiaconatum electum, addito admis-
Uu nistra-

nistratore, qui regeret Ecclesiam, donec puer ad congruam etatem pervenisset. Dum ait, prædictarum Ecclesiarum custodiam & administrationem clericis idoneis commisit, donec predicti pueri ad congruam venirent etatem, fennstram aperuit, quia contra patrum mentem alii fererent, alii mererent, & penes alios titulus, alios labor, alios fructus manerent. Locus est lib. 4. de vot. continent. cap. 2. ubi in fine addit verba sequentia: *Evidem majores nostros non possum non approbare, qui tantum studiorum, artium, exercitiorum, & omne genus disputationum imposuerint, ut vix tricenarii Theologiae magisterium Lutetie assequi possimus: idque statutum pontificium si tam exakte in Doctoribus servatur, cur non ad eandem amissim tot conciliares pontificales q[ui] canonies in pastoribus exiguntur? Si Doctores non iidem protinus pastores nisi jam ingraevescentes non promoventur, cur pastores iidem doctores, aliqui depastores, non raro, contra quam nos esse jubet Paulus, malitiâ proiecti, sensu non adulti ordinantur?* &c.

XXIII. De corpore vitiatis speciales extant tituli in Decreto & decretalibus, quod ad ordines promoveri haudquaquam debeant, et si parte tantum aliquâ digiti alicujus mutili fuerint, dummodo abscisio illa à volente aut non invito facta sit. c. *principimus* dist. 34. c. *illiteratos* dist. 36. c. *qui partem*, dist. 55. Rationem reddit Gelasius d. c. *illiteratos*, quia vitiosum nihil DEO prorsus offerri legalia præcepta sanxerunt. Respicit ergo ad legem divinam Veteris Testamenti ceremonialem *Levit. XXI, 18. seq.* Sed quæ post natum Christum exolevit, nec ullam amplius habet vim obligandi. Quod etiam agnoverunt illi, qui Ammonium Monachum ad Episcopatum promovere cupiebant, cuius rei fidem facit Sozomenus lib. 6. c. 30. Cum vero aliquando capiendus esset, ut Episcopus ordinaretur, nec rogando persuadere potuisset iis, qui ad ipsum capiendum venerant, ut abirent; abscissa sibi auriculâ: abite, inquit. Posthac enim ne quidem si vellem, sacerdotalis lex me ordinari finit. Integri enim corporis Sacerdotem constitui oportet. Illi digressi, posse aquam intellexerunt, Judæi quidem hæc observanda esse; Ecclesiam vero non curare, dummodo sacerdos integer sit moribus, denuò redierunt eum comprehensuri. Tum ille juravit, se linguam quoq[ue] sibi præcivrum, si vim facere tentassent. Quibus illi minis perterriti abscesserunt. Hinc porrò factum est, ut Ammonius iste Parotes, id est, auriculâ mutilus vocaretur. Legem ergo illam judaicam Ecclesiæ Christianæ haudquaquam positam esse, nec excludi debere propterea ab ordine Clericorum membro aliquo mutilum, rectè tum temporis fuit statutum. Et proinde ex allegato Levitici textu allegoricam elicit interpretationem Gregorius Papa in pastorali, apud Gratianum c. *hinc etenim* dist. 49. Etsi itaque; si commodè fieri potest, tales sint præficiendi, qui corporis ratione non sint aliis contemptui; tamen si alias sint præclaris donis ad ministerium necessariis ornati, melius est ut careat minister Ecclesiæ elegantia formâ corporis, quam ut Ecclesia careat idoneo ministro.

XXIV. Per-

XXIV. Pertinent huc etiam castrati, de quibus celebris est canon primus Concilii Nicæni, etiam à Gratiano dicitur. dist. 55. consignatus. Ejus ex versione Dionysii Exigui hæc sunt verba: *Si quis à Medicis per languorem defectus est, aut à barbaris abscissus, hic in Clero permaneat. Si quis autem se sanguis abscidit, hunc & in clero constitutum abstineri conveniet, & deinceps nullum debere talium promoveri. Sicut autem hoc claret, quod de his, qui banc rem affectant, vel audent, quæ semetipos abscidere dictum sit: Sic eos, quos aut barbari aut domini castraverunt, inveniuntur autem alias dignissimi, tales ad clerum suscipit regula.* Subintelligi hic debere canonem alium jam extantem, haud vanâ præsumptio est, eumque ajunt nonnulli canonem 21. Apostolicum, quem tamen corruptum putat Antonius Mornacius ad l. 2. C. de Eunuch. Occasionem vero decreto Nicæno dedisse videtur, vel Valesiorum secta, qui amore castitatis semet ipsos castrabant, de quibus consuli potest Epiphanius heres. 58. vel qui circa hoc tempus vixit, Leontius, cuius mentionem aliquoties facit Athanasius, in primis in *apolog. de fugâ suâ in fin.* Leontius *insimulatus commercii cum muliere juvenculâ, cui nomen Eustolio, ejusq; contubernio abstinerere jussus, propter eam semetipsum exsecuit, ut liberè cum ea versari liceret: & suspicionem quidem non eluit: propter id ipsum autem eo magis, cum presbyter es- set, depositus est.* Et in epist. ad solitar. vitam agentes: *Leontius ille castratus, quem ne quidem ut Laicum communicare oportuit, quandoquidem semetipsum exsecuit, ut in posterum licentiam cum Eustolio dormiendi haberet, quam ipse mulierem fecerat, virginem tamen appellabat.*

XXV. Propter facinus hoc gradu motus & ex Cleri ordine dejectus est Leontius, quod testatur non solum Athanasius d. l. sed etiam Socrates lib. 2. cap. 26. Qui cum esset presbyter, eo dignitatis gradu dejectus fuerat, propterea quod cum muliere quâdam, Eustolio nomine, perpetuo degens, ut omnem turpis cum illâ consuetudinis suspicionem adimeret, genitalia sibi membra præciderat: atque exinde liberius cum eâ versabatur, utpote jam carens illis, propter quæ antea in suspicionem criminis vocabatur &c. Nihilominus idem ille deinceps ad altiorem gradum promotus & ad Antiochenum thronum electus fuit. Idque factum ait Theodoritus lib. 2. bis. Eccles. cap. 24. contra Nicænos canones: *Antiochiae, inquit, post Stephanum Flaccilli successorem, qui Ecclesiâ ejus fuerat, Leontius Episcopatum obtinuit, contra Nicænos canones eum honorem sortitus. Erat enim Eunuchus, sùaque manu seipsum abscederat.* In sequentibus versutiā ejus & vafritiē perstringit, quod cum particeps esset Ariana blasphemiae, morbum illum occultare egregiè didicisset. Et promotionem ejus ad Episcopatum studio Imperatoris Constantii, qui & ipse Arianus erat, contigisse scribit Socrates d. l. Ut adeò ab Ariano scriptore profectum videatur elogium Leontii, quod legitur in Chronico Alexandrino sub Sergio & Nigriano Consul. fuisse eum Virum ingentis fidei & pietatis, acer-

U u 2 rimum-

rimumque veritatis propugnatorem. Recte autem excipit Canon Nicænus tūm eos, qui à Medicis propter morbum excisi, tūm eriam, qui à barbaris exsecti sunt. Itaque ad alterutrum genus referendi sunt, qui in vetere historiâ ad Episcopatum promoti leguntur Eunuchi, quale occurrit exemplum inter Episcopos Constantinopolitanos sub num. 52. apud Philippum Cyprium, de Niceta Eunicho. Idem dicendum etiam de iis, qui Eunuchi sunt nativitate, ut fuit Dorotheus Ecclesiæ Antiochenæ presbyter, apud Euzebium lib. 7. c. 32.

XXVI. Ratio cur exsectus clericatu prohibeatur, redditur in canonicis Apostolorum apud Gratianum c. *siquis, dist. 55.* quia sui est homicida & DEI conditioni inimicus. Nec sane excusari potest, qui tale aliquid in corpore suo committit, ut maximè bonum habeat finem, ad declinandas scil. carnis tentantis libidines & ex libidinibus provenientia peccata, tūm quod remedium hoc nullib[us] præscriptum legatur, nec necessarium adeò sit ad animæ salutem, cùm non membra ipsa, sed inhærens in eis malitia & voluntatis humanæ prava licentia afferat homini perniciem, tūm vero quod in membra & organa à DEO creata, exercita hāc ratione sævitia in ipsum DEUM creatorem injuria planè est & blasphema, tūm denique, quia talis exsectio non tollit id, quod tollere debet, & fine suo prorsus frustratur. Graviter æstum hunc castratorum exponit Basilius M. libb. de verâ virginitate, inter alia hæc verba faciens: *Abscissio majorem in abscessi oculis concupiscentia flammarum arguit, quod continere se posse diffidens id abscederit, quo libidinem flagrantem in opus exeruerisset: imò cum sciret, se incontinentiae daturum manus, cupidinis se organo privavit, ne corpore lascivire videretur, ignem tamen non abstulit, sed animo desiderioq. luxuriat, & assidue libidinatur.* --- Et hec de his, quibus undam testibus tota quoque genitalia resecta sunt. Nam quibus jam per etatem ad Venerem aptius testiculi modo abscessi sunt, eos ajunt acris, ardentiū & impatientiū non ad eam solū rem ferri stimularique, sed tutè quoque, quas voluerint, ut sibi videntur, corrumpere &c.

XXVII. Nec tamen tam abscissè accipi debet canon Nicænus supra adductus, ut nullā omnino ratione & nec per dispensationem quidem promoveri debeat ad clericatum, qui se ipsum castravit. Quid enim si ex juvenili quādam præcipitantiā, & errore mentis seductus ad castrationem sui quis processit, sane si errorem ille suum agnoscat, & egregiis ad munus Ecclesiasticum donis prædictus fuerit, quin ad ejusmodi munus promoveridebeat, si præsertim alias & quæ idoneus haberi nequeat, nullus dubito. Nec enim jure divino morali prohibentur Eunuchi ab ministerio altaris. Quæ enim adduci solent ex Veteris testamenti tabulis, ad Israëliticum spectant populum, non ad Ecclesiæ Christi. De Levitici capite XXI. vidimus supra. Ejusdem notæ est locus *Deut. XXIII, 1.* quem Cardinalis Baronius pro

pro exclusione Eunuchorum adducit ad ann. 230. n. 5. Nec enim is continet legem moralem, imò nec applicari poterit ad prælens negocium, si rectè explicetur. Intrare enim in Ecclesiam Domini idem est, quod habere ius ducendi Israëlitidem, uti exponunt Paulus Fagius in *Targum Onkelos*, Cornelius à Lapide ad h. l. Joh. Seldenus de J. N. & G. juxta disc. Ebr. lib. 5. c. 16. Dum ergo prohibitio illa ab Ecclesiâ facta est, dispensationi quin locus esse queat, dubium nullum est.

XXVIII. Idem judicandum arbitror de eo, cui oculus erutus est, quem et si Gelasius Papa apud Gratianum c. fin. d. dist. 55. fine ullâ distinctione, utrum invito an volenti oculus ademptus fuerit, ab sacerdotio prorsus exclusum velit; non placuit tamen rigor iste usquequaq; omnibus. Nam illi, inquit Gelasius, cui erutus est oculus, non possunt secundum canones sacerdotii jura concedi. Neq; enim aliquid ei prodest, qui oculum invitus amisit, cum nec volens quisquam oculum amisisse credendus est: nec sacratissimos canones aliquem consum in amissione oculi ei qui sacerdotium adipiscendum non impediret, suis exceperit regulis invenimus, sed hoc tantummodo ad prohibitionem fecisse videmus, ut qui caret oculo, sacerdotii officium adipisci non possit &c. Quos hic intelligat canones Gelasius, non satis certum est. Inter Canones verò apostolicos septuagesimus septimus planè contrarium docet: *Si quis vel oculo orbatus vel semore obesus, Episcopatu autem dignus sit, fiat. Non enim corporis damnum eum polluit, sed anime inquinatio.* Ad quæ verba rectissimè hunc in modum commentatur Zonaras: *Lex quidem per Mosem data Israëlitis exigebat consecratos ipsorum ministros, integros esse corpore, notamq; nullam habentes: ac ne-mo parte corporis aliquā deformatus, aut mutilatus admittebatur ad sacerdotium. Sed etiam post sacerdotium si cui Sacerdotum membra vel particulae cujuspiam mutilatio contigisset, sacerdotio multabatur. At iis, qui consecrandi sunt apud nos, mutilatio corporis impedimento non annumeratur. Animam nempe requiritur babere puram sine vito & sorde.* Quod si quis uno fortè est oculo, vel strabos habet oculos, aut claudus est, aut aliam quam nature imperfectionem habet, ad Episcopale munus obeundum sibi non obstantem, dignus verò judicatur Episcopatu, non prohibetur ordinari. Pari modo Theodorus Ballamon in *responsis ad interrogata Marci Patriarchæ Alexandrini*, quæ extant in Jure Græco Romano à Johanne Leunclavio edito, sub interr. 23. de monoculo & alias mutilato respondet, tales non prohiberi sacerdotio in Ecclesiâ Novi Testamenti. Dei enim præconibus, inquit, placuit per mutilationem corporis à sacrifice non prohiberi quenquam. Quod si morbi debitum officio sacerdotii sit impedimento, exercere desinet ægrotans, à dignitate tamen non alienabitur, quin potius miserandus erit &c.

XXIX. Diximus hactenus, qualis esse debeat Episcopus eligendus quo ad natales & constitutionem corporis. Major verò sollicitudo esse de-

bet eligentibus de bonis animi, quibus ornatus esse debet Candidatus. In concilio Laodiceno can. 12. hæc præscripta fuit regula: *Episcopi iudicio Metropolitanorum & eorum Episcoporum, qui circum circa sunt, promoteantur ad Ecclesiasticam dignitatem, si videlicet qui plurimo tempore probantur tam verbo fidei, quam recte conversationis exemplo.* Legitur apud Gratianum c. *Episcopi dist. 24.* Optimè ibi Zonaras: *Canon vult Episcopos in iis, que ad fidei rationem spectant, exercitatos & probatos: in politia verò, hoc est, ratione & instituto vite rectissimis sensibus eunt em, non pravum, neq; improbum, sed hic quoq; nota ac spectatæ probitatis & moribus omnino inculpatis esse debere decernit.* Utrobius plurimo tempore probatum esse vult Canon. Neque enim sat is est, ut quis semel aut in unico actu doctus aut bonus vir probatus sit, sed ut continuo & perseveranter talis existat, & ut in omnibus articulis fidei recte doceat, & ut constantem ac perpetuam voluntatem habeat honestè & innocenter vivendi, recteque faciendi, & suum cuilibet tribuendi. Eleganter Eusebius de prepar. *Evang. lib. 4. cap. 1.* Non arcu, inquit, aut fundâ artificiose eum uti dicemus, qui cum sapientia atq; sapientia telum procererit, semel aut ad summum bis vel ter ad scopum pervenerit, cum penè infinites longissimè à signo absuerit. Nec ille certè medicinam tenet, qui cum multos interemerit, vix tandem unum à morbo liberaverit.

XXX. Quod primum requisitum attinet, ex doctrinâ Pauli *I. Tim. III. 2.* constat, debere Episcopum esse διδακτον, aptum ad docendum. Id quod ipse plenius explicat, *Tit. I. 9.* debere esse tenacem fidei illius secundum doctrinam sermonis, ut possit & auditores exhortari doctrinâ illâ sanâ & contradicentes convincere. Διδακτον autem esse vix poterit, nisi probè antea variâ doctrinâ instructus fuerit. Præcipue autem in Scripturis debet esse exercitatisimus. Has ad amissim calleat, & si fieri potest, ediscat, immo ad exemplum tunc Ezechielis *cap. III. 2.* tum Johannis in *Apocalypsic. X. 10.* prorsus comedat librum divinum, ut dici queat scriba velox in lege Moysi, ut Ezra *cap. VII. 6.* & δυραντες εν γερφαις potens in scripturis, ut Apollos *Act. XVIII. 24.* & εντεφόμησθε πᾶς λόγοις & πίστεως καὶ τῆς οὐαλής διδασκαλίας, innutritus in sermonibus fidei & preclaræ doctrine, ut Timotheus. *I. Tim. IV. 6.* In hunc finem constitutum fuit in Concilio Nicæno II. *cap. 2.* Inquiratur diligenter à Metropolitanu, si in promptu habeat legem scrutabiliter & non transitorie tam sacros canones & sanctum Evangelium, quam divini Apostoli librum, & omnem divinam scripturam, atq; secundum mandata conservare & docere sibi populum commissum. Substantia enim summi sacerdotii nostri sunt eloqua divinitus tradita, id est, vera scripturarum divinarum disciplina &c. ap. Gratianum c. omnes dist. 38.

XXXI. Καλη̄ illa διδασκαλία, quam in Timotheo laudatam à Paulo diximus, latius lese extendit ad varia bonarum artium & disciplinarum genera.

nera. Atque adeò ut contradicentes convincere possit Episcopus, quorum quamplurimi valdè eruditii, & in omni doctrinâ versatissimi sæpenumero occurrent, ipsum etiam ~~navem suam~~ & omnigenâ literaturâ imbustum esse oportet. Nec omittendum ergo studium philosophiæ, quippe quod ubique insignem usum in Theologis controversiis præstat. Quamvis enim ratio religionis principia sumat à lumine fidei, tamen hoc lumine præente, ex hisce principiis secundum normas bonæ & necessariæ consequiæ impressas, ab ipso DEO, creaturæ rationali & solet & debet judicare, quomodo partes cœlestis doctrinæ inter se cohærent, & se mutuo stabiliant, quid cum illis consentaneum, quid ab illis dissentaneum sit. Credimus supra rationem, non temerè aut irrationabiliter. Nam ratio nostra concipit, id, cui fidem adhibemus, verè ita se habere, & ex principiis sacræ scripturæ recte deduci. Facit huc, quod eleganter, & philosophicè concludit B. Augustinus lib. 2. de doct. Christ. c. 31. & 32. Cùm ergo sint veræ connexiones, non solum verarum sed etiam falsarum sententiarum, facile est, veritatem connexionum etiam inscholis illis discere, quæ præter Ecclesiam sunt. Sententiarum autem veritas in sanctis libris Ecclesiasticis investiganda est. Ipsa tamen veritas connexionum non instituta, sed animadversa est ab hominibus & notata, ut eam possint vel discere vel docere. Nam est in rerum ratione perpetua & divinitus instituta &c. Et hunc recte de Philosophiæ usu in Theologiâ statuit Clemens Alexandrinus lib. I. Stromat. Etsi, inquit, ipsa sibi sufficit, nec opis alienæ eget doctrina Servatoris, cùm sit potentia & sapientia ipsius DEI; tamen Greca & Philosopha si accessit, non quidem validiorem facit veritatem, sed philosophicos insultus ab eâ amolitur, & insidias omnes avertens sepes & lorica est Dominicæ vineæ.

XXXII. Nolim verò ego Philosophiæ studium tantâ animi contentione excoli, ut ex eo Theologia deinceps obfuscetur magis, quam defendatur. Scholasticorum scilicet Theologorum id vitium est, qui non contenti primâ illâ atq; originali purâq; Theologiâ & insuper habentes latinum illum sermonem, quo eruditissimi Ecclesiæ Patres usi fuerunt, novum planè loquendi & scribendi genus excogitarunt, tām barbaris & involutis verbis dogmata tūm antiqua tūm noviter à se excogitata proponentes, ut vera & salutaris Ecclesiæ doctrina intricata magis, quam extricata, magisque obscurata, quam elucidata, meritò dicatur. Dum enim illi ad ociosas, superfluas & inextricabiles quæstiones delapsi nimium Philosophiæ & speculationibus suis indulgent, negari nequit, Theologiam eos curiositate suâ inquinasse, multisque crassisimis tenebris claram Evangelii lucem obnubilasse. Et recte proinde vitare eos jubet Johannes Gerson Cancellarius olim Parisiensis tom. 4. op. monetq; ne tractentur ita communiter doctrinæ inutiles sine fructu & soliditate. Quoniam, ait, per eas doctrinæ ad salutem necessariae

& uti-

¶ Utiles deseruntur. Nesciunt necessaria, quia supervacua diaicerunt, inquit Seneca. Et addit porro rationes alias non contemnendas, quas hic legere operærit pretium. Secundo, inquit, per eas Studentes seducuntur, qui ascilicet putant illos principaliter esse Theologos, qui talibus se dant spretâ Bibliâ & aliis Doctoribus. (3.) Per eas termini à sanctis Patribus usitati transmutantur, contra illud Augustini: Nobis ad certam regulam loqui fas est. Et non sequitur velocior scientia alicujus corruptio, quam per hæc. (4.) Per eas Theologi ab aliis Facultatibus irridentur, nam ideo appellantur phantastici, & dicuntur nihil scire de solidâ veritate, & moralibus & Bibliâ. (5.) Per eas vie errorum multiplices aperiuntur; quia enim loquuntur & fingunt sibi ad placitum terminos, quos alii Doctores & Magistri non intelligunt, nec intelligere curant, dicunt incredibilia & absurdissima, que ex suis absurdis fictionibus deducunt, sequi. (6.) Per eas Ecclesia & fides neq; intus neq; foris edificantur. (7.) Per eas multi ex Theologis tam activè quam passivè scandalizantur; nam alii rudes vocantur ab aliis, & alii contra curiosi & phantastici &c.

XXXIII. Dum in hoc argumento versamur, non pigebit audire etiam Cornelium Musulum Episcopum Bitontinum, ex comment. in epist. ad Rom. c. 6. pag. 279. Divinæ, inquit, Scripturæ olim, prob dolor! quanto omnium damno negligebantur? Vigebat spinosa & molesta nescio quæ Theologia, de instantibus, relationibus, de quidditatibus, de formalitatibus, itemq; hæc omnia Syllogismis arte contortis & humanis duntaxat argutiis, quæ proculdubio quâ autoritate recipiuntur, ea & refelli possunt, pertractabantur. Totapenè etas in hominum decretis, que inter se pugnantia semper nullo tempore concilianda alunt perpetuam per secula litem, contrebatur. Is sublimis Theologus habebatur, qui majora portenta pro suis tradiunculis affingere sciret: pretiisq; pars erat, gloriola inanis, non intelligi grandia illa verba, quæ alio supercilio, inter mulierculas defacris literis philosophantes, trutinabant. Juraverant universi divini verbi Duces in Magistrorum verba. Hinc sexcenta setæ: Thomistæ, Scotistæ, Occanistæ, Baconistæ, Albertistæ, Egidiani, Andrei, o scelus! Post habebantur Evangelia, Epistole; Christiana Philosophia delitescebat, à paucissimis tractabatur, sed frigide, non enim dicam, insincerè. Hæc ille de Theologis Scholasticis in papatu, qui Scripturam negligentes, sacram Theologiam densissimis tenebris involverant, in quorum libris spinæ & fenticeta subinde Lectores remorantur.

XXXIV. Qui philosophiam hâc ratione & in hunc finem excolunt, faciunt ex ancillâ dominam, & rationi, quæ servire debet, subjiciunt revelationes divinas. Rectè Clemens Alexandrinus lib. 6. steomat. philosophiam appellat θεολογίαν, h. e. scabellum, seu imam scalam, τῆς κατηγορίας Φιλοσοφίας. Basilius M. fimbriæ ad textæ eam comparat. Sicut tintoræ, inquit, ut perfectum purpure colorem panno inducant, inferiorem alium colorem sub-

subtexere solent ; ita se habere humanas disciplinas ad divinam scientiam. Quo-
circa sobria debet esse Philosophia, quā utendum est Episcopo, non tetrica
illa & spinosa, cui debemus magnam calamitatum partem in Ecclesiā, præ-
sertim, postquam ipsi ejus autores inter se in lectas & schismata concide-
runt. Arceatur ab Ecclesiā pseudotheologia ista garrula & bonis omnibus
fastidita, paucis ad ostentationem adamata, nemini utilis, nisi ad subver-
sionem veritatis Apostolicæ & purioris doctrinæ. Maneat Regina disci-
plinarum omnium Theologia, & reliquas omnes ut pedissequas habeat in
suo famulio. Efficacior est philosophia Christi, quām omnis ex ipsis quis-
quiliis & sordibus collecta eruditio. Et studendum omnino est Episcopo,
ne idem de eo dicatur, quod de sui seculi Doctoribus apud Epiphanius con-
queritur Methodius, hæres. 64. Doctores, non jam quod optimum est, gra-
vitatisque plenum student, sed id duntaxat, quod placet, & quod secundo
favore fertur, respiciunt, uti Sophistæ facere consvererunt, qui orationum
fuarum mercedem accipientes, doctrinæ & eruditionis suæ laudibus, tan-
quam vili quodam precio, redimuntur. Ac priscis quidem temporibus
summa erat in explicando brevitas, cùm in id illi potissimum incumberent,
non ut oblectarent, sed ut prodecessent auditoribus.

XXXV. Et hæc de eruditione Episcopo necessariâ strictim. Quod alterum attinet, bonam scil. famam & vitam benè actam, testatur Origenes lib. 3. contr. Cels. neminem ad illas Ecclesiæ dignitates fuisse proiectum, qui post fidem Christo datam feediori aliquâ maculâ vitam suam adspersisset. Itemque Augustinus apud Gratianum cap. 1. dist. 81. Apostolus Paulus, quando elegit ordinandos vel presbyteros vel diaconos : *& quicunque or-*
dinandus est ad præposituram Ecclesiæ, non ait : Si quis sine peccato est. Hoc enim
si diceret, omnis homo reprobaretur, & nullus ordinaretur. Sed ait : sine crimi-
ne est, sicuti est homicidium, adulterium, aut aliqua immunditia fornicationis, fur-
tum, fraus, sacrilegium, & cetera hujusmodi. Idcirco enim nomina eligen-
dorum publicè proponebantur antiquitus, ut si quis esset, qui de illis male
sentiret, aut de malâ eorum conversatione compertum quid haberet, ma-
turè id proferret, suoque hoc elogio ordinationem impediret. Ejusque rei
testimonium extat apud eundem Origenem homil. 6. in Levit. relatum Gra-
tiano c. licet 8. q. 1. Licet ergò Dominus de constituendo Pontifice precepisset &
elegisset, tamen convocatur etiam Synagoga. Requiritur ergò inordinando Sa-
cerdote etiam populi presentia, ut sciant omnes & certi sint, quod qui præstantior
est ex omni populo, qui doctior, qui sanctior, qui in omni virtute eminentior, ille
eligitur ad sacerdotium, & hoc attestante populo, ne qua postmodum retractatio
cuiquam, ne quis scrupulus resideret &c. Luculentius Cyprianus epist. 68.
Diligenter de traditione divinâ & Apostolicâ observatione servandum est, & te-
nendum, quod apud nos quoque & ferè per universas provincias tenetur, ut ad or-

dinationes rite celebrandas, ad eam plebem, cui praepositus ordinatur, Episcopi ejusdem provinciae proximi quique convenient, & Episcopus deligitur plebe presente, quæ singulorum vitam plenissimè novit. & uniuscujusque actum de ejus conversatione perspexit. De traditione divinâ quod dixit, id in sequentibus declarat exemplo Moyûs, qui jubet Aaronem exuere stolâ Pontificiâ, eâq; filium ejus induere coram universâ Synagogâ. Coram omni Synagogâ, inquit, jubet DEUS constitui Sacerdotem, id est, instruit & ostendit ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe presente vel detegantur malorum crima, vel bonorum merita predicentur, & si ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio fuerit examinata.

XXXVI. Christianos hâc in parte secutum Alexandrum Severum Imperatorem secularia officia non aliter contulisse scribit Lampridius, ex cujus verbis Christianorum iteritus percipi optimè potest. Sic enim ille: *Ubi aliquos voluisset (Imperator) vel Rectores provinciis dare, vel prepositos facere, vel procuratores, id est, rationales ordinare, nomina eorum proponebat, bortans populum, ut si quid haberet criminis, probaret manifestis rebus; si non probasset, pœnam subiret capitum.* Dicebatq; grave esse, cum id Christiani & Judei facerent in prædicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum Rectoribus, quibus & fortune hominum committerentur & capita. Christianos imitari voluit Alexander in hoc præcipue, ut eligendorum nomina publicè proponerentur, & unicuique potestas hinc concessa esset criminis objiciendi; sed quoad pœnam calumniatoribus decernendam longius ille abiit ab Christianorum institutis, quippe qui talem in hoc genere electionis statuisse nullibi leguntur.

XXXVII. Cæterum ad cujusque mores explorando multum conductet inspectio eorum, quibuscum eligendus conversatus hactenus fuerit. Africat enim, ut ait Seneca, morum suorum scabiem convictor corruptus, & ut scripsit sapiens quidam Hebreus, non potest non inquinari, qui picem contrectaverit. Etsi enim consortium malorum in tantâ hominum improborum colluvie vitari prorsus non posit, uti eleganter id ex Patrum scriptis deducit Ivo Carnotensis epist. 186. non contrahenda tamen cum talibus est familiaritas, quæ arctiorem adhuc nexum significat, quam amicitia juxta Plinium lib. 4. epist. 17. Ex hâc ergo familiarí conversatione facillime adhærent vicia, nec potest non esse suspectus, qui tali confortio gaudet: *Convictor deliciatus,* inquit Seneca epist. 7. paulatim enervat & emollit. *Vicinus dives cupiditatem irritat.* Malignus Comes quamvis candido & simplici rubiginem suam affricuit. Et porro epist. 104. Hærebit tibi avaritia, quamdiu avaro sordidoque convixeris: hærebit tumor, quamdiu cum superbo conversaberis. Nunquam saevitiam in tortoris contubernio pones: incendet libidines tuas adulterorum scandalitia: si velis exitis exui, longè à vitiorum exemplis recedendum est. Con-

similiter Gregorius Nazianzenus orat. 21. Neque enim vel pannus tintetur am
ita facile concipit, vel is qui fætido aut svavi odori proprius se adjunxit, ejus par-
ticeps fit, vel vapor quidam morbidus & noxious pari facilitate in aërem diffundi-
tur, ac per aërem animantibus impertitur, quam nos vero nomine pestem dicimus,
ut subditis p̄fectorum vitio celerrimè imbui atq; impleri solent, & quidem multo
facilius, quam virtute.

XXXVIII. Debet ergò ille, qui ad Episcopatum euchi debet, à virtute maximè esse commendatus, non unâ tantum aut alterâ, sed omnibus illis, quæ virum bonum faciunt, quandoquidem pleraque omnes ita concatenatae & conjunctæ sunt, ut virtuosus dici nequeat, qui in unâ aliquâ defecerit. Quapropter & nomina virtutum sèpè confunduntur, quod una sine altera esse nequeat, & unaquæque, licet distingui à reliquis soleat, semper tamen comites sibi gaudet habere cæteras. Observavit hoc Claudius Espencæus, Pauli Apostoli hunc esse stylum 1. Tim. II, 2. In omni, ait, tûm pietate non solùm ea, quæ in dogmatibus est, sed ea quoque, quæ in vita est ratione & puritate. Quid enim conferat fidei integritas utcunq; servata, si operibus impius sis? ore DEU M fatearis, factis neges? infideli deterior. Enquot impietatis species, nec in honestatis pauciores. Tum etiam, ait, in castitate, seu, ut quidam vertunt, honestate: hoc est non ea modo virtute, quæ cum libidine pugnat, sed & ed, quæ in omni virtute cernitur, ne fornicatorem tantum imputidum esse putas. Est & alia concupiscentia carnali minimè inferior. Et avarus ergo, & invidus, & iracundus, & hypocrita, & omnis flagitosus, turpis & intemperans dici, & eo censeri nomine potest.

XXXIX. Brevis catalogum virtutum Episcopatus Candidato necessariarum contexitus Concilium Carthaginense IV. dum c. i. constituit: *Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur, si naturā sit prudens, si docilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si semper suis negotiis cavens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in Scripturarum sensibus cautus, si in dogmatibus exercitatus &c.* Videndum Gratianus c. qui *Episcopus dist. 23.* Ex quibus verbis optimè colligitur, non sufficere Episcopo abstinentiam à malo, sed requiri insuper, ut ipse quoque operetur secundum virtutem, ne audiat, quod ab obrectatoribus objectum fuit Richardo Archiepiscopo Cantuariensi, non sufficere tantæ prælationis homini, non facere malum, nisi adjiciat facere bonum. Non solum enim arbor, quæ fructus malos facit, sed arbor, quæ fructus bonos non facit, excidetur, & in ignem mittetur. Apud Petrum Blesensem epist. 5. His igitur virtutibus ad levigandi debet, qui Episcopatum desiderat, ut, si ad officium istud promotus aliquando fuerit, jam exercitatus sit, neque cum molestiâ aliquâ agat, quod sui est muneris. Quanquam negari nequeat multos recte uti virtute, dum sibi vivunt, qui tamen, ubi in

publicum prodierint, & officio admoti fuerint, idem non præstant, & nihil quicquam ejus, propter quod laudati fuerunt, possidere deprehenduntur. Ratio est, quia in munere publico perfectior gradus virtutis requiritur, ut rectè ibi quis le gerat, ubi plures occasiones sunt delinquendi, quam ubi aut nullæ aut paucæ. De his Seneca epist. 42. Multorum, quia imbecilli sunt latent vitia, non minus ausura, cum illis vires suæ placuerint, quam illa, que jam felicitas operuit. Instrumenta illis explicanda nequitia desunt. Sic tutò serpens etiam pestifer atractatur, dum riget frigore. Non desunt tunc illi venena, sed torpent. Multorum crudelitas & ambitio & luxuria ne paria pessimis audeat, fortunæ favore deficitur. Eadem velle eos cognoscet, da posse quantum volunt Sc. Quibus optimè convenit, quod de Monachorum vitâ alceticâ scribit Cyprianus lib. de duplice martyrio: Non locus disertus, saccus pro ueste, legumen pro cibo, neque jejunia, neque chameunia (humidormitiones) monachum absolvunt. Sub quibus involucris interdum latens animus valde mundanus ita deprehenditur, si ad munus aliquod Ecclesiasticum vocentur. Ibi videoas quosdam facilimè vincit delitiis, impatientiores injuriarum, appetitiores vindictæ, quam quemvis alium ex mediâ plebe. Quid causæ est, quoniam corpus exercuerunt magis, quam animum.

XL. Præcipua Episcopi virtus est iustitia, pietas in DEUM, quæ rectissima totius viræ norma est, & quæ eminenter & singulari quodam respectu in Episcopo sese exserere debet. Qui enim cultui divino præficitur, non tantum ut ipse eum instituat & conservet, sed etiam ut exemplar sit, ad quod cum oculos dirigat populus, vitam moresque componet, is sane omnia ea quam accuratisimè sectari debet, quibus homo proprius ad DEUM accedit. Magni momenti hæc in pastore est sanctitas, tum quod ea, quæ ab eo, veluti ab ore DEI, ad populum proponuntur, avidius imbibuntur, altius radices agunt, & efficacius operantur, tum quod preces, quæ vicissim ab illo, veluti ab ore populi, ad DEUM funduntur, gratiores sint in conspectu DEI, & certissimæ exauditionis promissionem habeant, cum utique multum intersit, sanctus sit a sceleratus, per quem preces ad DEUM transmittimus. Qui in hunc modum communionem cum DEO exercebit, ille DEUM in omnibus & intuebitur & sequetur, superna cogitabit, ab iis quæ in mundo sunt, corruptelis seipsum purum & incontaminatum servabit, denique sanctitatem cordi inscriptam in totâ vitæ conservetudine spirabit, nec patietur, ut ab verâ religione in Scripturis sacris præscriptâ quisquam declinet, aut certè mature eum inviam revocabit. Id quod proprium est pastoris & Episcopi munus.

XLI. Quia autem DEUS pura & casta mens est, ejusq; voluntas circa ἀγιασμὸν hominum versatur, qui ἀγιασμὸς εὐτῷ ἀπίκεσθαι δοῦλος τῆς περιέντες constituit, 1. Thess. IV, 3. facile hinc conficitur, eum, qui ad Episcopatum pro-

promoveri cupit, à castitate commendatum esse debere. Obtinebit autem istud, si omnem caveat cum foeminis indecoram familiaritatem, omnem cum illis conversationem suspectam, & tūm verbis tūm operibus, unde maligna oriri posse opinio, studiosè abstineat. Debet enim virtus ea tūm in gestibus, tūm in sermone, tūm denique quam maximē in opere sese exsere-re. *Habent & mores colores suos*, inquit Bernhardus, *serm. 71. in Cant.* Ha-bent & odores: odorem in famā, colorem in conscientiā. *Colorem operi tuo dat eus bonitas & cordis intentio, odorem, modestia & virtutis exemplum.* Lasci-via scilicet & libidini interficere solent non intellectus tantum & voluntas hominis, sed corporea etiam hominis membra universa & singula, potissimū verò oculi, lingua, manus, pedes & tota adeo corporis junctura. Si quis ergo ex oculis patrantibus mollem ostendat petulantiam, si quis verba proferat turpia & obscena, si quis incessum habeat tutę compositum, & ne vestigia quidem pedum extra mensuram & numerum ab-errare faciat, vix erit, ut ab eo deinceps boni aliquid & Episcopo dignum expectari queat. *Compositus incessus*, inquit Odo Abbas Cluniacens. *lib. 2. collat. c. 19. cum à religione, tūm etiam ab honestate multum abhorret.* *Sicut enim os juxta vocem Domini ex cordis abundantia loquitur, sic exterioris hominis motus ex qualitate interioris formantur.*

XLII. Virtutem hanc, quæ libidinem coercent & extinguit, duæ potis-simum virtutes aliæ conservant & tuentur, modestia scil. & sobrietas. Utra-que eligendo Episcopo est necessaria. Et modestia quidem in omni opere tum in primis in vultu & oculis, atque sermone, sed & in vestitu conspicua esse debet. Eleganter Tertullianus *lib. 2. de cultu fœm.* Quo ergo *pacto pudicitiam sine instrumento suo, id est, sine gravitate tractabimus?* Quomodo autem gravitatem administrandæ pudicitia adhibebimus, nisi & in facie, & in cultu, & in totius hominis contemplatione severitas circumferatur? *Quamobrem erga ve-stitum quoq. & reliqua compositionis vestrae impedimenta, perinde vobis curanda est amputatio, & decussio redundantioris nitoris.* Nam quid prodest, faciem qui-dem frugi & expeditam & simplicitatem condignam divinæ discipline exhibere, cetera verò corporis laciniiosis pomparum & delitarum ineptiis occupare? *Hæ pompe, quā de proximo curent luxuria & negocium & obstrepan pudicitiae discipli-nis dignoscere, in facili est, quod gratiam decoris cultus societate prostituant &c.* Sane communiter olim, & in Christianæ Reip. primordiis delectus habi-tus est civilis corporum ornatus, brevioremque Christiani hominis vestem & in lateribus apertam Chrysostomus reprehendit, quasi grave Christiano nomini opprobrium & honestati seu pietati parum conveniens vestimen-tum. *homil. 9. de laudib. Pauli, & homil. 10. in cap. 3. Matthæi.* Proinde re-tè summat, uti loquuntur, & in compendium contrahit Gratianus, quæ ex Patrum scriptis producturus est, *diss. 41.* Ecce quibus oporteat sacerdotem

esse ornatum moribus. Sed præterea oportet illum esse ornatum in exterioribus, habitu videlicet *Ginceſu*. Habitu, ut nec fulgidis nec sordidis se vestibus ornem, ut enim ait Hieronymus: nec affectatæ sordes, nec exquisitæ delitiae laudes parunt. Et hoc statuit etiam Concilium Gangrense apud eundem Gratianum dist. 41. c. 6. Parlimoniam cum ueste humili non reprobamus: sicut etiam ornatum præter corporis diligentiam infucatum laudamus. Dissolutos autem *Graſtos* vestibus *Ginceſu* non recipimus.

XLIII. Sobrietas autem est virtus, quæ docet diætâ sanctè uti, & servare debitam moderationem in cibo & potu, ut animi & corporis vires conserventur & reficiantur. Νηφαλιοι dicuntur Græcis, qui in potu inebriante ita sibi temperant, ut modum non excedant. Illos vero, qui tales non sunt, noluit DÉUS ad regimen Ecclesiasticum admoveri. Ministri templi sub Veteri Testamento prohibebantur tempore officii sui, vinum aut siceram bibere. Sicera significat omnem potum, qui inebriare potest. Judæi enim potum olim conficiebant non ex frumentis tantum, sed etiam ex pyris, malis punicis, cornis, mespilis, sorbis, moris, nucleis pini, item ex herbis, ut asparago, origano &c. Quæ potio sicera in sacris literis dici solet. Et ab omni tali potionē abstinere voluit DÉUS sacerdotes tabernaculum introiituros. Hinc etiam Paulus Apostolus in ministro DEI requirit, ut sit μὴ πίειν *Col.* 1. *Tim. III, 3.* per παρόντα autem intelligit τῷ εἴσα περὶ χωρὰ eum, qui vino deditus est. Vitium hoc in illorum numero est, quæ, uti loquuntur, maximæ sunt adhærentiæ, & ubi semel radices egerunt, difficulter deinceps evitantur. Et quis verò nunc velit eos ad Episcopatum promovere, qui in œnopolii quotidiè latent, qui in popinis cum hominibus vanis dies noctesque sedent, quorum indoles vivacior quotidiana ἀσταζίᾳ abiit in vaporem? Bestiale istud hominum genus coram DÉO & Ecclesiâ fœret.

XLIV. Cæterum dum castitatem in Candidato Episcopatus exigimus, nec voto eum adstrictam volumus, nec talēm, ut conjugium prorū excludat. Votum istud temerarium esse, & de re, quæ non est in nostrâ potestate, diximus alibi. Consuetudinem autem conjugalem, in quâ leges conjugii non violantur ἀγνεῖας, σωφρονήν, ἀγασθιον & αμύαπνον vocat Apostolus *Hebr. XIII, 4.* *1. Tim. II, ult.* *1. Thess. IV, 4. Tit. II, 4.* Imo & Episcopum Uxoris maritum esse permittit, & simul ἐγκεφάλη seu continentem esse jubet, *Tit. I, 6. 8.* Et nota est Paphnutii Epiloci in Concilio Niceno sententia, qui honorabiles nuptias & torum immaculatum esse dixit, & congressum Viri cum Uxore legitimā castitatem vocavit. Vid. Socrates l. 1. hist. Eccles. c. 11. Atq; hinc colligo multum ab hac sententiâ deviare, rescriptum Gregorii apud Gratianum c. 5. dist. 28. Priusquam ad nos scripta vestra discurriſſet, Johannem diaconum, qui ab alterâ parte electus est, parvulam habere filiam, quorundam relatione cognovimus. Unde si rationem voluissent attendere,

dere, nec illi eum eligere, nec ipse debuerat consentire. Nam quā præsumptione audet ad Episcopatum accedere, qui adhuc longam corporis sui continentiam filie teste convincitur non habere? Quæ sententiā non maritos tantum excludit ab Episcopatus dignitate, sed eos etiam, qui liberos non ita dudum procreant, et si a conjugio in posterum abstinere velint. Sed de hac re infra forte commodiū.

XLV. Sunt & aliæ insuper virtutes, quibus ornatus esse debet Candidatus Episcopatus. Quia enim eum exemplar gregis esse oportet, talem utique se præstet neceſſe est, ut coram omnibus sit ἀνύλητος & ἀνεπιληθῆτος, non quod à calumniis liber esse queat, sed ut liber sit à vitio, de quo justè inculari possit. Et proinde abstinentem etiam à specie mali. Sit igitur in actionibus suis justus, servet fidem datam, nec injuriam inferat cuiquam, & rigorem judicii etiam circa se inflectere nesciat. Sit porro humilis & ab omni superbiā alienus. Nihil enim amabilius, quam cum humili conversatione conjuncta illustria ingenii dona. Sit patiens, nec ad quamvis injuriam leviusculam irritabilis. Sit suā forte contentus, & avaritiam, ambitionem, *nevodoξίαν*, invidiam & alia ejusmodi vitia cane pejus & angue fugiat. Ni enim hoc fecerit, non queret ea, quæ Iesu Christi sunt, ut Episcopum decet, sed quæ sua propria sunt. Sit deniq; bonus paterfamilias, qui propriæ domui, quæ pusilla Rēpublica est, præfesse didicit, cùm impar omnino sit regimini Ecclesiastico, qui in cœconomia *πρεσβυτερία* parum idoneus existit. His virtutibus si instructus fuerit, qui Episcopatum desiderat, dubium non est, DEUM dona multo insigniora largiturum, & indies habiliorem ad cœleste istud munus redditurum. Ut enim non patitur natura vacuum corporale, sed quælibet impellit corpora ad locum sibi præstitum occupandum: Sic DEUS non patitur vacuum spirituale in corde humilium & virtuosorum, sed ad implendum istudmittit fluenta cœlestium donorum.

XLVI. Et sic quidem exposuimus, qualis esse debeat ille, qui ad Episcopatus dignitatem evehi deberet. Sed quam parum observatum istud jam olim fuerit, plurimæ extant apud Scriptores Ecclesiasticos querelæ. Vetus fuit in Ecclesiâ, ne quis ad sacerdotium promoveretur, qui crimine aliquo contaminatus esset. Repetiit id ipsum, cùm parum observaretur suo tempore Gelasius Papa in epist. 9. quam scripsit ad Episcopos per Lucaniam & Brutios & Siciliam constitutos: *Comperimus etiam horrendis quibusdam criminibus implicatos, tota discretione submota, non solùm de factis atrocibus necessariam pœnitudinem non habere, sed nec aliquā correctione penitus succedente ad divinum ministerium honoremq; contendere* &c. Rursus tamen vetustam hanc legem non observari, graviter dolet Alcuinus in confess. fid. lib. 3. c. 36. *O infelicia tempora nostra, inquit, quæ nec DEUM timent, nec vim sacrum*

rum canonum reverentur. Nullus modo sacrilegus vel criminosus, ne ad sacri ordinis officium accedat, inhibetur. Similem querelam de Ecclesiâ Beluacensi contexuit Ivo Carnotensis epist. 87. Prædicta inquit Ecclesia tamdiu jam bonos desverit habere pastores, ut malos habere, ei videatur quasi legitimum, bonos autem eligere quasi nefarium. Quod in hoc satis patet, quod adversus literas domini Papæ & vestras de electione vel assumptione Episcopi illicita probibentes, ad contemptum sedis Apostolice, irrisoria & contemptibilia verbain vos protulerunt, & postpositâ omni canonica obedientiâ clericum quendam illiteratum, aleatorem, & ceteris hujusmodi lenociniis vacantem, procul etiam à sacris ordinibus inventum, quondam quoq; propter publicum adulterium à Legato Romane Ecclesie Lugdunensi Archiepiscopo de Ecclesiâ ejectum, pro voluntate Regis & illius contubernalis sue in Episcopum assumpserunt.

XLVII. Hanc eligendi rationem inter abusus Ecclesiarum Episcoporum retulit Georgius Wicelius in viâ regiâ, quam jussu Ferdinandi I. Imperatoris composuit: *Abusus, inquit, præcipuus committitur in electione, que parens est postea omnium corruptelarum. Eliguntur affectu magis, quam judicio: non à totâ Ecclesiâ, sed à certis quibusdam paucis: quorum pars major neq; DEUM magnoperè, neq; Ecclesiam universalem curat, neq; hujus profectum spectat, neq; sacras callet literas, tota barum rudis, tota tenebris involuta operibusq; carnis immersa: quo sit, ut ament potius sui similem eligere, quive ipsis commodus sit præsum magis, quam qui sit propensus erga populum subjectum, ut eum in pace gubernet, diligat, pascat, ac ponat animam pro grege suo Ecclesiastico &c.* In eandem sententiam differit Claudio Espencaeus in epistola dedicatoria, ad Cardinalem Carolum Borbonium, quam præfixit digressionibus suis in Pauli epist. 1. ad Timoth. Canonis Paulini, inquit, dum non quanta debet, vel potius nulla habetur ratio, irreperunt non magis temporum injuriâ, quam hominum incuria atq; etiavinum irrumperem pergunt in Ecclesiâ præfecturas homines sordidi adeò & obscuri, ut pudendum sit, tam nullius literaturæ, ut horrendum, tam sceleratae deniq; vite, ut que ab ipsis non jam, quod alibi quiritur Apostolus, clanculum, sed' propalam sunt commemorare fœdum sit. Et sordes quidem ac natalium obscuritatem testantur tam multi, qui ex non ita pridem obscurissimis homuncionibus salutantur, & hodie tantum non audiunt Patres in Christo reverendi. Ignorantia testes sunt cathedre a pastoribus jam olim relictæ, & ad fraterculos mendicantes relegatae, quædam quasi viduae miserabiles, vel sponsæ potius à Viris repudiatae & mercenariis passim sub annuo censu, contra juris præscriptum locatae ac veluti prostituta, (abst vocabulo invidia.) Vesta enim, vestra erat, o sanctissimi Episcopi, ea disciplina doctrinæ & possessio, in quam quasi caducam atq; vacuam h. e. à vobis ceu vobis indignam, relictam, fraterculi (quod de Græculis ait Tullius) & otio & literis abundantes, vobis alio disensis & occupatis, aliaq; multo curantibus, involaverunt. Nam quo quæso, modo in pascua divinorum educet eloquiorum pastor idiota? Sed et si doctus

doctus quidem fuerit, non item bonus, verendum, ne non tam nutritat ubere doctrinā, quam sterili vitā noceat. Temerè itaq; & hāc in parte hoc onus subitur absq; scientiā pariter & vitā laudabili. Vitam verò, qualis sit, ostendunt, quem hodie videmus, meretricius nitor, bistrionicus habitus & Regius apparatus &c.

XLVIII. De Episcopis indoctis antiqua & nova prostant exempla. Fuere enim etiam prioribus seculis Episcopi, qui literas prorsus nescirent. In collatione primā Carthaginensi cum Donatistis apud Optatum Milevitaniū cap. 133. hāc occurrit subscriptio: *Quintus pro Paulino Zurense praesente literas nesciente coram Viro clarissimo Marcellino Tribuno & Notario superius mandavi & subscripsi Carthaginī.* Utrum eodem modo accipienda sit subscriptio, quæ reperitur sub exauctorationis sententiā à Concilio Ephesino in Nestorium latā: *Theodorus Gadarorum Episcopus subscriptus per Etherium diaconum suum.* Nolim asserere, cūm fortasse articulari morbo correptus tum esse potuit, perinde ut Cyrillus Pylorum Episcopus, qui eidem sententiā per Selenespondum presbyterum subscriptus, ideo, quod ipse manu laboraret, uti disertè id addidit. Certior est subscriptio, quæ legitur sub actis Concilii Ephesini II. hoc modo: *Helias Episcopus Hadrianopolitanus definiens subscr. per Romanum Episcopum Myrorum eō, quod nesciam literas.* Et alia in iisdem actis: *Cajamas Episcopus civitatis Phaneensis def. subscriptus per Coepiscopum meum Dionysium, propterea quod literas ignorem.* Dionysius ille videtur fuisse, qui proximè antecedit, Episcopus Sycaminensis. Sic & suo seculo conquestus fuit Justinianus novell. 137. prefat. inveniri Episcopos, qui nec ipsam vel sanctae oblationis vel sancti baptismatis orationem tenerent, aut scirent. Et Karolus Calvus in epist. ad Nicolaum Pap. loquens de Gislemaro, qui electus erat Episcopus Ecclesiæ Remensis: *Qui, inquit, dum ante Episcopos discutiebatur adsedisset, oblatus est ei textus Evangelicus.* Cum autem ipsum aliquatenus legere nihil tamen intelligere omnes pariter cognovissent, reprobatus ac velut insipiens ab omnibus est dejectus. Nec immerito proinde ævi sui hanc labem deplorant Episcopi in Concilio Valentino congregati his verbis: *Et quia indiscussi, & inexaminati, scientiæq; literarum penè ignari, minusq; Apostolicæ preceptioni appropinquantes peccatis nostris agentibus, per civitates Episcopi ordinantur &c.*

XLIX. Nec defuerunt talia exempla patrum nostrorum ætate. Inter ipsos enim Pontifices Romanos fatetur Alphonsus à Castro Minorita l. 1. adv. heret. c. 4. plures constat adeo illiteratos esse, ut Grammaticam penitus ignorent. Et de Episcopis ejusdem simile est judicium l. 3. c. 5. Etsi aliqui sint docti, multo tamen plures sunt adeo indocti, ut vix latinè sciant loqui, & quod multo pejus est, eorum aliqui nec bene latinè legere noverunt. Isidorus Clarius ipse Episcopus simile de eis fert testimonium orat. 9. in Luc. Et tam ingenti, inquit, Episcoporum ac pastorum numero nullus penè Episcopus ac pastor appellari dignus, propterea quod omnia noverunt, præter Episcopi ac pastoris officium &c. In

oratione 1. mentionem facit cuiusdam, qui in arte concionandi celeberrimus, cum inter disputandum citatus fuisset locus ex Evangelio, qui non soleret in Ecclesiâ legi, negavit locum illum esse in Evangelio. Productus fuit Evangeliorum liber, quem is nunquam antea viderat. Rogat, quodnam sit volumen illud? Respondent, librum esse, qui integra quatuor Evangelistarum volumina complecteretur. Tum ille; *triginta, inquit, justis annis concionandi officio funditus sum, neque unquam scivi fuisse alia Bvangelia, præter eas partes, que passim in Ecclesiâ leguntur.* Seculo undecimo communem fuisse insciatiam in Angliâ non Episcopis tantum, sed univerlo clero, testantur Scriptores rerum Britannicarum. Et memorabile est, quod de Ludovico Beaumont Episcopo Dunelmensi, natione Gallo, refertur, eum nec consecrationis suæ bullas & diplomata legere potuisse. Verbo, *Metropoliticæ*, occurrente diu hæsitasse & tandem recitare nescium dixisse: *Soit pour dit.* Ad verbum, *enigmate*, in eodem luto hæsisse, & mox exclamasse: *Per Saint Louis, il n' est pas courtois, qui cette parole ici écrit.* Nec reprehendi adeò poterit Honorius III. Pontifex, quod removerit ab Episcopatu hominem prorsus illiteratum, & neque Grammaticæ peritum c. ult. §. de et. § qual. præl. quicquidin contrarium differuit in Concilio Tridentino Archiepiscopus Turitanus.

L. In istiusmodi tales titulotenus Episcopos meritò invehitur Nicolaus de Clemangiis Archidiaconus Bajocensis in elegantissimâ epist. 75. quam scripsit ad Radulphum de Porta, his verbis: *Muti præterea sunt, (dixerat ante, cœcos esse tales speculatores, quod ante oculos posita non perspiciant,) qui vocem non possunt ad suas oves erudiendas emittere, quorum lingua ne in verbum erumpat predicationis, saucibus & palato adhæret. Dicet fortè aliquis, meritò illos excusari, si non temerè ad prædicandum se ingerant, cùm illam artem non didicerint, temeritatis enim plenum est, quempiam id exercere velle, quod non didicit. Si suæ sibi conscienterant ignorantie, que eos latere non poterat, quā ergò ad id se impudentiâ ingerebant, quod eam artem requirebat, eam notitiam poscebat, id exercitium habebat annexum, cùm id etiam ultrò oblatum recusare non suscipere debuisset. Sane non aliter à temeritatis vitio purgantur, quam homo nauticæ prorsus artis imperitus, si aliorum in mari turbido navigantium gubernator effici flagitet, quos inter tumentes fluctus omnes secum pariter demergat.*

LI. Dura nimis sententia est, quā Gregorius M. lib. 4. epist. 45. Episcopatu Ravennatenfi exclusit Johannem quendam presbyterum, quod Davidis hymnos memoriam non teneret. Sed nec Joannem, inquit, presbyterum psalmorum nescium præsumpsimus ordinare, quia bæc eum res minus sui profectò habere studium demonstrabat. Rigorem hunc nostris temporibus non convenire censet Alexander Sperellus de Episcopo part. 2. c. 11. §. 3. Quamplurimi, inquit, nunc temporis rejicerentur, si tam levi ceteroquin lege probarentur.

tur. Non quidem necessarium hoc est, ut psalterium memoriā teneatur; sed nec hospes tamen in eo debet esse Episcopus, ut adeò putem, Johannem istum, de quo Gregorius loquitur, prorsus rudem fuisse, & psalterii planè ignarum. Videtur nihilominus Gregorii tempore attentius aliquod in psalmis studium ab Episcopo requisitum fuisse. Commendat enim idem Gregorius lib. 10. epist. 13. Opportunum quandam inter alia etiam à psalmodiæ studio, propter quod cæteris paribus dignus æstimari queat, ut ad Episcopatum Aprutensem promoveatur. Sed & expressè deinceps in Concilio Nicæno secundo c. 2. constitutum fuit, ne ordinetur quis Episcopus, nisi peritus sit psalmorum. *Decernimus quemlibet quidem, qui ad Episcopalem gradum est provehendus, psalterium omnino nosse, ut ex eo omnem quoque suum clericum ita imitari moneat.* Severius adhuc istud exegit, quod præcessit Concilium Toletanum VIII. can. 8. Decrevimus, ut nullus cuiusque dignitatis Ecclesiastice deinceps percipiant gradum, qui non totum psalterium vel cantorum usualium & hymnorum, sive baptizandi perfectè neverint supplementum. Qui verò jam honore dignatum funguntur, & hoc ignorant, aut sponte sumant, intentionem necessariam perdiscendi, aut à majoribus ad lectionis exercitia cogantur inviti. Imò vero longè ante hoc Concilium Gennadius Episcopus Constantinopolitanus neminem ordinavit, qui psalterium non sciaret memoriter, uti testis est Theodorus Lector hif. Eccl. lib. 1.

LII. Illud insuper addo, vanam esse recentioribus temporibus quotundam persuationem, qui imperitiam & ignorantiam Episcoporum suppleri posse putant per eruditionem Coadjutoris. Sanior hic est sententia Innocentii III. Pontificis, qui cum simile quid de noviter electo Episcopo Ecclesiæ Virdunensis, propositum fuisset, in hunc modum rescripsit lib. 3. epist. 194. *Cæterum si non ex eâ causâ, & in eo casu de Coadjutore fuit Episcopo memorato provisum, ex quâ, & in quo secundum DEUM, & instituta canonica debuit provideri, ut si competentis literatura defectum, cuius sufficiencia specialiter exigitur in Prælato, vel aliud impedimentum Canonicum idem Episcopus patitur, -- vos cum animal cœcum, vel claudum DEO non sit secundum legis testimonium offerendum, ipsum appellatione cessante ab ejus sanctuario depellatis, facientes Ecclesiæ Virdunensi de personâ idoneâ per electionem canoniam provideri.* Et in verbis antecedentibus: *Evidenter est iniquum, eò quod cum in talento scientiæ specialiter debeat Domino negotiari Prælatus, ac nimium patiatur literatura defectum Episcopus supradictus, alioquin de causis electionis caruerit robore firmitatis, eum sub specie auxilii alieni, coadjutoris videlicet, in honore ac onere pastoralis officii tolerari, & DEO fuit contrarium, & honestati Ecclesiastice inimicum.*

LIII. Supra dixi, ad eruditionem comparandam multum conducere, imò penè necessarium esse studium philosophiæ. Id verò cum potissimum

ex Gentilium libris hauriatur, jam olim & nunc etiam aliquando disceptatur, utrum libri tales admittendi sint in Christianâ Rep. & utrum ab Ecclesiasticis Viris legi debeant? Scripsit de hâc materiâ integrum tractatum Basilius Magnus, in quo docet, magnam ex libris istis resultare utilitatem, proponitque exemplum Mosis, qui Ægyptiorum doctrinas cum imbibisset, ad veri DEI doctrinam excolendam utiliter eas adhibuerit: item Danielis, qui ex Chaldaeorum disciplinis doctior factus divinas deinceps doctrinas tractavit. Ostenditque porro, quâ ratione legi debeant libri isti, quodque hic in exemplum proponendâ sint apes, quæ ex varii generis floribus dulcissima mella colligant: Sic, inquit, & qui diligentem in legendâ existunt, non solum quod dulce jucundumq; fuerit in eorum libris prosequuntur, sed quandam ab eis utilitatem animo referre contendunt. Tandem his verbis concludit: Quando per virtutem ad vitam hanc veram ascenditur, virtus autem ipsa plurimum à Poëtis, Historiographis, multo magis & Philosophis commendatur, talibus eorum sermonibus maximè vacandum.

LIV. Idem argumentum tractat Basilius æqualis & studiorum comes Gregorius Nazianzenus in oratione, quam habuit in funere Basili. Ex eâ hâc in primis notatu digna sunt verba: Illud autem inter sane mentis homines constare arbitror, eruditioem inter humana bona principem locum obtinere: non de hâc nostrâ solùm ac nobiliore loquor, quæ contempto omni sermonis lepore atque ornatu saluti uni, atq; earum rerum, quæ ratione atque animâ intelliguntur, pulchritudini artissimè heret, sed etiam de externâ, quam pleriq; Christiani pravo quodam judicio ut insidiosam & periculosam ac procul à DEO avertentem aspernantur. Subjicit deinceps qualitates rerum creatarum, quod vel noxiæ vel salutares sint, & quod ex noxiis nihilominus optima medicamenta & antidota conficiantur. Tum concludit: Quamobrem non idcirco eruditio contemnda est, quod ita quibusdam videatur: quin potius stulti atque imperiti habendi sunt, qui hoc existimant, qui omnes sui similes esse cupiant, ut privata eorum inscitia sub communia deliteat, nec quisquam ipsorum imperitiam prodat & coarguat. Gemina his sunt, quæ docet Hieronymus pasim, præcipue epist. 84. ad Magnum. Et Augustinus lib. 2. de doctr. Christ. c. 18. cujus verba digna sunt, quæ adjiciantur. Sed siue ita se habeat, quod Varro retulit (de ternis simulacris Musarum à tribus artificibus fabricatis) siue non ita, nos tamen non propter superstitionem profanorum debemus Musicam fugere, si quid inde utile ad intelligendas sanctas scripturas rapere potuerimus, nec ad illorum theatraicas nugas converti, si aliquid de citharis & de organis, quod ad spiritualia capienda valeat, disputemus. Neque enim & literas discere non debuimus, quia earum repertorem dicunt esse Mercurium; aut quia justitia virtutisq; templâ dedicarunt, & que corde gestanda sunt, in lapidibus adorare maluerunt, propterea nobis justitia virtusq; fugienda est: imò vero quisquis bonus verusq; Christianus est, Domini sui esse in-

intelligat, ubi cuncti invenerit veritatem, quam confitens & agnoscens, etiam in literis sacris superstitione figura repudiet.

LV. Nec video sanè, quid his tantis Doctoribus reponi queat ab illis, qui sunt ex evanescere. Quod enim de Hieronymo objiciunt, protractum eum fuisse ad tribunal Domini, ibique ideo, quod secularium literarum libros studiosius legisset, flagris cæsum fuisse, fateor, non exiguam habere vim probandi, ex eo in primis, quod ipse de se id referat Hieronymus epist. 21. ad Eustochium Virginem nobilem, & expresse adjiciat: *Nec verò sopor ille fuerat, aut vana somnia, quibus sèpè deludimur. Testis & tribunal illud, ante quod jacui, testis judicium triste, quod timui. Ita mibi nunquam contingat in talem incidere questionem: liventes fateor habuisse me scapulos, plagas sensisse post somnum, & tanto debinc studio divina legisse, quanto non ante mortalia legeram.* Quæ verba tam clara & tam perspicua sunt, ut de veritate rei gestæ dubitare velle, hominis sit planè nihil intelligentis. Et utique res ita se habet, nisi noctis id ludibrium fuisse ipse alibi testaretur Hieronymus, lib. 1. apol. adv. Ruffin. Cum enim Ruffinus iste ei, quod ipse de se scriperat, objecisset, Hieronymus post varia defensionis argumenta adducta, *Hæc, inquit, dicerem, si quidpiam vigilans promissum, nunc autem, novum impudentiæ genus, objicit mibi somnium meum.* Et putat igitur, Ruffinum à Prophetis docendum esse, somniis non esse credendum, *quia, inquit, nec adulterii somnium ducit me ad tartarum, nec corona martyrii in cœlum levat &c.* Ex quo perspicuum fit, totam istam Hieronymi relationem merum fuisse somniū ludibrium, & ex Rhetorum disciplinā confictam narrationem, ut eo fortius Lectorem abstraheret à nimio Gentilium librorum studio. Quæ vero apud alios passim inveniuntur argumenta in contrarium, tanti momenti non sunt, ut à sobrio Philosophiæ studio quenquam abstrahere queant, si præsertim justo tempore istud deferatur, quo ad Theologiæ studium animus adipicari debet: Quò etiam pertinet Petri Abbatis Cluniacensis, quem venerabilem dicunt, *epistola 9. lib. 1.*

LVI. Utinam vero ex Platonis, Socratis, Senecæ & aliorum scholis didicissent nonnulli Episcopi rectè vivendi rationem, facilius illi deinde Christianas doctrinas imbibere potuissent, quas utrasque deinceps turpiter ignorarunt. Sanè in quibusdam philosophorum scriptis tam pie dicta inveniuntur, ut inter patres Christianos nonnulli, Justinus Martyr præsertim & Clemens Alexandrinus cœlo eos receptos censeant. Quin & profittetur Erasmus in colloq. relig. se sibi vix temperare posse, quin cum legat quædam sancte & religiosæ à Socrate usurpata apud Platonem vel alios, exclamat: *Sancte Socrates, ora pro me.* Et si vero sententia ista probari haud quaquam posit, quam proinde meritò confutat Isaacus Casaubonus in pr. exercitat. 1. & Gerhardus Joh. Vossius in hist. Pelag. lib. 3. part. 3. num. 11.

Yy 3

qui-

quibus addi potest Sixtus Senensis bibl. lib. 6. annot. 51. hoc tamen inde conficitur, doctrinas benè vivendi à Philosophis illis traditas tām conformat esse disciplinæ Christianæ, ut in hac proficere optimè posit, qui in illis bene exercitatus fuerit. Quin ipse etiam Pythagoras, quod in morali Philosophiā tām excellens fuit, diis annumeratus est a suis lectoribus, uti scribit Jamblichus *de vit. Pythag. lib. 1. c. 6.* Dixerunt, eum ad emolumentum & emendationem vitæ humanæ in formâ humana ejus ætatis hominibus apparuisse, ut salutarem felicitatis & Philosophiæ facem mortalium generi accenderet, quo majus bonum neque fuit, neque unquam erit. Haut injuria igitur apud omnes homines, ut ait Dio Chrysostomus *orat. 74.* præcipue vero circa Italiam ἡματος Θεος, ut DEUS cultus est. Et quis ergo à tali sapientiæ Doctore nolit erudiri? Hæc sanè Philosophia nunquam deceret Episcopum. Sed præstat ignorantibus illis vitam ducere sine molestiâ, & sine ullâ bonâ arte, sine humanitate, sine ingenio, sine literis intelligere, & temerè judicare, quām eruditum aliquem pulverem attingere, & se muneri, quod capessunt, aptos reddere. Ita scil. manent asini pelle leonis tecti, & simiæ in purpurâ.

LVII. Uti vero in eligendo Episcopo nulla aliquando habita fuitratio eruditionis & scientiæ: ita sæpè nec morum & vitæ inculpatæ. Quæ eam in rem virorum cordatorum prostrent querelæ, supra exposuimus. Eis addi potest, quod scribit Paulus Langius Monachus Bozawiensis *in Chron. Citizeni.* Et licet, inquit, sacerdotes olim pauciores fuerint numero, sanitatem tamen & vitæ merito pauciores fuisse nemo dubitat, cum nostro tempore muliebri ordinentur multi sacros contra canones & mente & torpore effeminati, adeò & viati, quasi à cunabulis inter scorta Veneris in templo fuissernt educati: lujibus & obscenis moribus, ambitione deniq; & philargyria eousq; infecti, ut scurras & histrio-nes seculi, non sùa sancta, sed probanâ, non laudabili, sed reprehensibili videantur excedere vitâ. Et nec verentur DEI scandalizare gregem & commissas pesimo exemplo jugulare ovinas. Minor a refero, quam in *Symposio*, & ut ajunt perationibus ab eis non sine gemitu fieri, non semel sed pluries & vidi & dolui. Et bac & multa alia facinora ex indigna & indiscretâ Clericorum promotione oriuntur. Cum enim indignus & perversus divinis mancipatur mysteriis: nisi primum se corrigat, in deterius semper prolabitur. -- Et tanta equidem copia digni & indigni sacris nunc initiantur, ut multo plures sint Sacerdotes non dicam quām beneficiorum dores, sed quām templorum are & Ecclesiarum calices.

LVIII. Id vero omnium turpisimum & prorsus execrabile est, quod ad Episcopatus aliquando promoti fuerunt cinædi & masculâ Venere inquietati. Nec quis crederet forte, contigisse unquam istiusmodi aliquid, nisi exemplum extaret in Iwonis Carnotensis epistola 66. ubi refert de Ecclesiâ Aurelianensi, qualem illi Episcopum præficere velit Archiepiscopus Turoensis.

nensis. Adscribam ipsa aliqua ejus verba : *Turonensis, inquit, Archiepisco-pus prædictæ Ecclesiæ (Aurelianensis) prædagogus & incubus in Natale Domini, Regi contra interdictum vestrum coronam imponens, hæc arte à Rege obtinuit, ut Johannes, qui per Johannem defunctum Episcopum multis sub murmurantibus & male sentientibus factus est archidiaconus, eidem Ecclesiæ præficeretur Episcopus.* De hoc enim Rex Francorum non secretò sed publicè mibi testatus est, quod prædi-cti Johannis succubus fuerit. Et hoc ita fama per Aurelianensem Episcopatum & vicinas urbes publicavit, ut à concanonicis suis famosæ cuiusdam concubine Flora agnomen acceperit. --- Iste etenim juvenis, qui Rege jubente & Turonensi Archiepiscopo impingente prædictæ Ecclesiæ est intrujus, ita est sub Turonensi archi-episcopo, sicut puer sub paedagogo, ut nec stans sedere, nec sedens audeat surgere, nisi eo jubente, aut innuente, utpote qui se ei ad turpes usus dicitur subdidisse. --- Et ne me ista aliqua occasione confinxisse credatis, unam cantilenam de multis, metricè & musicè de eo compositam ex personâ concuborum suorum vobis misi, quam per urbes nostras in compitiis & plateis similes illi adolescentes cantitant, quam & ipse cum iisdem concubis suis sâpe cantitavit & ab illis cantitari audivit &c. Hæc Ivo ad Hugonem Lugdunensem Ecclesiæ primæ sedis Episcopum, Romanæ Ecclesiæ Legatum. Eadem brevius in epistola seq. 67. scripsit ad Pontifi-cem Urbanum : *Cuius dotos, inquit, loquitur autem de Episcopo noviter electo, ut vobis breviter amplectar, persona est ignominiosa & de inboneſtâ familiaritate Turonensis Archiepiscopi, & fratri ejus defuncti, multorumq; aliorum inhoneſtè viventium, per Urbes Francie turpissimè diffamata.* Quidam enim concubii sui appellantes eum Floram, multas rhythmicas cantilenas de eo composuerunt, que à sedis adolescentibus, sicut nostis miseriam terræ illius per Urbes Francie in plateis & compitiis cantitantur, quas & ipsas cantitare & coram se cantitarinon erubuit. Harum unam Domno Lugdunensi in testimonium misi, quam cuidam eam cantitanti violenter abstuli. -- Et ut sciat puerilem fuisse electionem, quidam etiam de eli-gentibus in Natali innocentium in eligendo ita jocatus est :

Diligimus puerum, puerorū festa colentes,
Non nostrum morem, sed Regis iussa sequentes.

LIX. Possunt exempla talia ex variis historiæ Ecclesiasticæ monu-mentis plura colligi. Nec enim ullum est flagitium tam enorme, quo non contaminati aliquando fuerunt, qui in sacerdotio vixerunt & Episcopalem dignitatem affectarunt. Neque mirum id alicui videri poterit, si considerare velit, ipsam Sedem Romanam contaminatisimam aliquando ejus-modi criminibus fuisse. Non poterit sine gravi commotione, & affectuum perturbatione legi, quod scribit Luitprandus de initiis seculi decimi, quâ ratione Theodora fœmina nobilis Romana filias suas Pontificibus sedis Ro-manæ invasoribus, ut & Thuscæ Marchionibus prosticuens, tantam adepta fuerit potentiam, ut ipsa filiaeque pro arbitrio Pontifices Romanos consti-tuerent.

tuerent. Verba Luitprandi lib. 2. cap. 13. hæc sunt: *Johannes Ravennas, (quem alii decimum alii undecimum dicunt) tam nefando scelere contrajus fasq; pontificii culmen obtinuit. Theodora scortum impudens, bujus Alberici, qui nuper hominem exuit, avia, quod dictu etiam fœdissimum est, Romane civitatis non inviriliter monarchiam obtinebat. Quæ diras habuit natas, Maroziam atq; Theodoram, sibi non solùm coæquales, verum etiam Veneris exortivo promptiores. Harum una Marozia ex Papâ Sergio, Johannem, qui post Johannis Ravennatis obitum sanctæ Romane Ecclesiæ obtinuit dignitatem, nefario genuit adulterio: ex Alberto autem Marchione Albericum, qui nostro post tempore Romane Urbis principatum usurpavit. Peridem tempus Ravennatis sedis, qui secundus post Romanum Archiereum archipresulatus babebatur, Petrus pontificatum tenebat. Qui dum subjectionis officio debitæ nominatum Johannem Papam, qui sua minister Ecclesiæ tunc temporis babebatur, Romanus sèpèius & iterum domino dirigeret Papæ: Theodora, ut testatur vita ejus, meretrix impudentissima, Veneris calore succensa, in bujus speciei decorum vebementer exarxit, secumq; hunc scortari non solùm voluit, verum etiam atq; etiam post compulit. Hæc dum impudenter aguntur, Bononiensis Episcopus moritur, & Johannes iste loco ejus eligitur. Paulo post ante hujus diem consecrationis nominatus Ravennas archiepiscopus mortem obiit, locumq; ejus Johannes Theodora instinetu, priore Bononiensi ecclesiâ desertâ ambitionis spiritu inflatus contra sanctorum Patrum instituta sibi usurpavit. Romanus quippe adveniens mox Ravennatis Ecclesiæ ordinatur Episcopus. Modicâ verò temporis intercapidine, Deo vocante, qui eum injustè ordinaverat, papæ defunctus est. Theodora autem Glycerii mens perversa, ne amasi ducentorum miliariorum interpositione, quibus Ravenna sequestratur à Româ, rarissimo concubitu potiretur, Ravennatis hunc sedis Archi-Episcopatum coëgit deserere, Romanumq; prob nefas! summum pontificium usurpare.*

LX. Valde querulus hic est Baronius ad ann. 912. n. 8. nec immerito, cùm non habeat, quo excusare posse tam nefandas nequitias, quibus tūm polluta fuit Romana sedes. *Quæ tunc facies, inquit, sanctæ Ecclesiæ Romane? quam fœdissima, cùm Romæ dominarentur potentissimæ & quæ ac sordidissimæ meretrices? quarum arbitrio mutarentur sedes, darentur Episcopi, & quod auditu borrhendum, & infandum est, intruderentur in sedem Petri earum amasi pseudopontifices, qui non sunt, nisi ad consignanda tanta tempora in catalogo Romanorum Pontificum scripti. Quis enim à scortis bujusmodi intrusos sine lege legitimos dicere posset Romanos fuisse Pontifices? Nusquam Cleri eligentis vel postea consentientis aliqua mentio, canones omnes pressi silentio, decreta Pontificum suffocata, proscriptæ antique traditiones, veteresq; in eligendo summo Pontifice consuetudines, sacriq; ritus & pristinus usus prorsus extinti. Sic vendicaverat omnia sibi libido, seculari potentia freta, insaniens, cæstro percita dominandi. — — Qualemnam reris delectos ab his monstros presbyteros & diaconos Cardinales fuisse putandum?*

tandum? cum n. bil. tam nature insitum sit, quam unumquemque sibi similem generare? Huic Baronii elogio optimè convenit, quod scribit Marcus Antonius Sabellicus ennead. 9. lib. 2. Mirum dictu est, quantum per id tempus degeneratum sit à veterum Pontificum pietate. Illi suo sanguine pontificium decus auxerunt; hi autem cædibus & rapinis prophanarunt: donariis illi tempora ditarunt, hi sacrilegiis exuerunt: hi malis artibus rem bonam ambire, illi oblatam cunctanter & verecundè adire: ut difficile sit judicare, plus moderationis & innocentie in illis fuerit, an in iis qui postea secuti sunt, impudentia & temeritatis. Sed utinam hæc mala una etas vidisset.

LXI. Operæ pretium erit, quid meretricium id genus perpetraverit porro, ex Luitprandi historiâ hic commemorare. Postquam scil. expulisset, quâ ratione Johannes X. à Theodorâ scorto in Romanam sedem enectus fuerit, non omisit ille lib. 3. c. 12. referre, quâ ratione Theodoræ istius filia Marozia eundem pontificem post aliquot annorum decursum ex numero viventium sustulerit. Sic enim ille: *Wido Tuscæ provinciæ marchio cum Marozia Vxore de Jobannis Papa dejectione cœpit vehementer tractare, atque hoc propter invidiam, quam in Petrum fratrem Papæ habebant: quoniam quidem illum Papa quasi fratrem proprium honorabat. Contigit itaq; Pe- tro Rome degente, Widonem clam multos habuisse milites congregatos. Quumq; die quoddam Papa cum fratre paucisq; aliis in Lateranensi palatio esset, Widonis & Maroziae milites super eos irruentes, Petrum fratrem ipsius ante oculos interfecerunt, eundem vero Papam comprehedentes custodiæ manciparunt, in quâ non multo post defunctus. Ajunt enim, quod cervical super os ejus posuerint, sicq; eum pessime suffocarint. Quo mortuo ipsum Maroziae filium nomine Jobannem, quem ex Sergio Papa meretrix ipsa genuerat, Papam constituant &c.* Non potuerunt sanè meretrices turpis simum & profligatis simum suum vivendi genus maiore sanctitate tegere & incrusterare, quâm si ex patribus sanctissimis concipiendo eidem throno redderent patres sanctissimos. Ita enim statuunt Ecclesiæ Latinæ Doctores, Papam sanctum esse posse, si non virtute, quæ inesse debebat in homine intus, munere tamen atque officio, quod extra eum est. Nam Papa sanctitatem recipit à Cathedrâ, ut habet Glossa ad c. 2. dist. 19. quia Petrus perennem meritorum dotem cum hereditate innocentiae transmisit ad posteros c. non nos, dist. 40. ad hoc scil. ut essent he- redes bonitatis suæ, ut ibi loquitur Glossa.

LXII. Dies nos deficeret, si de aliis similibus vitiis, quæ in electionibus Episcoporum insuper habita fuerunt, colligere velimus exempla. Sic enim invenio Ecclesiæ Cathedrales infectas & corruptas, ut nullibi existimem plus licuisse impudentiaz, plus licuisse stoliditati, plus licuisse sceleri. Ipsæ toties repetitæ leges Ecclesiasticæ & iterati canones satis ostendunt, prævalida esse & adulta vitia, quibus extirpandis frustra omnis suscipiatur

labor, nec aliud inde effici, nisi ut palam fiat, quibus corruptelis impar sit disciplina ab Apostolis tam enixe commendata. Animadverterunt hoc Patres in Concilio Toletano IV. congregati, frustra adhiberi medicinam & correctionem in illis, qui ad sacerdotium promoti vitiosè jam erant, cum fine magnâ Ecclesiæ confusione & perturbatione statione suâ removeri non possent, idcirco omissis illis & in officio suscepto relictis, unicè id, ne tale quid porrò fieret, sanctiōne sua prævertendum existimarunt. Nempe ut cæteroquin, quæ lex in futurum quid jubet, in præteritum indulget. Ea talis est, c. 18. Pernicosa consuetudo nequaquam est recipienda, quæ, majorum statuta præteriens, omnem Ecclesiæ ordinem perturbavit, dum alii per ambitum Sacerdotis appetunt, aliis oblatis muneribus pontificatum assumunt. Nonnulli etiam sceleribus implicati, vel seculari militiae dediti, indigni ad honorem summi ac sacri ordinis pervenerunt. De quorum scil. causâ atque remotione oportuerat quædam statuere. Sed ne perturbatio quæ plurima Ecclesiæ oriretur, præteritis omissis deinceps, qui non promoteantur ad sacerdotium ex regulis canonum necessariò credimus inserendum. Recensent deinceps longum catalogum eorum, qui inhabiles ad Episcopatum & Sacerdotium haberi debeant, quem decreto inseruit Gratianus c. qui in aliquo, dist. 51. Sed quam parum constitutio hæc observata fuerit, dici potest ex canonibus Conciliorum Toletanorum sequentium.

LXIII. In catalogo isto excluduntur etiam, qui seculari militiae dediti sunt. Et hos à Clero prorsus exclusos olim, docet nos ex vitâ Gregorii Ivo Carnotensis in *decret. part. 10. c. 127.* quod nequaquam eos ad Ecclesiastici decoris officium, sed ad capiendum solummodo monachicum propositum suscipiendos esse censuerint. Nihilominus tamen recentioribus temporibus nonnullos ad istum dignitatis gradum & ulteriorem etiam, promotos legimus. Exemplum habemus in Pompejo Columnâ, qui ex feroci milite factus est Episcopus & Cardinalis, teste Paulo Jovio in ejus vitâ. Et aliud in L. Rainuccio Jurenso Pauli III. nepote, qui miles Hospitalis cum fuisse, electus est Episcopus & factus Cardinalis: teste Onuphrio in catalogo Pontificum & Cardinalium. Simile quid referunt de Francisco Mendoza Admirali Arragoniæ, quod per desperationem ex infelici bellatore in Belgio & truculento milite factus fuerit Sacerdos.

LXIV. Ex consuetudine magis, quin & necessitate id postulante maximè commendata erat in Episcopis primitivæ Ecclesiæ paupertas. Dixit Salvator Apostolis suis *Luc. XIV, 33.* Quisquis vestrum non renunciat omnibus bonis suis, non potest meus esse discipulus. Et adolescenti methodum salutis consequendæ flagitanti, *Matth. XIX, 21.* Vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, sequere me. Ex quibus conficiunt nonnulli, male cohærere dvitias & bonorum possessiones

nes cum statu Clericali & Ecclesiastico. Idque argumentum præ cæteris prolixè tractat Marcus Antonius de Dominis *de Rep. Eccles. lib. 9. cap. 1.* putatque, ita etiam observatum fuisse ab Apostolis, teste Petro, *d. l. vers. 27.* Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Atque ista exempla tam efficacia fuisse in vetere Ecclesiâ, ut non nisi pauperes ad Clericatum assumerentur, & si quis dives ac patrimonio pollens statum istum eligisset, eum divitias relinquere & patrimonio cedere oportuerit. Successu temporis vero ita observatum aliquando, ut si clerici voluissent bonis Ecclesiæ sustentari, debuerint cedere suis; aut si voluissent propria retinere, oportuerit eos ab Ecclesiasticis bonis abstinere. Idque multo magis ab Episcopis requisitum fuisse, quippe quibus vitâ & exemplo reliquis omnibus præesse conveniat, adeoque eligi non debere alium, nisi qui vel pauper jam sit, vel paupertatem deinceps ferre bono animo posit.

LXV. In hanc sententiam adduci insuper solent nonnulla Patrum dicta, quibus paupertatem Clericis ita quasi propriam facere solent, ut non videantur consistere posse ministerium Ecclesiæ & bonorum temporalium possessio. Nota est Augustini intentio, quod voluerit clerum ad pristinum vivendi modum & ad primævam communionem reducere, atque hinc severe nimis Clericorum istorum mores castigaverit, qui renunciare proprietati bonorum noluerint: *Nemini, inquit, tollo Clericatum, nolenti mecum communiter vivere, sed habet DEU M, qui mecum manere vult.* Si paratus est pasci à DEO per Ecclesiam ipsius, non habere debet aliquid proprium; sed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere mecum. Qui hoc non vult, habeat libertatem, sed videat, utrum habere possit felicitatis eternitatem. Plura ejus dicta videri possunt apud Gratianum c. nolo, c. non dicatis, c. certe 12. q. 1. Eis simile est, quod ait Hieronymus in epist. ad Tit. c. 1. Episcopus, qui imitator Apostoli esse cupit, habens vicium & vestitum, bis tantum debet esse contentus: *Qui altari servierint, de altari vivant.* Et Chrysostomus homil. 15. in 1. Tim. Ego Ecclesiæ presules audenter dixerim nil preter vicium & vestitum habere debere. Atque idcirco reprehendit Episcopum Bangoriensem Petrus Bleensis epist. 147. quod beneficium Ecclesiasticum jam alteri collatum sibi retinuerit. Titulus paupertatis, inquit, gloriósus est apud Christum, & que filium DEI decuit, vos dedecere non debuit. Princeps Apostolorum & præsulum dicit: aurum & argentum non est mihi. Magnus etiam Augustinus ideò testamentum nullum fecit, quia, unde faceret, pauper Christi non habuit. Vestri officii est vivere de Evangelio, sicut constituit vobis Dominus, non incedere pompatice in vestium cultu, in equorum fastu, in multitudine clientele. Nec desunt exempla eorum, qui ad dignitatem Episcopalem evecti bonis omnibus & possessionibus se abdicarunt. Præter Augustinum enim, cuius modò mentionem feci, etiam Theodoretus Episcopus Cyrensis omni suâ substantiâ sese exuit, & pau-

pertatē spontaneo motu elegit: Sic enim ait de se ipse in epist. ad Leonem Papam, quam refert Baronius ad ann. 449. num. 122. Quod autem, cūm tot annis fuerim Episcopus, non domum possederim, non agrum, non obolum, non sepulchrum, sed sponte electam amplexus sim paupertatem, & quæ nobis à parentibus obvenerant, post illorum mortem statim distribuerim, norunt omnes, qui in Oriente habitant. Ita & Laetantium describit Eusebius in Chronico, quod fuerit Vir omnium suo tempore eruditissimus, sed adeò in hæc vitâ pauper, ut plerumque etiam necessariis indiquerit. Plura non addo, nisi hoc, quod etiam civilibus Imperatorum legibus prohibiti fuerint ditiores in numerum clericorum recipi. Sic enim edixit Constantinus, nullum instructum idoneis facultatibus ad Clericorum nomen obsequiumque configere debere, l. 3. C. Theodos. de Episc. Opulentos enim, inquit porro, seculi subire necessitates oportet, pauperes Ecclesiarum divitiis sufficiantari, l. 6. eod. Secutus Valentinianus Senior similem edidit constitutionem: Plebejos divites ab Ecclesiâ suscipi penitus arcemus. l. 17. eod.

LXVI. Hæc & talia plura pro paupertate Episcopis ad officium necessariâ dici non insubidè possunt. At verò neque Christi ea fuit intentio, neque Apostolorum exemplum accommodari huc commode potest, & quæ ex Patrum scriptis adducuntur sententiæ, si ita crudè accipiantur, vereor ego, ut satis conformes sint intentioni Salvatoris; & leges denique civiles planè diversam gerunt sanctionis suæ rationem. Quod Christi verba *Luc. XIV.* attinet, ea non Clericis tantum, sed omnibus fidelibus dicta sunt, quibus tamen bonorum possesio, non magis, quæ vita, prohibitetur, nisi bona vitaque præfens, absque Christi abnegatione servari nequeat. Quo casu tamen vita quæ facultates sunt negligendæ. Encleatè Beda in b. l. Cunctorum, inquit, fidelium est renunciare omnibus, que possident: hoc est, sic tenere, que mundi sunt, ut tamen per ea non teneantur in mundo. Ecce. Hoc igitur innuit Salvator, unumquemque fidelium voluntatem suam & affectus ita instruere debere, ut ne adhærent bonis temporalibus, sed ita se gerant, ac si ista planè non haberent, ita, ut si necessitas postulet, omnia actu deserant, si quidem iis retentis, fidem & pietatem retinere nequeant. Quod autem Christus adolescentem omnia sua vendere jussit, *Matth. XIX.* in eo haudquaquam communem omnibus regulam pervenienti ad perfectionem præscribere voluit, sed κατ' ἀνθρώπον hoc ei speciali mandato proposuit, ut quousq; obedientia ab eo jactata extendere se deberet, explicatum daret, & ut hoc ipso præcepto eum confundere, & jactantiam perfectionis confutaret. Speciale igitur hoc planè & personale erat mandatum, sicut mandavit olim Dominus Abrahamo, ut filium unicum Isaacum occideret & immolaret, non quod revera fieri hoc vellet, sed ut Abrahæ obedientia manifesta fieret.

LXVII.

LXVII. Quod exemplum Petri & reliquorum Apostolorum concer-
nit, negari nequit, eorum conditionem planè fuisse singularem, & ex vita
genere ambulatoriam, nec ulli certo loco affixam. Prædia namque & pos-
sessiones secum ferre non poterant, sed ex prædicatione Evangelii, ut mini-
stri in Evangelio servientes, vivebant. Nec tamen desierunt suis manibus
quandoque victimum querere, ut ipse testatur Paulus *Act. XX, 34.* Sed nec
ipsi quidem necessitatem hanc relinquendi omnia sponte subierunt, sed ex-
pressum eâ de re mandatum à Magistro suo acceperunt, ut vocationi, in quâ
nulos habuerunt Successores, vacare majore cum animi contentionе pos-
sent. Imò verò in ipsâ hâc suâ vocatione, sicubi tempus pateretur, pristi-
no suo insistebant artificio & vivendi generi, atque exinde victimum sibi pa-
rabant. Ita enim ipse Petrus, qui in terris agenti Christo dixerat: *omnia
reliquimus*, post resurrectionem Christi, rete suo arrepto cum reliquis Apo-
stolis pescatus legitur, *Job. XXI, 3.* Et Johannes discipulus Christi, cùm ipsi
commendata à Magistro suo fuisse B. Virgo Maria, deduxisse eam dicitur
in idem, in domum suam propriam, quam illum habuisse Hierosolymis & in
eâ cœnam paratam fuisse Nicephorus *I. cap. 8.* & alii tradiderunt. Uſus
ergò fuit Johannes domo suâ, perinde ut reliqui naviculis & retibus suis.
Nec aliter ergò reliquerunt omnia propter Christum, quâm ne domestica-
rum rerum cura Magistri sui Regnum impediret. Et ipsa Pauli Epistola
prima ad Timotheum *cap. VI, 17. seq.* ostendit inter ea, quæ divitiis sunt
præcipienda, non reponi illud, ut vendant sua & in pauperes distribuant,
sed ut non efferantur animo, neque spem ponant in divitiis incertis, sed in
DEO vivente, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agant,
ut divites fiant in bonis operibus, ut facile de bonis suis impertiantur, ut
libenter communicent, ut thesaurizent sibi fundamentum bonum in fu-
turu, ut apprehendant veram vitam.

LXVIII. Ut de Patrum supra allegatorum dictis & sententiis quid
statui debeat, prolixè hic exponamus, necesse non est. Videntur illi ab-
repti, in primis Augustinus, communionis bonorum studio, quam in primi-
tivâ Ecclesiâ tam feliciter cestisse sacra nos docet pagina. Quâ ratione
etiam Gregorius Magnus Augustino Anglorum Episcopo, Clericorum
Collegium in instituto communionem svadet ad exemplum priori Ecclesiæ
introducendam, apud Gratianum *c. quia 12. q. 1.* Secuti ergò illi sunt non
tam sensum & intentionem Christi & Apostolorum, quam nudam literam
& corticem verborum, quanquam negare nolim, paupertatem sàpè incita-
mentum pieratis esse, & cultum divinum inter pauperes accuratiùs soveri,
quam inter divites & opulentos. Constitutionum autem Imperatoria-
rum supra adductarum hic unicus fuit scopus & hæc causa impulsiva, ne
Resp. viris & viribus destitueretur. Tot namque immunitates cùm Ec-
clesiis

clesiis & personis Ecclesiasticis tributæ essentia Constantino Magno, certam homines, ut immunitatibus ejusmodi potirentur, in Clericorum numerum recipi volebant, atque inter eos cum etiam divites essent, qui hac ratione facultates suas oneribus publicis subducere gestiebant, noluit eos promiscue recipi Constantinus, ideo scil. ut ipse ait d. l. 3. quia *ob eundis munib[us] publicis opportuni essent*, cum utique opulentos seculi necessitates subire oporteat. d. l. 6.

LXIX. Sine dubio autem, qui adsveti fuerunt frugali vitæ & paupertati, Ecclesiarum commodis & utilitati salutique melius consulerunt quam qui jucundissime antea & sumptuosè vixerunt. Idque observatum etiam veteribus, Episcopos illos, qui in monasteriis antea bonam vitæ partem transegerunt, optimè inserviisse Ecclesiis, quibus deinceps præfecti fuerant, tum propter eruditionem, quam sibi in monasteriis insignem comparaverant, tum propter asperum & adstrictum vitæ genus, cui adsveti erant. Laudat id Baronius ad ann. 529. n. 11. quod observantia disciplinæ monasticæ locuplex extiterit seminarium, ex quo plurimi progressi sunt sanctissimi diversarum Ecclesiarum Episcopi, nec defuerint ex iis, qui in throno Apostolico confidentes universam catholicam Ecclesiam, cum vehementiores urgerent fluctus constantissime gubernarint. Atque hinc merito de lapsu monachismi conqueritur Paulus Langius monachus ipse in Chron. Citizeni, f. 759. Eo anno, inquit, servente claustralium sanctimoniam & doctrinam radiante, passim Ecclesiarum Antistites è coenobitis, non tam fundatorum devotione, quam Clericorum sacerdotum & affectione & electione id postulante eligebantur. Fuerant equidem etate illâ monachi & Viri religiosi illorum ob paucitatem & rarissimum in mundo conspicuum, & potissimum ob eminentem eorundem sanctitatem omnimodamq[ue] eruditio[n]em in summâ reverentia, pretio & honore. Deinde refert, quâ ratione ob institutionem plurium novorum ordinum & nimiam monachorum multitudinem, & præcipue quorundam assiduam inter gentes commixtionem, remissam & voluptuariam conversationem Monachi vocabulum in contemptum venerit. Et ideo non mirum, inquit, si nunc è monasteriis, ut olim, non eliguntur Episcopi, quia illis priscis, ut dictum est, probatissimis & sanctissimis monachis nec conversatione neq[ue] doctrinam pares sumus. Addamus, quod & nunc raro electio pure celebratur & canonice, cum non melior, non sanctior, non utilior, sed frequenter, qui pecuniosior, qui potentior, qui nobilior atq[ue] propinquior fuerit, eligi solet &c.

LXX. Nec semper tamen prosperè successit pauperiorum hominum ad Episcopatum promotio. Observavit id & inter vitia seculi recensuit Theganus de reb. gestis Ludovici, quando ait: *Jam dudum illa pessima consuetudo erat, ut ex vilissimis servis summi Pontifices (Episcopi) fierent, & locum prohibuit Imperator, quod tamen maximum est malum in populo Christiano, sicut testa-*

testatur Regum histioria de Jerooboam filio Naboth, qui erat servus Regis Salomonis, & post eum principatum habebat. -- Postquam tales culmen accipiunt, nunquam sunt, sicut antea, mansueti, & sic domestici, ut non statim incipiant esse iracundi, rixosi, maliloqui & obstinati, injuriosi & minas omnibus subiectis promittentes, & per hujusmodi negotia cupiunt ab hominibus timeri & laudari. Turpissimam cognitionem eorum a juge debite servitutis nituntur eripere & libertatem imponere. Tunc aliquos eorum liberalibus studiis instruunt, alios nobilibus fæminis conjugunt, & propinquas eorum filios nobilium cogunt accipere. Nullus cum eis aequaliter potest vivere, nisi bisoli, qui talem conjunctionem habent, ceteri vero cum maximâ tristitia gemendo, flendo ducunt dies suos. Propinqui autem supradictorum, postquam aliquid intelligunt, senes nobiles derident, atque despiciunt, sunt elati instabiles invetercundi &c. Hæc Theganus Chorepiscopus Trevirensis, paulo iniquior, ut videtur, tenuioribus & nullo natalium splendore illustribus, partim etiam justo dolore inflamatus, uti in prefatione ad eum notat Walafridus Strabo.

LXXI. Non arbitror, sub prima Christianæ Religionis initia, quibus dos Episcopatum non ex opibus ac censu pendebat, sed ex pietate & ut plurimum in sequente martyrio, dignitatem eam multum concupitam fuisse à proceribus & primoribus Rerum publicarum. Nec tales etiam fuerunt Apostoli olim, ut adeò putem, tenuioris fortuna homines DEO magis placuisse, ut fundamenta Ecclesiæ suæ ponerent, quam eos, qui potentiam & facultatibus præstantes essent, utve sola hinc divina vis & efficacia in propagatione Evangelii elucesceret, nullâ scil. adjuta potentiam humanam, nullo hominum splendore & gravitate. Sequentibus verò temporibus plurimi leguntur ex illustribus & Regiis familiis munus illud suscepisse, sed abdicatione prorsus statu seculari. Nec mirum id videri cuiquam poterit, quandoquidem non modo inter proceres imperi & regni numerari inceperant Episcopi, & in Comitiis suas habebant sessiones, Principumque Consiliarii erant, sed etiam divitiis atque opibus ita præollebant Ecclesiæ Cathedrales pleraque, & tanta in illis erat bonorum affluentia, ut Episcopi earum fastum penè Regium exprimere & sustineri possent. Accedebat deinceps potestatis secularis concessio & combinatio, quam Imperatores Episcopis maximâ autoritate ex statu suo jam pollutibus conferebant, ita ut postea etiam jurisdictione seculari & Regalibus prædicti essent, cum antea nulla tali jurisdictione, nec gladio, sed potestate tantum Ecclesiasticâ, & baculo pastorali usi fuissent, cuius rei initium ad Brunonem Episcopum Coloniensem referunt, postquam à Fratre Ottone M. Lotharingæ Ducatum accepit. Erit infra plenior hanc de re dicendi locus. Ex eo autem tempore Regum filii & Princes Imperii certatim dignitates istas Ecclesiasticas ambierunt, quorum quamplurimi puerili adhuc ætate Episcoporum nomen

men adepti nec idonei habiti fuerunt, qui officium istud sustinerent, neque Ecclesiarum, quibus præfecti erant, commodo instituti, quandoquidem tam profusis sœpè sumptibus Ecclesiæ bona dissiparunt, ut difficulter deinceps à Successoribus frugilitati magis deditis reparari potuerint.

LXXII. Postquam vero placuit Ecclesiæ statum ita ordinare, ut si non conveniret planè, quam proximè tamen accederet ad statum secularem, (quanquam tota hæc metamorphosis ab Regno Christi, quod in Ecclesiæ efflorescere debuit, planè aliena sit,) fateor, non potuisse eum subsistere sine adjumento & brachio seculari undecunq; petito. Et ea propter, si temporale commódum respiciamus, utiliter sœpè ad Episcopatus & præposituras promoti fuerunt, qui hostibus & adversariis dexterâ suâ fortiter resistere possent, quique potentia seculari sufficienter instructi essent. Respexit huc Petrus Abbas Cellensis, cùm Alexandro Pontifici ad Præposituram Suesionensis Ecclesiæ commendaret Guilielmum Theobaldi Magni Comitis Campaniæ filium epist. 5. Talem itaque, inquit, suscitare in Ecclesiâ DEI cùm omnino expediatur, quia multi insurgunt adversus eam dicentes: non est salus ipsi in DEO ejus. -- Habet autem & duo brachia præclara & fortissima, quibus poterit relevare incurvantem, & rebellare refrangentem, quibusq; umbra-culum DEI protegat à turbine & à pluvia, Comes Henricus & Comes sive Dapifer Regis Theobaldus. His fratres ejus sunt, & erunt ei in omni auxilio & con-filio.

LXXIII. Concludam hoc caput, si prius dixero, etiam in hoc maximè cautos fuisse electores olim, ne quem constituerent Episcopum minus exercitatum, aut in fide Christianâ nondum satis probatum. Concilii Nicæni I. canon secundus hic est: *Quoniam multa vel necessitate aut aliter cogentibus hominibus facta sunt præter canonem Ecclesiasticum, ita ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem & exiguo tempore eruditæ statim ad spirituale lavacrum ducantur, & simulatq; baptisati fuerint, ad Episcopatum vel presbyterium promoveantur: recte habere visum est, ut nihil deinceps tale fiat.* Nam & tempore opus est Catechumeno, & post baptismum probatione majore: apertum enim est apostolicum scriptum, dicens: *Non neophytum, ne forte inflatus in judicium incidat, & laqueum Diaboli &c.* Ad canonem alium Ecclesiasticum dum provocant Concilii hujus Patres, subinnui putat Gulielmus Beveregius in not. canonem Apostolicum octogesimum, quod suo loco relinquo. Neophytus autem ex hoc textu recte dicitur, quod sit ille, qui nuper ex Gentilismo Christianam religionem amplexus, per baptismum Ecclesiæ DEI insitus, inque doctrinâ nondum satis confirmatus est, nec invitâ sufficienter probatus. Et hunc scil. ad Episcopalem dignitatem promoveri post Apostolum prohibit Concilium Nicænum, & sequitur atq; eandem prohibitionem repetit synodus Arelatensis II. can. 1. Et Laodicena can. 3. ideo, quia, ut loqui-tur

tur Hieronymus, ignorat momentaneus sacerdos mansuetudinem & humilitatem, nescit se ipsum contemnere, non jejunavit, non flevit, non mores s&pè suos reprehendit, nec assiduâ meditatione correxit, non substantiam pauperibus erogavit, de dignitate translatus ad dignitatem, de cathedrâ quadammodo ad cathedram, de superbâ ducitur in superbiam.

LXXIV. Occurrunt tamen in historiâ Ecclesiasticâ aliquot exempla, licet oppidò rara, eorum, qui ex Gentilismo ad Ecclesiam conversi & nec tûm in fide satis confirmati ad cathedras Episcopales manu quasi factâ rapti fuerunt. Celebre in primis est exemplum Ambrosii Episcopi Mediolanensis, de cuius promotione post obitum Auxentii Episcopi Ariani hæc refert Theodoreetus lib. 4. bist. c. 7. Hâc seditione cognitâ (dum inter cives Mediolanenses alii Arianum alii Orthodoxum cuperent Episcopum) *Ambrosius cui provincia illius administratio commissa erat, veritus, ne quid gravius tentaretur, ad Ecclesiam perrexit. Tum illi à contentione cessantes, omnes und voce clamare coeperunt, Ambrosium sibi pastorem constitui poscentes, qui nondum baptismi sacramenta suscepserat. Quod cum Imperator didicisset, eum continuo & baptizari & ordinari precepit. Norat quippe, mentem quidem illius quovis perpendiculo reftioreme esse: sententias vero qualibet normâ exactiores.* Duplici vitio labore videbatur hæc Ambrosii ordinatio, & quod catethumenus adhuc esset, quod impingebat in canonem secundum Nicenum, & quod ex Laicorum ordine assumeretur, quod itidem, uti deinceps dicam, canonibus prohibitum erat. Et prius quidem non diffitetur ipse Ambrosius in Epist. ad Vercellenses apud Gratianum c. *Neophytus dist. 61.* dum ait: *Neophytus prohibetur ordinari, ne extollatur in superbiam; sed si non deest humilitas competens sacerdotio: ubi causa non adhæret, vitium non imputatur.* Hoc videtur velle, quod cesseante causâ ipsâ quoque cessare debeat legis dispositio. Ita quidem ipse suam hanc ordinationem excusat. Nos vero malumus ejus promotionem pro extraordinariâ & prorsus divinâ habere, exemplo ipsius Imperatoris Valentiniani, de cuius judicio pergit Theodoreetus d. l. *Quin etiam suffragium illud planè divinum esse censebat, conjecturam capiens ex consensu contrariae factionis &c.* Idem de eo refert Socrates lib. 4. cap. 30. tûm etiam de ipsis Episcopis, qui adfuerunt, quod istam populi consensionem divino quodam nutu factam judicavissent.

LXXV. Hanc suam ordinationem dicit Ambrosius d. l. Occidentales Episcopos judicio, orientales etiam exemplo probasse. Per judicium Occidentalium Episcoporum intelligit Antonius Dadinus Alteferra ad c. 2. §. de postulat. prælator. judicium sedis Apostolicæ. Perperam! Nec enim stabilità tûm fuerat monarchia Papalis. Quin potius sequendus hic est Socrates, qui quale fuerit judicium Episcoporum, his verbis exponit, d. l. Igitur, cum Episcopi qui aderant istam populi consensionem divino quodam nutu factam

Aaa

Bam

Etiam esse judicavissent, absq; mord Ambrosium comprehendunt Sc. Quanquam negare nolim inter Episcopos tum congregatos esse potuisse & forte etiam fuisse Romanum. Quod autem Ambrosius de exemplo Orientalium adducit, referendum id est ad Nectarium Episcopum Constantinopolitanum, de cuius promotione ita scribit Sozomenus lib. 7. cap. 8. Cum Imperator mandasset Episcopis, ut nomina eorum, quos quisq; Episcopatu dignos judicaret, in charta perscriberent, unumq; ex omnibus eligendi facultatem sibi ipse reservasset, alii quidem aliorum nomina perscripserunt, Antiochenis autem Ecclesiae Antistes scripsit & ipse eos, quos voluit, omnium tamen postremum adjecit Nectarium in gratiam Diodori (qui Tarso erat Episcopus, & Nectarii personam Antiocheni Episcopo commendaverat) Imperator igitur perlecto indiculo eorum, qui inscripti fuerant, substitut in Nectario. Et intenta mentis acie secum ipse consultabat, dico in postremum vocabulum impresso. Rursusq; ad caput reversus, cum cunctos ordine percurrisset, Nectarium elegit. Tum vero admiratio omnes invasit, querebantq;, quis & unde esset Nectarius ille, & quod vita genus sectaretur? Cumq; didicissent, ne sacro quidem lavacro eum initiatum esse, inopinatum Principis iudicium eo amplius mirabantur. -- Postquam vero universi cesserunt, & Imperatoris sententiam suffragiosuo comprobarunt, baptizatus est: & adhuc Neophyti ueste indutus, communi totius Concilii calculo Episcopus Constantinopolis renuntiatur. Hæc ita Sozomenus, ex cuius relatione constat, etiam istud exemplum inter extraordinaria referri debere. Et ne quis eâ de re dubitet, luet ipsius Sozomeni addere judicium, dum ita pergit: Multi porrò crediderunt, hæc ita ab Imperatore gesta esse, DEO id illi mandante & præcipiente. Sed utrum id verum sit, necne, certo equidem affirmare non possum. Mibi tamen ipse persuaserim, non sine divinâ providentiâ id actum esse, dum & ordinationis illius miraculo considero, & ex iis que consecuta sunt animadverto, DEUM mansuetissimo, & Optimō atque honestissimo Viro hunc Episcopatum conferre voulisse.

LXXVI. Adjiciam adhuc aliud exemplum, quod de Gregorii Cæsarensis Episcopi promotione resert Gregorius Nazianzenus in orat. de obitu Patris, & ex eo repetit Card. Baronius ad ann. 362. n. 50. Cæsarex, inquit, cives de Archiepiscopi creatione inter se contendebant. nam alter clanculum se abduxerat (Basilius nempe) alter requirebatur, (Scil. Eusebius) acrisq; sedition erat, compressusq; atq; sublatu nequaquam facilis. Præter id enim, quod in hæc re, presertim ob fidei fervorem, naturâ suâ ad tumultus excitandos proclivis est ea civitas, cathedra etiam illius splendor & gloria contentionis acrioris causam afferebat. Atque hoc statores erat, ac nonnulli Episcopi aderant, Archiepiscopum electuri. Sed cum in plures sententias popularis multitudo distractaberetur, aliqui alium proponerent, quemadmodum in hujusmodi negotiis fieri conseruit, prout quisq; vel cuiuspiam benevolentia, vel DEI pietate movebatur: tandem plebs

plebs tota uno consensu primarii ordinis virum unum, eximiā quidem illum viā & probitate p̄aditum, nondum tamen divino baptismo consignatum, invitum & repugnantem corripentes, simulq; militaribus copiis, que tum in urbem venerant, opem afferentibus, in sublimi sede collocarunt, Episcopisq; obtulerunt, ab itisq; petere institerunt, ut eum salutari aquā tingerent, atq; Archiepiscopum nominarent. -- Coacti sunt, rōre purifico hominem perfuderunt, Antifitem pronunciarunt, in throno collocarunt.

LXXVII. Et hæc quidem de neophytis, h. e. illis, qui recens essent fidei inserti. Inde vero tractum exemplum, ut neophyti etiam dicerentur Clerici novitii, & qui nuper è Monachorum vel Laicorum numero in Clerum erant adscripti. Quos ad summum Sacerdotium admitti noluit Concilium Sardicense c. 13. Ut non prius ordinetur talis aliquis, nisi ante & Lectoris munere & officio diaconi aut presbyteri fuerit perfundus, & ita per singulos gradus, si dignus fuerit ascendat ad culmen Episcopatus. Potest enim per has promotiones, quæ habebunt utique prolixum tempus, probari, quā fide sit, quāve modestia, quid gravitate & verecundiā, & si dignus fuerit probatus, divino Sacerdotio illustretur, quia conveniens non est, nec ratio vel disciplina patitur, ut temerè aut leviter ordinetur aut Episcopus, aut presbyter aut diaconus, quineophytus est. In eandem sententiam Zosimus Epilcopus Romanus tale promulgavit decretum: Qui ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est imbutus, & temporum adprobatione divinis stipendiis non est eruditus, nequam ad summum Ecclesie sacerdotium aspirare presumat: & non solum in eo ambitio inefficax habeatur, verum etiam ordinatores ejus careant eo ordine, quem contra præcepta Patrum crediderunt presumendum. apud Gratianum c. qui ecclesiasticis dist. 36. Eadem prohibitionem extendit idem Zosimus in epist. 9. ad presbyterii & diaconatus gradum, ne quis illos cumulare deinceps aulit. Et in Synodo Constantinopolitanâ, quæ prima & secunda Græcis dicitur, can. 17. tale factum est decretum: In omnibus boni Ecclesiastici ordinis curam gerentes, hoc quoq; definire necessarium duximus, ut nullus deinceps Laicus vel monachus repente ad Episcopalem altitudinem evebatur, sed in Ecclesiasticis gradibus primum examinatus, ita Episcopalis dignitatis ordinationem suscipiat. Etsi enim hucusq; quidam ex Monachis vel Laicis, extigente necessitate, Episcopali honore statim digni facti sunt, qui & virtute excellenti fuere, & suam Ecclesiam in altum extulere; id tamen quod raro evenit, Ecclesia legem nequam statuentes, decernimus ut in posterum hoc minimè sit, nisi is, qui ritè ordinatur, per gradus Sacerdotiales processerit in unoquoq; ordine temporis prestitutum adimplens.

LXXVIII. Credibile est Photium hujus Canonis Constantinopolitani autorem sui ipsius memorem eum condidisse, ne videlicet in exemplum traheretur, quod sibi ipsi contigit. Is enim cū protopatharius (satelli-

tum enī armatorum dux) & primus à secretis Imperatori esset, ē Laico intra sex dies, gradatim quidem, sed præcipitanter admodum, patriarcha creatus est. Primo namque die fuit monachus, alterò Lector, tertio hypodiaconus, mox diaconus, presbyter & sexto Patriarcha factus est, uti tradit Nicetas in vita Ignatii. Simile ergo quid ne deinceps fieret porrò, cautum id voluit canone præsente. Sed & Justinianus Imperator noluit præcipitatem admittere ordinationem. Neque enim, inquit novell. 6. c. 1. idiota, ex iis qui vocantur Laici existens, ita mox ad Episcopatum adscendat, nec imaginariam suscipiat ordinationem, tanquam modo quidem idiota, mox autem Clericus, deinde parvum aliquod tempus præteriens, Episcopus appareat. Elegantia sunt Gregorii I. verba lib. 4. epist. 50. Scimus, inquit, quod edificati parietes non prius ignororum pondus accipiunt, nisi novitatis sue humore siccantur, ne si ante pondera quam solidantur accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponant. Et cum ad edificium arbusta succidimus, ut prius viridatis humor exsiccari debat, expellamus, ne si eis adhuc recentibus fabricæ pondus imponatur, ex ipsa novitate curventur, & consticta citius corruant, que immaturè in altum levata videbantur. Cur ergo hoc non subtiliter in hominibus custoditur, quod in lignis quoq; ac lapidibus tantā consideratione perpenditur? Quantum autem temporis spaciū in quolibet ordine conficiendum sit, sollicitè inquirit Theodorus Balsamon in comment. ad d. can. & post adductas aliquorum sententias acquiescit tandem in Gregorii Theologi opinione, sufficere scil. si in unoquoque gradu per septem dies substiterit. Amplius aliquod spaciū præscripsit Justinianus Imperator novell. 123. c. 1. ut si Laicus ad Episcopatum eligatur, non repente Episcopus ordinetur, sed primo Clericis non minus tribus mensibus connumeretur, & ita sanctas regulas & cotidianum Ecclesiæ ministerium edoctus Episcopus ordinetur. Quicquid hujus sit, videtur id tempus amplicari & restringi debere pro ratione circumstantiarum in quālibet Ecclesiā occurrentium.

LXXIX. Antequam vero hoc de ordinibus gradatim assumentis constitueretur, quamplurimis exemplis probari potest, clericos minores, laicosque ad presbyterium & Episcopalem apicem, inferioribus omnibus gradibus omisis, provectos fuisse. A quibus nunc lubens abstineo, cum sufficient ea, quæ supra adduxi. Illud autem addo, quod maximè hoc videtur facere, & nostro seculo quotidie contingit, graviter reprehendi a Gregorio Nazianzeno eos, qui prius fere quam primam abjecissent lanuginem, divinaque atria ingressi essent, priusquam sacra volumina novissent vel de nomine, priusquam novi veterisque instrumenti signa & notas cognosserent, si tres pias voces didicissent ex auditione quidem potius quam ex lectione, statim pallium contrahunt, aut zona tenuis philosophantur, pietatisq; objectâ specie ac fuso semetipso oblinunt, ut profani vulgi præcōnio

nio laudentur. Adscribam ipsa ejus aliqua verba, quae digna sunt, ut hic legantur, ex apol. i. Pudore suffusus sum in multis, qui cum ceteris nihilo sunt meliores, immo preclarè cum illis agitur, si non multo sint deteriores, illotis se, quod dicitar, manibus & profanis nec initiatis mentibus, rebus sacris ingerant: & autem digni sunt, qui templa adeant, thronum ambium Episcopalem. Trudunt, obtrudunt, & impellant se ad mensam sacram, ac si persuasum haberent, esse hunc ordinem non virtutis typum, sed ad victimum comparatam rationem, nec ministerium rationi reddendæ obnoxium, sed imperium absolutum, nec subjectum ratiocinio, suntq; ferè numero plures, quam sint, quibus preficiantur. Quoad pietatem, miseri; quoad claritudinem infelices: adeò ut quod mibi videtur, progressu temporis & auge scente malo, nemo planè relinquatur, quibus præesse possint, cum singuli docent, singuli prophetent, ita ut etiam Saul inter Prophetas habeatur.

CAP. V.

*Electionem animo integro & incorrupto perfici,
& ab omni Simonia vacuam esse debere.*

I.

Pergimus ad ipsum electionis actum, qualiter ille peragi debeat, & quâ animi intentione suffragia ferenda sint, ut canonicè electus diciqueat, qui ad Episcopatus dignitatem evehitur. Nec enim una tantum macula est, quâ contaminari actus ille dicitur; sed innumera irrepere solent vitia, quae vel eligentes occupant, vel candidatos & competitorés, vel, quod frequentissime fieri consuevit, utrosque simul, vel denique ipsum etiam procedendi modum. Ut singula hic enumerem, nulla ratio svadet, & plura fortè sunt, quam enumerari per compendium queant. Videamus tamen, à quibus maximè cavendum sit, & quae turpiter semper Ecclesiæ faciem profluerunt. Nonnulla eorum elgeanter describit Johannes Saresberiensis in policrat. lib. 7. cap. 17. Domesticas, inquit, calamitates, & ibalamum sapientie expositum fornicatoribus & sanctuarii interioris recessum in prostibulum permutatum, sine gemitu & lacrymis nequeo deploare. Domus namq; orationis, negotiationis, Domino prohibente, facta est domus, & templum fundatum in lapide adjutorii in latronum speluncam versum est. Siquidem Ecclesia data est in directionem, aliis palam aliis clam occupantibus eam. Nam & ipsa occupanti conceditur, eò forte, quod in nullius bonis est. Non est enim inventus, nisi perrarus, qui accingatur gladio super femur suum ad presumptionem ambitionis reprimendam. Illa namq; machinas multiplices erigit, ut eam expugnet, nemine defensante. Alius enim de nobilitate confusus, aut viribus potestatum, violenter in

sancta irruit, & si force pulsat ad ostium, parietem aut limina suffodere non veretur. Nam & seditionem concitabit in Moyser, & alienum ignem in templum inferet, & vasa sanctuarii contaminabit. Alius sperans in multitudine divitiarum, Simone ducente, ingreditur, non inveniens ibi, qui eum & pecuniam suam jubeat ire in perditionem. Alius in muneribus ad Petrum reformidat accedere, clanculo tamen per impluvium auri, ac si per tegulas Jupiter illabatur in gremium Danaes, sic in sinum Ecclesie procul descendit incestus. Alius obsequio quasi muneris ignorans, adest, ac si obsequia non cedant in muneris rationem, profecto nullum majus est munus, quam cum homo seipsum hominis devovet servituti. Alium collusione quādam vocantis liberalitas praevenit, sed postmodum collatam gratiam suo Giezi plenius compensabit. Alius agit, ne ipsum pulsare oporteat, sed ad ingrediendum compellatur invitus, & quasi obnubilans lucernam DEI, ut eum impune irrideat fraudulentus. Diu siquidem alius simulavit. Ambitionem namque multis indiciis prodidit, & se divitem, potentem, insignem velle fieri confessus est, sed alia viā, in alio statu, sed in minori periculo, majore libertate &c. Videri ibi possunt alia plura, quibus corruptelas in hoc negocio usitatas acerrime perstringit.

II. Illis vero ut via præcluderetur, multa passim in jure Canonico occurunt monita, salutaria quidem & Ecclesie valde proficia, sed multifariam neglecta & conculcata penitus, atque recrudescentibus subinde vitiis oppressa. Apud Gratianum c. 14. dist. 61. extat palea, quam ex regulâ S. Benedicti depromptam ajunt Commentatores: *In ordinatione præpositi illa semper consideretur ratio, ut hic constituantur, quem omnis concors congregatio secundum timorem DEI, sive etiam pars congregationis, quamvis parva saniori consilio elegerit. Vitæ autem merito & sapientia eligatur, qui ordinandus est, et si ultimus est in congregatione. Quod si omnis congregatio vitiis suis consentientem personam pari consilio elegerit, & virtus ipsa aliquatenus in notitiam Episcopi vel ad alios vicinos præpositos vel Christianos claruerint, probibeatur prævorum prævalere consensum: sed domui DEI Episcopus constituat cum aliis dignum dispensatorem.* Agit quidem Canon de præposito Monasterii eligendo, sed optimo jure applicari ille etiam poterit ad electionem Episcopi, qui & ipse præpositus est, Ecclesie scil. suæ, & totius dioceſeos. In specie vero de Episcopo eligendo agit monitum Gregorii M. apud eundem Gratianum c. illud 8. q. 2. Illud quidem præ omnibus curæ tibi sit, ut in hac electione nec datio quibuscumque modis interveniat præriorum: nec quarumlibet & personarum patrocinia convalescant. Nam si quorundam patrocinio quisquam fuerit electus, voluntatibus eorum, cum fuerit ordinatus, reverentia exigente obligetur compellitur, sicque sit, ut res illius diminuantur Ecclesie, & ordo Ecclesiasticus non servetur. Cætera, quæ ex Gregorii epistolarum

larum Registro, uti vocant, Decreto suo pasim inseruit Gratianus Iubens prætero.

III. Inculcari hæc vacantibus sedibus sæpè oportuit ab Episcopis vicinis, ut electiones canonice perficerentur, neve violarentur decreta Ecclesiæ antiquitus præscripta. Quem in finem cùm apud Parisienses de eligendo Episcopo deliberandum esset, hunc in modum rescripsit Ivo Carnotensis, epist. 138. Consulendo itaq; monemus fraternitatem vestram, ut nemo vestrum in tanto discriminè privata odia exerceat, nullus privatum honorem vel privatum commodum querat, nullus fratrem suum publicâ infamia pulset, nisi iudicario ordine probare possit, quod objecerit &c. Et ad Episcopos Africanos scripsit Leo Papa apud Gratianum c. 5. dist. 61. Miramur, tantum apud vos per occasionem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem aut tumultum valuisse popularem, ut indignis quibuslibet, & longè extra sacerdotale meritum constitutis pastorale fastigium & gubernatio Ecclesiæ crederetur. Non enim hoc est consulere populo, sed nocere, nec præstare regimen, sed augere discriminè. Integritas enim præsidentium, salus est subditorum. Et ubi est incolumitas obediencie, ibi sana est forma doctrinæ. Principatus autem, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupavit, etiamsi moribus atq; actibus non offendit, ipsius tamen initii sui est perniciosus exemplo, & vix bono peraguntur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Pertinet eī tota & integra Epistola Hincmari Archiepiscopi Remensis ad Clerum & populum Bellouacensem, quam refert Jacobus Sirmundus tom. 2. Concil. Gallic. pag. 641. ex quā simul discere licet, quæ eo tempore in Ecclesiæ Gallicanis obtinuerit ratio & forma eligendi.

IV. Præcipue autem notanda hic est elegantissima Leonis Imperatoris Constitutio in l. 31. C. de Episc. & Cler. quam propterea integrum adscribam. Idem (scil. Leo & Anthemius) A.A. Armasio Præfeto Prætorio. Si quenquam vel in hac regiâ Urbe, vel in ceteris provinciis, quæ toto Orbe diffusæ sunt, ad Episcopatus gradum provebi DEO auctore contigerit, puris hominum mentibus, nudâ electionis conscientiâ, sincero omnium judicio proferatur. Nemo gradum sacerdotii precii venalitate meretur, quantum quisq; mereatur, non quantum dare sufficiat, & stimetur. Profectò enim quis locus tutus & quæ causa esse poterit excusata, si veneranda DEI templa pecuniis expugnentur? quem murum integritatis, aut vallum fidei providebimus, si auri sacra famæ in penetralia veneranda proserpat? quid deniq; cautum esse poterit aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpatur? Cesset altaribus imminere profanus ardor avaritiae, & à sacrâ adytis repellatur piaculare flagitium. Itaq; castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, ut quocunq; locorum pervaenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Nec precio sed precibus ordinetur antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quaratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi. Profectò enim indignus est sacerdotio, nisi

376 CAP. V. Electionem animo integro & incorrupto perfici,
nisi fuerit ordinatus invititus. cum sanè si quis hanc sanctam & venerandam antistitis se-
dem pecunie interventione subiisse, aut si quis, ut alterum ordinaret vel eligeret, ali-
quid accepisse detegitur, ad instar publici criminis & lèse majestatis, accusatione
præposita, a gradu sacerdotii retrahatur. nec hoc solùm deinceps honore privari, sed
perpetue quoq; infamie & damnari decernimus, ut eos, quos par facinus coquinat &
æquat, utrosq; similis pena comitetur. D. 8. id. Mart. Constantinop. Marciano &
Zenone Coss.

V. Non alia magis in jure Justinianeo eminet sanctio, quæ ambitio-
nem & avaritiam, vulgaria electionum vitia, reprimat & coercent, quam
ipsa hæc, ut à nobis proposita est. Digna ea est, quæ ab omnibus Studiosis
Theologis & Candidatis ministerii crebro ad animum & in memoriam re-
vocetur. Laudat eam Cardinalis Baronius ad ann. 469. num. 9. itemque
Johannes Sarisberiensis in *policrat. lib. 7. cap. 20.* & multo ante Photius Epi-
scopus Constantinopolitanus in *Nomocan. tit. 1. cap. 24.* ad quem tamen
hoc extat Theodori Balsamonis scholion, constitutionem istam non esse po-
sitam in Basilicis, atque ideo irritam factam fuisse. Id verò argumentum
est, compilatores *Βασιλικῶν* ideo omisssae eam, quod viderent, frustra ad-
hiberi ex illâ medicinam morbo huic seculo suo nimium inalescenti. Nec
deleri tamen propterea debuisset, cum utique ex vitiis ingravescientibus
tolli nequeat id, quod iustum & rectum est. Utiliter ea servatur in nostris
Ecclesiis & Rebuspublicis, & laudatur, pietas Leonis, quod Ecclesiæ DEI
misertus lege publicâ fancire voluit, quod diu ante per varia concilio-
rum decreta assertum, & multis Doctorum sententiis confirmatum fuit.
Nos verò ideo adscriptissimus totam, ut brevi eam commentario illustrare
liceat.

VI. Inscriptio quidem Leonis & Anthemii nomen præ se fert, sed re-
vera ab Leone solo constitutio hæc confecta & in partibus Orientis promul-
gata fuit. Ita enim usu invaluerat, ut cum plures eodem tempore, divisis
quamlibet Imperii partibus, imperarent, atque adeò quamlibet ab uno tan-
tum Imperatore revera scripta Lex esset, ex æquo tamen omnium nomina
præferret. Leo hic in Thraciâ natus, cum tribunus militum sub Marciano
antecessore suo fuisset, Imperator creatus est Asparis Gothi hominis fa-
ctione, qui inter patritios electus magnam in eo ordine autoritatem ad-
eptus erat. Is anno imperii sui undecimo, Christi 467. Anthemium Mar-
ciani generum in Occidentem misit, ut Romanis imperaret. Et hinc ista in
inscriptione societas. Esse autem constitutionem hanc Leoni, non vero
Anthemio adscribendam, in primis patet ex eo, quod Constantinopoli, quæ
sedes erat Orientis, Leonis imperio subiecti, scripta fuit, uti testatur sub-
scriptio, cum Anthemii regimèn intra limites Imperii Occidentalis coerci-
tum esset. Deinde verba illa, in hac regia Urbe, & hanc sanctam & veneran-
dam

dam *antistitis sedem*, satis arguunt Urbem & sedem Constantinopolitanam intelligi debere. Ipse etiam Armasius, ad quem constitutio hæc scripta fuit, præfecti prætorio officio non in Occidente, sed in Oriente functus est, ut mox dicam. Cæterum Leo Imperator hujus legis autor pietatis & religionis studiosissimus fuit, &c. ut habet Chronicon Alexandrinum, sub Olympiad. 311. acerrimè persecutus est Arianos Exocionitas, (Gr. ἐξωνείταις, sive potius ἐξωνεῖταις, vid. Jacob. Gothofred. *diss. ad Philostorg.* lib. 10. c. 3.) edictoque promulgato ubique vetuit illos habere Ecclesias, omnesque conuentus illorum penitus sustulit. Laudandaque in primis ejus constitutio in l. fin. C. de fer. quâ sanctitatem diei Dominicæ ab omni strepitū judiciali, ab omnibus ludis & spectaculis, & ab omni actione frivola atque profanâ custoditam esse voluit.

VII. Scripta est hæc Leonis constitutio ad Armatum præfectum prætorio. Baronius mavult legere Armatum, ductus procul dubio auctoritate Suidæ, qui *ἀρμάτων*, sive *ἀρμάτων* vocat. Johannes Glandorpius in *Onomastic. Rom.* putat, ipsum illum fuisse, qui, cum prius à partibus Basilisci stetisset, cuius scil. erat consobrinus, à Zenone Imperatore donis & pollicitationibus corruptus Basiliscum deseruit, & à Zenone tandem interfactus fuit. Promiserat Zeno inter alia, se, simulac imperium recuperasset, Armatum Magistrum præsentis militiae facturum, ut refert Autor Chronicus Alexandrinus sub Olympiad. 314. Ut adeò putem ex præfecto prætorio, si vera est lectio vulgaris constitutionis Leoninæ, factum eum sub Zenone magistrum militum, non quod superior ea dignitas esset, sed quod commodior fortè, & ingenio Armati magis congruens. Præfectum Urbi enim, & præfectum prætorio & magistros equitum ac peditum indiscretæ dignitatis fuisse, constat ex l. 1. C. de præf. præt. siv. Urb. lib. XII. Suidas Armatum hunc describit ut crudelem & effæminatum. Cede ejus, inquit, cives admodum sunt gavisi. Nam sub Leone quoscunq; Tbraces, qui seditionem moverant, cepisset, bos manibus amputatis dimiserat. Et porrò: Cum Basiliscus Imperator Harmato, ut cognato, liberum aditum ad Zenonidem uxorem permitteret, ac diutius consuetudo duraret, amboq; formâ insigni essent, deperire inter se cœperunt. Hinc oculos in se invicem conjiciebant & vultus subinde convertebant, & arridebant intersese. -- -- Cum autem Theodoricus videret, Harmatum ab omnibus colli, seque vinci ab adolescenti, qui capillos tantum, & alias corporis exercitationes curaret, indignabatur. At Harmatus cum auri affluentiâ, tunc honorum magnitudine inflatus, neminem sibi fortitudine prestatre putabat: ac tantum in eo vecordia valebat, ut Achillis habitu equo consenso in Hippodromo se jactaret. Quo magis autem eñ gloriole insaniâ teneretur, acclamationibus infimæ plebecula siebat, que Pyrrhum illum appellaret. Quod si eñ faciebat, quod rubicunda esset facie, recte dicebat. Sin ad laudem fortitudinis, deliniebat, ut

Bbb

adole-

VIII. Consultò abstinemus à prolixiore inscriptionis hujus examine, ne à scopo nostro dilabamur prorsus, & ab instituto nimium discedamus. Potius est ut videamus, quā ex ratione quāve occasione inductus Imperator constitutionem hanc ediderit. Dubium verò mihi non est, factum id ex suggestione Gennadii tūm temporis Episcopi Constantinopolitani. Celebaverat ille cum septuaginta tribus Episcopis in Urbe suā concilium provinciale, inque eo tum alia, de quibus acta perierunt, tum in primis de Simoniacis Episcoporum promotionibus egit oppidō prudenter & leverē. Superest èā de re Epistola Synodica, quam recitat Baronius ad ann. 459.
zum. 3. & Severinus Binius tom. 2 concil. p. 193. sed non nisi cum subscriptis nominibus quatuor Metropolitanorum. Plures autem subscriptissimè ex ipso contextu patet, quorum nomina cum ipsā epistolā recensentur in jure Græco-Rom. lib. 3. pag. 189. Nos aliqua, quae ad rem præsentem faciunt inde excerptemus. Præmittunt, damnari ejusmodi promotiones Simoniacas tūm per verba Scripturæ sacræ, tūm per canonem proximè habitæ Synodi Calchedonensis. Tūm pergunt: Quoniam tamen his ita aperte prohibitis, quidam sunt in Galatarum Ecclesiā deprehensi propter turpe lucrum & avaritiam hec salutaria & humana precepta negligere & transgredi, ea quoque ipsa nobis renovare visum est cum sanctā synodo, quae in hac regnante novā Romā nunc agit, ut sine omni penitus inventione & omni prætextu callidoq; commento, impianhanc & odiosam, quae nescio quomodo in sanctissimas Ecclesiās subiit, consuetudinem omnino exscindamus, ut cum pura & absq; ullā cauponatione eorum, qui ordinantur, renuntiatio ab antistitibus facta fuerit, gratia S. Spiritus supernè veniat. Quibus nescio an per pecuniam promotionem facientibus, & manu non pure operante, ad eum qui promovetur (secundum vocem Evangelii) & non potius contrahitur gratia Sancti Spiritus. Scito ergo religiosissime omni ex parte Vir, quicunque hujus convictus fuerit Episcopus vel Chorepiscopus, vel circuitor, vel presbyter, vel diaconus, vel quisvis alius ex canone, vel ex Laicis, communī Antistitum decreto, communī sententia condemnatum esse: sicut de hoc quoque sanctorum Patrum præcedens canon loquitur. Oportet enim gratiam semper esse gratiam & argentum apud eam nequaquam intercedere. Sit ergo & ab omni sacerdotali dignitate & ministerio alienus & anathematis execrationi subiectus, qui & se per pecunias acquirere eam existimat, & qui eam pecuniis præbere pollicetur &c. Legitur eadem epistola in Synodico Græco à Guilielmo Beveregio edito, tom. 2. pag. 181. sed ita ut dimidia ejus pars posterior pro Scholiis Balsamonis venditetur, cum sint ipsius epistolæ verba, quod etiam notat Baronius ad ann. 459. n. 4.

IX. Quo

IX. Quo anno Synodus hæc Constantinopolitana habita sit, non satis constat. Dicerem ego, eodem hoc anno, quo constitutio nostra edita est, hoc est, anno Christi 469. aut proximè antecedente eandem celebratam fuisse, ut scilicet lege publicâ confirmaretur, quod ab Episcopis in salutem Ecclesiæ decretum fuerat, nisi moveret & in diversam sententiam traheret epistola Leonis Episcopi Romani centesima ad Gennadium Episcopum CPnum scripta, quâ agit de Timotheo Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopo, quod universorum Domini Sacerdotum sententiis Constantinopoli coarctatus fuerit. Nec tamen restituendum eum propterea asserit, quandoquidem, ut maximè orthodoxiam profiteatur, supersit tamen vitium, ejus promotioni adhærens, quod vivente Episcopo tantæ sedis invasor existat, atque idcirco statuit, alium aliquem ex Clero Alexandrino eligi debere Episcopum. Scripta est ea Leonis epistola 15. Kalend. Jul. Magno & Apollonio COSS. hoc est, anno Christi 460. Coactum igitur fuit Concilium istud, in quo comparuit Timotheus, vel circa initium anni istius 460. vel, ut Baronius & Binius statuunt, anno proximè præcedente 459. Et sic integrum ferè decennium intercedet decretum istud Concilii & Constitutionem Imperatoriam.

X. Posito hoc, summè laudanda est circumspæcta illa Gennadii *Propositio*, quod simulaque thronum Episcopalem descendit, (id quod factum post mortem Anatolii, anno nimirum CCCCLVIII.) Ecclesiæ suæ salutem commendatam sibi habuit, & quæ tūm ab hæreticis, tūm à Clericis vitiōse vocatis & ordinatis, inflicta erant vulnera, quâ potuit arte sanare secum constituerit. Convocavit igitur Synodus istam, majore nunc potestate subnixus, quam in Concilio Chalcedonensi paulo ante, anno scil. Christi CCCCLI. acceperat antecessor Anatolius. Convocavit, inquam, novo jure, cum antea per ἐρδημάτων Episcopos, non verò συναθροιστέντες, Episcopi CPni Synodos suas celebrassent, uti alibi dixi. Et quanquam huic malo medicina abunde parata esset per ipsum illud Concilium Chalcedonense, quippe quod *can. 2.* depositionis pœnam intentaverat, qui pretio ordinarent Episcopos, aliasve Clericos aut ministros in Ecclesiâ constituerent, putavit tamen Gennadius, repetendum id sibi esse in diœcesi suâ, ideo quod post prohibitionem istam Calchedonensem in Galatiâ, provinciâ sibi subjectâ, fraudibus & dolis adversus dictum canonem agi cœptum esset, datâ videlicet pecuniâ post ordinationem. Ideoque non explicat tantum & à pravis interpretationibus vindicat canonem Chalcedonensem, sed etiam pœnas in eo decretas intendit, injecto anathemate.

XI. Galatia Pontica olim, non Asiana, ut quidam volunt, diœceseos provincia erat. Cumque adeò tres istæ diœceles, Asiana, Pontica & Thracia Constantinopolitano Patriarchæ subjicerentur, accepit ille *Propositio*

in omnes illas, & singulas earum partes, verè patriarchalem. In Galatia metropolis erat Ancyra, cuius Episcopus Anastasius in Concilio isto Gennadii præsens erat, qui & Epistolæ illi encyclicæ subscriptis. Et quanquam Paulus Apostolus Galatas amentes vocet *Gal. III, 1.* versutos tamen eos & callidos fuisse ipsum hoc eorum factum, quo per pravam interpretationem decretum Calchedonense eludere conati sunt, abunde ostendit. Quia enim in dicto canone constitutum fuerat, ne quis pro ordinatione aliquid daret aut acciperet, illi per sophisticas argutias inferebant, nequaquam prohibitum esse, ne quis daret vel acciperet quidquam post peractam ordinationem. Ergò ut sua canonis servetur integritas, præmittit Gennadius: *Simplex est & aperta hujus mandati (Christi scil. quod extat *Mattb. X, 8.*) ratio, que nihil habet varium, nihil quod non sit facile & explicatum, nihil quod Sophisticæ expositione indigeat.* Subjecto deinde canone Calchedonensi, pulcherrima, inquit, *& valde piis sunt hujus canonis sanctorum patrum prescepta, que omnem invasionem Satanicam, diabolicumq; conatum, qui in donum spirituale intenditur, repellit & rescindit.* Nullo modo enim vult ordinatis promotionem pecuniis aut fieri aut suscipi, nec ab eo, qui illam exercet, nec ab eo, qui ordinatis promotionem accipit. Sed nec ante tempus ordinatis, nec post dari pecunias concedit. Omnipotens enim in hac quoque re esse sordes, corruptionemq; munerum pronunciat. Tandem in verbis supra adductis pœnam adjicit anathematis, quisquis propter argentum vel dare vel accipere ordinationem velit.

XII. Praeiverat utriusque hujus Concilii decretis lege suâ Marcianus Imperator, qui simulatque regimen accepit, statim constituit, ne quis numerato precio ad magistratum promoveretur, uti testis est Theodosius Lector lib. I. hist. Eccl. Cumque etiam ab anterioribus Imperatoribus similes constitutiones circa officia secularia & palatina editæ fuissent, uti præ ceteris in Codice Theodosiano conspicua est lex I. ad L. Jul. de ambit. & in Codice Justinianeo lex fin. ad L. Jul. repetund. turpe putarunt Patres & Doctores Ecclesiæ, officia civilia tam sancte ab omni ambitu custodiri, non perinde vero custodiri officia Ecclesiastica. Divina enim ea cum sint & sancta, cavendum omnino est, ne quid committatur in eorum collatione, quo pollui & contaminari queant. Siquidem non est facile stare in loco Petri & Pauli, scilicet tenere cathedram regnantium cum Christo, quia hinc dicitur, non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. c. non est, dist. 40.

XIII. Sed quam parum profecerit Gennadius suo illo decreto synodico, colligere licet ex constitutione Leonis Imperatoris subsecutâ, quam nunc explicamus, & quam sine dubio suggestionibus suis procuravit Gennadius. Aut vero, si quid profecit Gennadius, latius tamen & extra dicessin suam nulla ei erat potestas. Nec ergo prohibere potuit, quo minus in aliis

aliis dioecesis adjacentibus similes fraudes & argutiae adversus decretum Chalcedonense excogitarentur & ad effectum adducerentur. Unde sibi metuendum erat, ne exempla inde ex viciniâ peterent suæ dioecesisos subjecti Episcopi, & iisdem vitiis inficerentur iterum atque, in pristinas animorum pravitates reciderent, quos ut innoxios præstaret, tam sollicitè hactenus laboraverat. Ampliore igitur potestate opus erat, majore etiam & severiore coercitione, quam ut præstari à Viris Ecclesiasticis, quantæcunque illi dignitatis fuerint, propter eorum conditionem possent, præsertim cum non simplicium tantum Episcoporum Ecclesiarum, sed etiam ipsæ Patriarchales sedes affectæ vitio illo & corruptæ essent. Implorandus idcirco erat Imperator, qui sanctionem ab omnibus, non Episcopis tantum, sed metropolitanis etiam, & ipsis denique Patriarchis observandam conderet, qui que adeo potestate *αὐτοκατικῆ* prædictus esset, ut refractarios in ordinem redigere, & disciplinam Ecclesiasticam sanctam & inviolatam custodire posset.

XIV. Nec vero dubitavit Gennadius vel quisquam tunc temporis Episcoporum hos partes deferre Imperatori, ut etiam in Ecclesiasticis negotiis ipsi potestas esset, leges condere & promulgare. Acriter quidem propterea à quibusdam perstringitur Justinianus; sed ille jure suo sibi ex maiestate & summo imperio competente usus est, quo etiam Antecessores ejus usi fuerunt. Principibus in universum omnibus, qui *πόλεων* tenent in Rep. potestas legislatoria circa sacra de se competit, ut Principibus jure proprio, & ut sunt Rectores civitatis vel communilitatis suæ. Nec tantum ut confirment solum ea, & exequantur, quæ ab Episcopis in synodo decreta fuerunt, sed etiam, ut ipsi sine prævio Episcoporum synodali statuto novas condere possint leges antea nunquam nec promulgatas nec observatas. Quanquam non negem, utile esse, imò ferè necessarium, ut, antequam tale quid constituatur, præmittatur deliberatio cum Theologis, quippe qui in præparandâ materia constitutionis Ecclesiasticae suppeditare & suggerere optimè possunt, quid proficuum, quidve minus accommodum Ecclesiarum sit, ne quid statuatur forte, quod scandalum aliquod ex se pariat, quodve usui rerum inconveniens sit & adversum. Et sic igitur ad Episcopos spectabit, ut materiam legis disponant; ad Principem autem, qui caput est civium, ut autoritatem impertiat, & legis formam perficiat. Nec dubito, cum Gennadio primûm & quibusdam aliis Episcopis ab Leone Imperatore consultationem institutam & habitam fuisse, antequam constitutio ista, de qua nobis sermo est, promulgari cœpit.

XV. Fuit hæc eadem sententia Gregorii Magni, qui cum magno studio crimen hoc Simoniae extirpare conaretur, plurimis epistolis ad Franco-Rum Reges Childebertum, Theodebertum, & Theodoricum missis, eos com-

monuit, ut suo detungerentur officio, & Regiam autoritate ab labore istam remunes Ecclesiastis praestarent. Idem censuit Concilium Parisiense VI. lib. 1. c. 11. Quae etiam odibilis pestis primum necesse est, ut Imperiali auctoritate & potestate cum consensu venerabilium Sacerdotum (i. e. adhibitis in consilium Episcopis) à Romana Ecclesia amputetur Eccl. Noverant enim illi, ad principem spectare, suis ut legibus Episcopus coerceret, & publicis sanctionibus Ecclesiastis ab omni tali macula custodiret. Et ex hac potestate Henricus III. Imperator in Concilio ex Gallia & Germania Episcopis a se congregato editum proposuit, ut nullus gradus Clericorum vel ministerium Ecclesiasticum pretio aliquo conquereretur. Ac si quis dare aut accipere presumeret, omni bono destitutus, anathemate multaretur, uti resert Glaber Rodulphus bish. lib. 5. cap. 5.

XVI. Viderat & observaverat Gennadius & cum eo Leo Imperator, quantis corruptelis obnoxiae fuissent hactenus plerique sedes Episcopales, & ipsa aliquando Ecclesia Constantinopolitana, quam tamen summe reverendam & Romanam aequalem esse voluerunt Imperatores antecedentes. Ab ipsis vitiis ut cautum esset deinceps, & ne porrò tale quid contingere, quod sèpè hactenus magno cum Ecclesia detimento & cum summo Christianorum dedecore acciderat, placuit legem conscribere, ut fibula hac injecta, si non ex conscientia dictamine, saltem metu poenae, pura atque integrâ mente electiones Episcoporum perficerentur. Multum autem jubarit interpretationem, si de statu Ecclesiarum Patriarchalium, in primis vero Constantinopolitanarum, cuius in specie meminit Legislator, qualiter se tum temporis habuerit, nonnulla hic inferamus, si prius hoc præmisimus, principaliter quidem suffragiorum emptione & venditione agere constitutionem, sed in ea tamen simul in genere describi qualitatem electionis, ut ab omni vitio vacua dici queat. Et sic ad reliquias etiam corruptelas, quibus pessimè sèpenumero afflictæ fuerunt Ecclesiæ, in exemplis adducendis nobis erit respiciendum.

XVII. Quod igitur Ecclesiam Constantinopolitanam attinet, eam tum temporis gubernavit, uti dixi, Gennadius, antea ejusdem Ecclesiæ presbyter, Vir, ut videtur, integer vita, scelerisque purus. De eo tradit Philippus Cyprius ProtoNotarius Constantinopolitanus in *Chronico Ecclesiæ Grece*, quod adorandi gratia Hierosolymam profectus, quam revertetur, in Cypro Insulâ placide obdormiverit. Nec invenio sanè quicquam, quod reprehendi circa ejus electionem potuerit. Altum eâ de re apud Scriptores est silentium. Nec admisisset fortè Leo Imperator tale aliquid ex rebus gestis Antecessorum suorum edocitus, quantæ datæ olim fuerint turbæ. Sed nec ipse tam confidenter in Synodâ suâ condemnasset cauponiam, uti vocat ejus interpres, sacrorum munerum, nec passus fortè fuisse,

ab

ab Imperatore eam publicā lege perstringi, si ipse ejus criminis reus fuisset. Non enim quis facilē comprobat legem, quā ſua ipsius vitia notantur, & ex quā reum ſe eſſe agnoscit.

XVIII. Gennadii antecessor fuit Anatolius, & huius Flavianus. Et de Flaviani quidem elecione nihil omnino notatum eſt à Scriptoribus rerum Ecclesiasticarum, quod reprehendi queat. Sed Anatolii promotio non usquequaq; probari potuit. Damnatus erat à Flaviano Eutyches presbyter & Archimandrita Constantinopolitanus in synodo illie habita anno CCCCXLVIII. & propter hæresin tuū sacerdotio, tum etiam administratione monasterii abſtinere jussus fuerat. Id cum indignè ferret, impetravit à Theodosio juniorē Imperatore, ope Chrysaphii Eunuchi, qui Flaviano infensus erat, & Principis ingenio abutebatur, ut nova Ephesi habetur Synodus, quam λησπικὸν ſive latrocinalem nominant, eo quod pleraque omnia per vim & tumultum in illā expedirentur. Utque ſibi prospere cederent Concilii illius decreta, obtinuit ab Imperatore porro per falsas ſug-geſtiones, ut Flavianus & qui cum eo facerent, pro reis haberentur, Conciilio autem ipſi præſideret Diοſcorus Episcopus Alexandrinus. Hic verò acri & vehementi quādam incitatione inflammatus non modo Eutychen communioni restituit, fed etiam Flavianum depositus, & in ejus locum Anatolum hunc, qui Constantinopoli hacēnus pro ſuis & Ecclesiæ Alexandrinæ negociis Reſponsalem egerat, ſubrogavit. An verò putabimus, recte ita ſe habuisse promotionem Anatolii, quod in Synodo peracta fuerit? Imo verò non unum ſubeft vitium, quod illam commaculavit. Primum enim non facta ea in loco ſedis vacantis, nec adhibitus consensus populi, quod utrumque requirunt canones. Deinde electio facta fuit in Synodo tali, in quā nulla libera erant luſfragia, animi non ſoluti nec vacui, ſed omnia per vim & urgente manu militari agebantur. Hinc enim ſubſequetꝫ plerorumq; Epifcoporum, qui ſubſcriperant, in Concilio Chalcedonensi querelæ: Minabatur nobis damnatio: mine exiliū intendebantur: milites cum fuſib⁹ & gladiis instabant: Timebamus gladios & fuſtes: ubi gladius & fuſtes, qualis Synodus eſt &c. act. i. Tertiō ipſe etiam Flavianus iuſtē depositus fuerat, nec adeo dici ſedes vacans potuit. Non debuit autem, niſi ſede vacante, Episcopus eligi. Violentus enimverò & præceps atque crudelis fuit processus iſte, qui in Flavianum peragebatur. Sic enim docent Epifcoli Chalcedone poſtea congregati, d. act. i. Tunc Oneiphorus Episcopus Iconii tolleſ ſecum alias Epifcopos ſurrexit, & tenuit genua ipſius Diοſcori dicens: Noli per veſtigia reverentie veſtræ. Nihil dignum damnatione egit Flavianus: ſi autem reprebenſione dignus eſt, reprebendatur. Exſurgens de throno Diοſcorus, ſtans ſuper ſca- bellum ſuum, dixit: Etiamſi lingua mihi præcidatur, aliam vocem non emitto. Cumq; perſiſterent Epifcoli, tenentes genua ejus & rogantes eum, tunc emiſit Diοſcorus

384 CAP. V. Electionem animo integro & incorrupto perfici,
scorū hanc vocem: Ubi sunt Comites? Ingressi autem jūni Comites, & introdu-
xerant Proconsulem cum multitidine magnā & catenis. Propter quod unusquisq;
nostrum subscriptis. Quartō, suspicione non caret, quod Dioscorus apocrī-
fiarum seu Responsalem suum in Flaviani locum evexerit. Videtur enim
id fecisse propter merita & ex favore. At in electionibus talibus omnem
favorem exulare debere diximus supra. Quintō etiam id contaminavit hanc
Anatolii promotionem, quod Dioscorus veritus, ne Flavianus aliquando
restitueretur, illum vitā frui noluerit, sed per Barsumam Archimandritam
occidi curaverit. Quicquid enim per Barsumam perpetratum tūm fuit,
in Diocorum redundavit. Unde & Eusebius Dorylæi Episcopus illi totam
hanc tragediam adscripsit, dicens, *Flavianum à Diocoro pulsū & calci-
bus appetitum, miserabil modo interfecit* esse apud Evagrium lib. 2. c. 2.

XIX. Atque ita se habuit promotio Anatolii, quem proinde in com-
munionem recipere noluit Leo Episcopus Romanus, cuius in epist. 57. ad
Marcianum Augustum, hæc sunt de eo verba: *Anatolii Episcopi ordinatio-
nem, sicut scientia DEI testis est, suspectam, quod fatendum est, mibi fecerant con-
secrationis ejus autores, nec dissimilem ab eligentibus arbitrabar electum, secu-
tumq; est, ut dum à communione Apostolicæ sedis existeret alienus, diu dandis ad eum
epistolis pacis mee abstinerem* &c. Recepit tamen eundem, & quidem in-
tercedente Marciano Imperatore, ut patet ex epist. 54. Cæterum, quod
de Flaviano antecessore Anatolii dixi supra, ejus promotionem nullā labe
infectam fuisse, id multo illustrius fiet, si qualiter innocentia ejus tentata &
in periculum conjecta fuerit, Nicephori ex lib. 14. cap. 47. verbis referam:
*Erat hic, inquit, sacrorum donariorum magne Ecclesiæ Custos, dignitate presby-
ter, vitâ autem cœlesti præclarus. Creato itaq; Flaviano Episcopo Constantino-
politano, Chrysaphius Eunuchus, qui plurimum apud Theodosium Imperatorem va-
luit, cùm minus gratam haberet ejus ordinationem, suggestit Imperatori, ut Pa-
triarchæ significaret, Selectionis seu consecrationis gratia aliquod sibi benedictio-
nis loco mitteret munus. Cui S. Flavianus panes puros misit. Chrysaphius
contra, aurum loco benedictionis esse mittendum, contendit. Ille respondit, non
sibi esse talium rerum copiam, nisi forte ad hoc sacræ uteretur templi donariis; sa-
tisq; scire Chrysaphium, Ecclesiæ vasa DEO & pauperibus esse debita &c. Si-
milia refert Theophanes in Chron. & Evagrius lib. 2. cap. 2. Videtur vero
ex hoc Chrysaphii postulato natum deinceps honorarium istud, quod ab
Episcopis pro confirmatione non Gothorum tantum Regibus, sed ipsis
etiam Græcis Imperatoribus aliquando dari oportuit, & à quo Sedem Ro-
manam liberavit Constantinus Pogonatus, uti tradit Anastasius in vit.
*Agathonis.**

XX. Nolo ex historiâ Episcoporum Constantinopolitanorum altius
repere, quæ ad rem præsentem faciunt. Transeo ad Ecclesiam Alexan-
drinam,

drinam, in quâ similis tragœdia agitata fuit. Quis fuerit Diοscorus ejus Ecclesiæ Episcopus, jam ante memoravi. Is autem cùm non desineret Eutychis doctrinam propugnare, & ex actis Synodi Ephesinæ II. pessimum & crudele ejus ingenium satis cognitum jam esset, in Concilio Chalcedonensi damnatus & anno CCCCLI. Gagram Paphlagoniæ civitatem abire jussus, imò militari manu perductus, & relegatus fuit. In ejus locum canonica, ut videtur, & legitimâ electione, quam describit Liberatus Archidiaconus in breviar. cap. 14. succedit Proterius. Quæ verò propter hanc ejus electionem fecutæ mox fuerint seditiones, discere licet ab Evagrio lib. 2. c. 5. adeò ut ipse Proterius militarem custodiam corpori suo adhibere coactus fuerit. Inde factum, ut Timotheus quidam cognomento Ælurus Dioscori partes secutus ab Ecclesiâ Alexandrinâ se segregaret, nec à Proterio revocari ullò modo posset. Mortuo autem Marciano Imperatore, qui Proterii partes sustinuerat, audacior factus Timotheus Proterium persequitur, ejusque locum occupat. Id verò, quâ ratione contigerit, audiamus Theodorum Lectorem ex lib. 1. hist. Eccl. hunc in modum verba facientem: *Timotheus auditâ Marciani morte adversus Proterium insurgit, eumque in baptisterio Ecclesie occidi & cadaver ejus per urbem trahi & incendio consumi curavit. Porro hic Timotheus Ælurus, antequam Proterius occideretur, præstigiis quibusdam ac machinamentis usus noctu cellas monachorum circuibat, singulos monachos nominatim appellans. Cumque is, qui nominatus erat, respondisset, ipse unum ex angelis se esse dicebat, ad hoc missum, ut singulis denunciaret, ne Proterio communicarent, sed ut Timotheum Ælarum Episcopum eligerent, semet ipsum cunctis manifestè designans.* Ad quem locum commentatur Henricus Valesius, videri sibi Timotheum ob hanc causam cognominatum Ælurum, id est, felis, quod instar felis seu Æluri noctu obambulare solitus esset.

XXI. Talis fuit Timothei hujus ad Episcopatum Alexandrinum promotio, cruenta scilicet & sanguinaria, sed & fraudulenta atque dolosa. Utve rei immanitas manifestius constet, adjiciam nonnulla ex epistolâ Ægyptiorum Episcoporum & Cleri Alexandrini ad Leonem Augustum, quæ extat inter epistolas pro Concilio Chalcedonensi tom. 2. Concil. fol. 146. Verba hæc sunt: *Tamen hi verò qui ab initio intentionem Timothei ad effectum perducere festinabant, neque in illis intemeratis locis eum salvari volentes, neque cultum loci metuentes, (dixerant ante, Proterium ad sacrum baptisterium se contulisse) nec tempus, cùm esset salutaris Pasche festivitas, nec ipsum sacerdotium pavescentes, quod est mediatio DEI & hominum, percusserunt inculpabilem Virum, eumque crudeliter occiderunt, etiam cùm aliis sex & circumducentes ejus ubique cadaver vulneratum crudeliterq; trahentes per omnia penè civitatis loca insensibile corpus plagiis sine misericordia verberabant, dividentes membratim eum, & neque interiora more canum gustare parcentes illius Viri, quem nuper b-*

CCC

bere

bere se media ore DEI & hominum putaverunt, tradentesq; reliquum ejus corpus igni, etiam despargebant ejus cineres in ventos, ferocitatem bestiarum omnium transcendentem. Horum siquidem omnium autor fuit & sapiens, si DEO placet, Architectus Timotheus, primò siquidem adulter, postea etiam homicida, penè manus propriis hoc nefas efficiens, & propterea condemnandus, quando agenti, qui jubet malum fieri, in suppicio proximus est.

XXII. Non diu tamen stetit Episcopatus hujus Æluri, quippe qui auctoritate Leonis Imperatoris dejectus alii cedere eundem coactus fuit. Restitutus tamen is post Leohis obitum veneno tandem extinctus est. Quæcum vicisitudines rerum in Ecclesiâ Alexandrinâ fuerint, non possunt minori compendio recenseri, quam in breviorio suo complexus est Liberatus cap. 15. & 16. Quo facto, inquit, scripsit Imperator Leo Duci Alexandrie Stile, ut pelleret quidem ab Episcopatu modis omnibus Timotheum, intbronizaret autem alium decreto populi, qui Synodam vindicaret. Jussione susceptâ Dux Stila fecit, quæ fuerant imperata. Et exilio relegatur Timotheus Ælurus Chersonam arcta custodia, & fit pro Proterio Timotheus, cognomento Salophaciolum sive Asbus. Hic Timotheus Catholicorum Episcopus, vixit quidem sine seditione quiete in Alexandrinâ Ecclesiâ omni tempore Leonis, & omni tempore Zenonis, donec Basiliscus arriperet tyrannidem, Zenone in Isauriam fugiente. Et cum Basiliscus tenuisset imperium, scripsit universo orbi sanctionem suam, quam appellavit Encycliam contra Chalcedonense Concilium. Tunc enim Basilisco reddente episcopatum Timotheo Æluro & hereticis sedibus suis restitutis, fugit Timotheus Catholicus in Canopi castellum & in monasterio latuit. -- Postquam igitur Imperator Zenon reversus est ad Imperium, Timotheus Ælurus metuens Zelum, quem habebat circa Chalcedonense Concilium, optavit sibi mortem. Et istud perseveranter orans, ab humana vita hausto veneno solutus est. -- Post cujus obitum ordinaverunt sibi heretici Episcopum Petrum, cognomento Moggum, qui vocatus est Blefus, qui fuerat Archidiaconus. Morabatur autem tunc Timotheus Catholicus, ut dictum est, in Canopo castello. Et cognoscens Zenon Imperator callidatatem hereticorum, scripsit Anthemio Augustali, ut Petrum quidem Sacerdotio privaret, Timotheum verò in Episcopatum reduceret, & autores intbronizati Petri puniret. Anthemius verò acceptâ Imperiali jussione expulit Sacerdotio Petrum tanquam adulterum, & contra leges Ecclesiæ Catholica factum, & in episcopalem sedem Timotheum Salophaciolum revocavit &c.

XXIII. Hæc fuit facies Ecclesiæ Alexandrinæ, cum Leo Imperator suam constitutionem ederet. Et Salophaciolum quidem Timotheus eam regebat tunc temporis primâ vice Æluro subrogatus. Neque vicisitudines istas mirabitur quisquam, qui secum consideraverit, quam proclivis fuerit populus Alexandrinus ad excitandas seditiones, quem sub hoc charactere describit Evagrius lib. 2. cap. 8. Non melior fuit status Ecclesiæ An-

Antiochenæ, in quâ Petrus Cnaphéus, Fullo communiter dictus, maximas circa hæc tempora excitavit turbas. Sederat in eâ jam inde ab anno CCCCLIX. Martyrius Episcopus; Sed ingentes à Petro Fullone passus ærumnas & contumelias Episcopatui tandem renunciavit. Facti seriem ita exponit Theodorus Lector lib. 1. Martyrio Antiochenis Ecclesiæ Episcopatum gerente, Zeno magister militum, qui Leonis Imperatoris filiam Ariadnen. Uxorem duxerat, Antiochiam venit. Erat in ejus comitatu Petrus quidam, cognomento Fullo, presbyter Ecclesiæ S. Basile martyris, que est Chalcedone. (Monachum eum fuisse, & propter perditissimos mores è monasterio ejectum, referunt alii.) Hic Sedis Antiochenæ cupiditate captus persuasit Zenoni, ut co-natus ipsius adjuvaret. Conduxit igitur quibusdam ex Apollinaris setâ, contra fidem & contra Martyrium Episcopum plurimos tumultus excitavit, anathemati subjiciens eos, qui non dicerent, DEU M crucifixum. Quam ob causam populum quoque inter se dissidere fecit. Addiderat enim trisagio hæc verba: Qui crucifixus es pro nobis. Martyrius cùm ad Imperatorem venisset, honorifice dimissus est, studio atque hortatu Gennadii. Reversus autem Antiochiam, cùm Antiochenes turbis ac seditionibus delectari & Zenonem iis favere animadverteret, Episcopatui renunciavit coram universâ Ecclesiâ, his verbis usus: Clero contumaci, & populo immorigero, & Ecclesiæ contaminatae renuncio, servatâ mibi Sacerdotii dignitate. Post abscessum Martyrii, Petrus in sedem Episcopalem tyranice invasit. Statimq; Johannem quendam, qui antea depositus fuerat, Episcopum Apamie ordinavit, quæ cùm didicisset Gennadius, cuncta Imperatori significavit. Imperator verò Petrum in exilium mitti jubet, qui cùm id præscisset, fugâ elapsus exilium devitavit. Ejus autem loco Julianus communi omnium consensu ad Episcopatum promotus est.

XXIV. Quibus annorum interstitiis hæc contigerint singula, difficile erit explicare. Probabile est, coepisse hanc Petri improbitatem, antequam constitutio Leonis ederetur, sed finiisse longo post tempore. Et rectè observant nonnulli, bis ab eo factam invasionem in sedem Episcopalem, alteram quidem anno CCCCLXIII. alteram autem, cum à Basilisco restitueretur, quod factum putant anno CCCCLXXXII. Quicquid hujus sit, sufficit nosse, circa ista tempora valde turbatam fuisse Ecclesiam Antiochenam, prementibus eam nefandis hæreticis, ita ut videretur esse facta omnium Orientalium hæreticorum illuc undique confluentium infelix errorum emporium, ut ait Baronius ad ann. 486. n. 3. Nec verò per dejectionem & remotionem Petri Fullonis cessarunt improbabæ & facinorosæ seditiones, sed exarserunt magis, & in barbaras lævitias eruperunt. Nam cum Stephanus Petro surrogatus, orthodoxus Episcopus unâ cum suis in magnâ Ecclesiâ sacram synaxin solenniter celebraret, Petri soboles Eutychiana conferto agmine, exsertis gladiis furentes ingressi, in DEI Sacer-

Ccc 2 dotes

dotes s̄eientes, eosdem crudelissimē trucidarunt, ipsumque Antistitem Stephanum, in quem præcipue odio astabant, ad necem usque atrocissimis tormentis confecerunt. Evagrius ex Johannis Rhetoris scriptis refert, Atheniensium pueros eum calamis instar telorum præacutis interfisse. lib. 3. cap. 10.

XXV. Ita scilicet docuimus, intra paucorum annorum spaciū circa tempora promulgatæ constitutionis Leoninæ pessimè affectas, & suorum Episcoporum cæde contaminatas fuisse tres præcipias in Orientis imperio sedes patriarchales. Utrum quarta, quæ tum temporis eminere cœpit, Hierosolymitana scil. tale nihil experta fuerit, dicere non habeo, quandoquidem obscura admodum ejus apparent vestigia apud Scriptores Ecclesiasticos. Qui enim Juvenali in patriarchalem statum noviter enecto, anno CCCCLVIII. succedit, Anastasius, & ad annum CCCCLXXVII. sedem obtinuit, quasi divinitus datus refertur à Cyrillo, si vera sunt, quæ ex eo refert Cardinalis Baronius ad ann. 458. num. 35. 36. Eādē ratione promotum fuisse Martyrium, Anastasi successorem, idem testis est ad ann. 477. num. 21. Nihilominus tamen adversus Anastasium ab hereticis Eutychianis in sedem Episcopalem constitutum fuisse Gerontium quendam Monachum. Metaphrastes autor est apud eundem Baronium ad ann. 476. num. 41.

XXVI. De Ecclesiâ Romanâ, quæ prima semper fuit inter patriarchales, nihil hic attinet dicere, cùm ut supra exposui, Leonis hæc sit constitutio, vi suâ, & quatenus à Leone edita & promulgata est, Occidentalis Imperii subditos haudquam obligans. Nec incusari forte poterunt Hilarii & Simplicii, qui tum temporis Ecclesiæ isti præfuerunt, electiones, quandoquidem Gothi primū sub Attalo, deinde Vandali duce Genferico Italianam & ipsam Urbem Romam miserrimè vastarunt & diripuerunt. Ita enim fieri solet, ut quoties calamitatibus publicis tempora insigniuntur, toties ad sanctitatem magis & justitiam inclinent actiones hominum, persisturæ in suâ malitiâ, si nulla à divino Numine exercendæ pietatis objiceretur materia. Sed quæ centum abhinc annis, & quod excurrit, excitatæ fuerunt seditiones, tam immanes sunt, ut penè fidem superent, & in perpetuum Romanæ Ecclesiæ opprobrium descriptæ inveniantur ab homine Gentili, Ammiano Marcellino, lib. 27. Damafus, inquit, & Ursinus supra humanum modum ad rapiendam Episcopalem sedem ardentes, scissis studiis afferimè conflickabantur, adusque mortis vulnerumq; discrimina adjumentis utriusq; progressis: quæ nec corrigere sufficiens Viventius (ex questore Palatii) nec molle, vi magnâ coactus fecessit in suburbanum: & in certatione superaverat Damafus, parte, quæ ei favebat, instantे. Constatq; in basilicâ Siccini, ubi ritus Christiani

Sianī est conventiculum, uno die centum triginta septem cadavera peremptorum: efferatamq; diu plebem agrē delimitam.

XXVII. Dum ita primariæ & per totum orbem terrarūm celebrissimæ atque augustissimæ Ecclesiæ dolis, fraudibus, cædibus, seditionibus aliisq; pessimis corruptelis infectæ & contaminatae fuerunt, quid putabimus, Episcopales alias minores Ecclesiæ perpestas fuisse? In illis dum Imperatores ipsi, Præfecti Prætorio, & Præsides provinciarum commorati sunt, vix credi potest, tantas in eorum præsentia committi potuisse nequitias. Solet enim Principis præsentia venerationem quandam subditis imprimere, & improbas molitiones vel prævenire vel disjicere. At in seditionibus illis, quæ Ecclesiam attingunt, infirmiores sunt sèpè Principis vires, quam ut illis reprimendis pares esse queant, quod Zelo Religionis & pietatis velari & concitata multitudo conscientiæ libertatem obvertere soleat. Proprium sane humani ingenii est, virtia sectari sub nomine virtutum, consiliaque mala tegere sub specie boni. Et qui bella civilia movent, bonum semper publicum prætexunt. Ita & avaritia & dominandi libido, non minima causa est, cur Episcopalis dignitas tantâ cum contentione affectetur, & religio Christiana magno cum dedecore prostituatur. Nec unquam Satanus gravius lœdit Christianam Rempublicam & Ecclesiæ salutem, quam quoties transfiguratus in angelum lucis, religionis fuso gloriosatur in publicam concordiam. Non dubito, inter istas, quas modo adduxi, Ecclesiastum Patriarchalium turbas, Diocorum, Anatolium, Timotheum Aelurum, Petrum Fullonem, & Gerontium, tam nummis, quam blanditiis circumvisisse & prehensisse populum æque ac patres, & suffragia sibi largitione devinxisse, quæ tamen nullâ re implicata, sed ab omni corruptelâ, & ab omni suspicione libera esse jusfit Ecclesia Apostolorum. Qui quidem ambitus in minoribus Ecclesiis & simplicibus Episcopatibus haud paulo frequentius exercitus fuisse videtur, quandoquidem suffragia à paucioribus ferri solita facilius emi potuerunt, nec opus tunc fuit tam operosâ ambitione. Ipso hoc seculo, quo constitutio Leonina prodiit, & fortasse paucis ante ejus editionem annis de Bituricensi Ecclesiâ conquestus est Apollinaris Sidonius lib. 7. epist. 5. quod viduata suo pontifice utriusq; professionis ordinibus ambiendi sacerdotit quoddam classicum cecinit. Et, inquit, nisi me immerito queri judicaretis dicere auderem, tam precipitis animi esse plerosq;, tamq; periculosi, ut sacrosanctam sedem dignitatemq; affectare precio oblatu non reformident: Et rem jamdudum in nundinam mitti auditionemq; potuisse, si quam paratus invenitur emptor, venditor tam desperatus inveniretur.

XXVIII. Cum itaque tam patriarchales, quam reliquæ Episcopales Ecclesiæ nundinatione hæc sacrâ admodum contaminatae essent, universal sanctione vitium istud ab sanctissimo ministerio resecare voluit Leo

390 CAP. V. *Electionem animo integro & incorrupto perfici,*
Imperator. *Siquenquam, inquit, vel in hac regia Urbe, vel in ceteris*
provinciis, quæ toto Orbe diffusæ sunt ad Episcopatūs gradum pro-vehī
DEO auctore contigerit Sc. Urbem regiam appellat Constantinopolin suam, quam & Justinianus hoc nomine dignatur in l. 1. §. 10. C. de vet. jur. encl. Constantinus verò æterno se nomine donasse ait in l. 7. C. Theod. de navicul. an quod Constantinopolin de suo nomine vocari voluerit? an quod novam Romanam dici voluerit? an quod æternum nomen, id est famam ei donaverit? Secundum istud eligendum putat Jacobus Gothofredus ad d. l. 7. Verè autem Regia Urbs dici potuit, quippe quam non tantum splendidis palatiis & ædificiis ornavit Constantinus, sed etiam infinito civium numero replevit, adeò, ut Eunapius in Sopatri vitâ scribat: *Nostrâ autem etate nec onerarie naves ex Ægypto, nec frumenti copiâ ex universâ Asiam, Syriam ac Pœnlice ac reliquis provinciis tributi nomine illata, explere vallet ac satiare temulentam populi multitudinem, quam Constantinus ceteris Urbibus vacue factis Bysantium transportavit Sc.* Et hinc meritò alma Urbs dicta fuit Justiniano in l. un. C. negoc. ne mil. lib. XII. non quidem quod speciali *ægropoli* eam ita appellari voluit Constantinus, uti putat Philostorgius lib. 2. cap. 9. sed quod plurimos alat cives & incolas, & populosisima atq; hinc inclyta sit.

XXIX. Præter regiam Urbem etiam ceteras provincias, quæ toto orbe diffusæ sunt, comprehensas hâc lege voluit Imperator. Quomodo autem id fieri potuit? cum, ut supra dixi, Leonis Imperium ad totum terrarum Orbem nunquam productum, sed limitatum fuit intra provincias ad Orientem spectantes. Explicandum verò id est per restrictionem ad limites istos, quibus Imperium Orientale contentum fuit. Quâ ratione in frequenti usu fuit Latinis, ut appellarent orbem, orbis portionem, & Imperatores hinc, se mundi Dominos dixerunt. Sed & repetita forte & in Occidentis etiam Imperio ab Anthemio promulgata fuit similis constitutio, ut adeò veluti per consensum totum, quâ patuit, Imperium Romanum, tam Orientale, quam Occidentale, Lege hâc obligatum fuerit. Easdem enim in utroque Imperio publicatas aliquando fuisse constitutiones, appareat ex l. omnes omnino 11. & l. bi qui scævi 19. cum l. seq. Cod. Theod. de heret. item ex l. clarissimos 2. & l. proximos 4. C. Th. de proxim. Comit. Disposit. maximè verò & clarissimè ex l. Montanistas 48. C. Th. de heret. Accedit, quod constitutionis hujus vis obligandi non ex simplici Legislatoris voluntate suam habeat originem, sed morale aliquod & tale quidem contineat, quod ante omnem Principis jussum ipsâ conscientiâ dictante turpem ejusmodi ambitum & prohibitum ostendit. Potuerunt ergò etiam illi, qui Leonis imperio subjecti non fuerunt, ex lectione hujus constitutionis suam excutere

con-

conscientiam, & animum suum ita instruere, ut ne quid agatur deinceps, quod legitimam impedire posit vocationem, & turpi macula eam contaminet.

XXX. Etsi autem de Episcopali tantum dignitate agat Imperator, eamque legitimam & ab omni corruptela liberam esse velit, justè tamen interpretatione hujus constitutionis extenditur ad inferiores ministerii Ecclesiastici gradus. *Gradus*, inquam, qui ita dicuntur à similitudine scalarum locorumve proclivium, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum, id est, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus. *I. 10. §. 10. ff. de gradib.* Quā ratione etiam Episcopatus gradus dicitur Leonī in hoc textu, quod gradatim ad hanc dignitatem ascendere debeat, & hæc ipsa dignitas talis gradus sit, ex quo altius ascendit ad dignitatem metropoliticam & patriarchalem. Promotiones enim per saltum prohibent canones, nec volunt sacros ordines aliter, nisi per intervalla, conferri. Quin ipse etiam Justinianus novell. 6. cap. 1. gradatim fieri ad Episcopatum debere ad censum voluit: *Neg. enim, inquit, idiota, ex iis qui vocantur Laici existens, ita mox ad Episcopatum ascendat: nec imaginariam suscipiat ordinationem, tanquam modo quidem idiota, mox autem clericus, deinde parvum aliquid tempus præteriens, Episcopus adpareat.* Ex eadē Justiniani novellā constat, non sine fundamento ad inferiores etiam ministerii Ecclesiastici gradus per interpretationem extendi dispositionem constitutionis Leoninæ. Sic enim dicitur ibidem cap. 4. Literas ignorantes omnino nolumus neq; unum ordinem suscipere, clericorum videlicet presbyterorum, & diaconorum, tam sacras orationes docentium, quam Ecclesiarum & canonum legentium libros: ordinationem sine querela & inculpabilem, & sine aliquâ contradictione & datione pecuniarium aut rerum suscipientes. Solorum autem Episcopatum mentionem facit Imperator ideo, quod gravius in illis adpetendis peccat, & inordinata eorum cupiditas magis in oculos incurrat. Omne enim vitium tanto conspectius est in se, quanto major, qui peccat, habetur.

XXXI. Ceterū recte *DEO audi* adscribit Imperator collationem Episcopatus, quandoquidem, ut alibi exposui, sacra hæc officia à DEO immediate proveniunt, nec quicquam hic conferunt eligentes, nisi quod DEUS illis utatur, veluti instrumentis ad designandam personam Episcopatui aptam, & hanc ipsam designationem ita dirigit DEUS, ut aut influat ipse & concurrat, si justè aut legitimè procedatur, aut permittat, si suffragia corrupta sint & inquinata. Ut enim, quæ cum pietate & justitia instituitur electio, DEUM ipsum autorem & consultorem habet: ita referri ad ejus autoritatem nequit, quæ perperam suscipitur & animis minime sinceris. Atq; ita distinguunt qui cum Gennadio Patriarchâ Constantinopolitano epistolam encyclicam ex Synodo conscriperunt: *Ut cum para*

*S*absq; ultā cūponatione, eorum qui ordinantur, renunciatio ab Antīstitibus fāta fuerit, grātia sancti Spiritū supernē veniat. Quib; nescio, an per pecuniam promotionem facientibus, *&* manu non purē operante ad eum, qui promovetur, accedit, secundum vōcēm Evangelii, *&* non potius contrahitur grātia sancti Spiritū.

XXXII. Ut igitur DEO auctore promotio ad Episcopatum fiat, requirit Imperator, ut *puris hominum mentibus, nuda electionis conscientia sincero omnium iudicio proferatur*. *Puras mentes* exigit, hoc est ab omni præsumptione & affectu liberas. Purum enim dicitur, cui nihil admixtum est, nihil superadditum. Estque vocabulum id valde frequens in Jurisconsultorum Scholis, quibus pura charta dicitur charta non scripta: pura lanx, quæ cœlata non est: pura obligatio, quæ neque diem neque conditionem habet: pura substantia, à quā deductum est *ex* alienum: purum iudicium, cui nulla addita est exceptio: purus honor, qui est extra administrationem: purus locus, cui nihil est inædificatum. Sic & apud Scriptores historiæ Augustæ leguntur *pure linea*, quæ nil intextum habent, apud Vopiscum: *pura vexilla* apud eundem: *pura mantelia*, apud Spartanum: *pura scuta*, apud Virgilium: *pura toga*, apud Ciceronem & alios. Pariter ergo puræ hominum mentes in promotionibus Episcoporum sunt, quibus nihil aliunde additum est, quod eas contaminet, quæ ab omni labe avaritiæ, ab omnibus fôrdibus, ab omni deniq; pravo affectu, sive odium is fuerit, sive favor nimius, vacuæ sunt. *Nudam electionis conscientiam* admittit Imperator, h.e. solam notitiam, actum talem nunc institui, ut eligatur Episcopus, & electionem hinc fieri debere sine præjudicio, sine aliquâ præsumptione, sine suffragio domi constituto & promisso, sine præconceptâ aliquâ sententiâ & ut ille, qui elit, hoc tantum sciatis, quis & qualis sit ille, de quo eligendo agitur. Ideo enim addit Imperator, *sincerum* debere esse omnium iudicium, h.e. ab omni squalore & impuritate defæcatum, ut solet esse mel, quod sine cerâ est. Sincerè autem agit ille, qui nihil occultat, nihil dissimulat, nihil alteri indulget, genuinè & sine fraude negocium curat. Ex his vero verbis, quia generalia sunt, rectè colligitur, non *φιλαργυρία* tantum & pecuniæ interventionem prohibitam esse ab Imperatore, sed omne in universum hominis factum, quod quoquo modo contaminare & vitiosam reddere queat electionem.

XXXIII. Dehinc verò descendit Imperator in specie ad nundinacionem istam, quâ suffragiorum celebratur emptio & venditio. Ut hæc, quæ deinceps sequuntur, percipi queant rectius, juvat ipsum vitium, quâ occasione coepit, & in quo consistat, penitus intueri. Quâ occasione id primum irrepserit, intelligi poterit ex verbis Petri Svavis in *bij. Concil. Trid.*

Trid. lib. 6. quæ non pigebit hic adscribere. Tertii, inquit, articuli proponendi
hęc fuit occasio, quod præceptum Christi de gratiis spiritualibus liberali manu ac
gratis donandis, sicut gratis fuerunt acceptae, in conferendis ordinibus diversimode
violaretur. Neque recens erat hic abusus, sed seculis anteactis magis invaluerat.
Etenim in Christiane religionis cunabulis abundante charitate, populus, qui à
Christi ministris spiritualia accipiebat, non modo juxta DEI præceptum à D. Paulo
explicatum paria faciebat, quæ ad victimum necessaria essent, supeditando, sed adeò
copiosè ministrando, ut ad pauperes sublevandos etiam superesset: Sic tamen ut
nullius subiret mentem ea cogitatio, temporale quod dabatur, pretium esse doni
spiritualis. Sed postquam temporale, quod in communi asservabatur & posside-
batur, cœptum est dividi, & redditus certus, appellatione beneficii, titulis appli-
cari, cum bucusq; distincti non esset ordinatio à collatione tituli, ac proinde bene-
ficii titulo annexi, sed una darentur & acciperentur, tunc primum visum est ordi-
natoribus propter emolumenta, quæ ordinatis inde proveniunt, præter spirituale
etiam temporale aliquid dari, cuius intuitu in remunerationem temporale quid-
dam sumi possit. Cui verò propositum erat beneficium impetrare, is se se ad vo-
luntatem dantis accommodare necesse habebat. Inde secuta negotiatio aperta,
qua in Orientali Ecclesiā ne multis quidem canonibus ac censuris emendari unquam
potuit, utcunq; præpotens DEI manus emolumentorum magna parte Saracenorum
flagello sublata, eam valde imminuerit &c. Indescil. nata est immensa illa &
infinita πλεονέξια; nec enim profecto, si annexi non essent beneficiis Ec-
clesiasticis opimi isti redditus, existeret facilè quisquam, qui illa ad pateretur.
Inde vero factum porro, ut sicut primis Ecclesiæ temporibus, personæ, quæ
Ecclesiæ necessitatibus inservirent, eligebantur: sic decursu temporis gradus
dignitatis, sive emolumentum potius, personæ qualitati fuerint adaptata.
Privilegia, territoria, redditus amplissimi, dignitates & honores penè di-
vini, & tot hominum devota subjectio, quibus superbiebant Episcopi, ap-
petitum Ecclesiasticon sic exacuere, ut dies noctesq; in illud unum in-
cumberent, quomodo ad culmen istius dignitatis adscendere liceret. Salsè
istos tales perstringit Bernhardus Abbas Claravallensis in declam. super
illud: *Ecce nos reliquimus &c.* Festina multiplicare præbendas, inde ad Archi-
diaconatum evola, demum adspira ad Episcopatum, ne ibi quidem requiem habitu-
rus, quia sic itur ad astra. Quò progrederis miser? Quamdiu enim Ecclesiæ
ministeria suam primævam retinuere simplicitatem, spreta à Magnatibus
jacuere, non ea obierunt nisi qui Zelo DEI in animarum salute curanda du-
cebantur; postquam verò splendidis palatiis, patrimonio admodum opimo, pompa mundanâ quasi coruscabant, quisque ea prensabat, non tam ut
gregem curaret, quam ut haberet, unde luxuriaretur, unde ditesceret.

XXXIV. Crimen ipsum, de quo agendum nobis est, communiter
dici solet Simonia, à Simone Mago, qui primus in N. T. scelus hoc admi-

Ddd

fit.

fit. *aut. VIII, 18. seq.* quando nempe quis interius propositum habet, atque voluntatem deliberatam, vendendi, vel emendi rem aliquam spiritualem vel annexam spirituali. Spiritualium rerum plurimas faciunt species Canonistæ, ut videre licet apud Guilielmum Redoanum *de Simonia* part. 1. cap. 4. quæ tamen fere ad hæc summa capita redigi possunt; quod aut propriè & essentialiter sint spirituales, ut est gratia DEI, virtutes divinæ &c. aut causaliter sive instrumentaliter, ut sunt Sacra menta, quæ quasi vehiculum sunt gratiæ divinæ. Sed & illæ, quæ annexæ sunt spiritualibus, diversimodè se habent. Cùm enim temporalitatem quandam, ut loquuntur, in se contineant, observare licet, in quibusdam temporalitatē, in aliis verò spiritualitatē prævalere. Sufficit verò ex eorum sententiâ, temporale quod inest, ad spirituale ordinatum esse. Quapropter, et si quis redditus, qui ministerio Ecclesiastico annexi sunt, principaliter adpetat, & propter redditus istos, non propter ministerium ipsum, suffragatori suo aliquid det; quia tamen redditus isti ad ministerium destinati sunt, eique ita conjuncti, ut sine hoc nulli concedantur, ministerium autem in prædicatione verbi, remissione peccatorum, & aliis rebus spiritualibus consistat, facile hinc colligitur, id, quod ita propter impetrationem redditum datur, ad ipsas res spirituales, quæ per ministerium Ecclesiasticum expediuntur, porrigi, & sic eas per indirectum vendi.

XXXV. Cùm verò ex munere dato vel promisso Simoniam æstiment Canonistæ, munus istud triplex faciunt, & hinc triplicem etiam Simoniam. Nempe, qui spiritualia tribuit, debet ex præscripto divino manus suas ab omni munere puras habere. Id verò tūm demum fieri intelligitur, quando pro divinis rebus non solum pecunia nulla, sed nec humanum obsequium, aut gratia nulla offertur aut accipitur. Aliud igitur munus eis dicitur esse à manu, aliud à lingua, aliud ab obsequio. Sub munere à manu intelligi volunt pecuniam, & sub hâc, omnes res temporales precio æstimabiles, etiam remissionem debiti. Sub munere à lingua comprehendunt laudem, vituperium alterius competitoris, patrocinium advocati, intercessionem & commendationem apud Principem, si talia promissa aut petita fuerint. Sub munere ab obsequio contineri dicunt, si ministerium aliquod in rebus temporalibus præstetur, imò etiam si convenit, ut præstetur in spiritualibus. Fieri tamen potest, ut omnes istiusmodi species, saltem interpretativè, ut loquuntur, concurrant. Sic enim explicavit Goffridus Abbas Vindocinensis promissiones, quas pro consecratione sub nomine professionis Abbates facere solebant Episcopis, in speciali de istis tractatu. Sunt, inquit, quidam Episcopi, qui pro benedictionibus Abbatum sub nomine professionis ab eis exigunt, quod est Christianæ professioni valde contrarium. — Ita neque veritate neque auctoritate inventa, sed consuetudine & hominum cupi-

cupiditate reperta triplici genere Simonie contra sanctam Ecclesiam jaculatur, quoniam Simonia à lingua, Simonia à manu, Simonia ab obsequio ibi committitur. Est à lingua, cum publicè recitatur illa promissio. Fit à manu, quando charta, quā continetur scripta ponitur super altare. Fit ab obsequio, cum ipsum male promissum subjectionis obsequium servatur &c.

XXXVI. Et sic quidem ratione objecti Simonia distingui solet. Ratione modi dividitur porrò, quod alia sit realis, alia conventionalis, & alia mentalis. Primam describunt, quod sit collatio & acceptio spiritualium non gratuita. Secunda solā absolvitur conventione nullā adhuc fecutā aut interveniente rei traditione. Sic enim statuunt, Simoniam committi non solum recipiendo actualiter temporale pro spirituali, sed etiam recipiendo solum obligationem temporalitatis. Quanquam fint inter hodier nos morum informatores, qui statuunt, conventionalem Simoniam nudam, sive promisionem absque animo tradendi vel se obligandi ad rem ipsam tradendam, non esse verē Simoniam, sed fictam tantum. Quā subtilitate ultra Simoniam mente conceptam & conventione mutuā adprobata, etiam decipere licebit alterū, & sic cumulare delicta, ne verē Simoniae crimen incurritur. Hinc autem sequitur, quod etiam disertis verbis statuunt nonnulli, tertiam speciem, quā mentalis Simonia dicitur, non esse propriè Simoniam jure Ecclesiastico prohibitam, quanquam negare nolint, esse peccatum in DEUM. Quibus id tantum concedi poterit, quod non posit puniri ejusmodi species in foro externo, cùm in hoc cogitationis pœnam nemo patiatur. Et propterea sufficit, eam expiari per pœnitentiam coram DEO, c. 34. & c. ult. X. de Simon.

XXXVII. Quibus ita expositis audiamus nunc Imperatorem porrò: *Nemo, inquit, gradum Sacerdotii precii venalitate mercetur: quantum quisq; mereatur, non quantum dare sufficiat, æstimetur.* Describit Simoniam, eamque non prohibet tantum, sed etiam, ut eō fortius excludat, contraria præcipit virtutem. *Pretii venalitate gradum Sacerdotii mercari, nihil aliud est, quā emere rem spiritualem aut spirituali annum.* Nec tamen vel emptionis vel precii vocabulum tam strictè accipendum est, ut præter emptionis & venditionis contractum reliquos circa sacerdotium impetrandum licitos esse putemus, ac si Simonia tantum per emptionem & venditionem committatur. Cūm utique Sacerdotium plane sit extra commercium, nec adeò objectum emptionis venditionis & cujuscunq; alterius contractus habile. Et quanquam statuant JCTi in proprietate vocabulorum tenacissimi, emptionis verbo non contineri omnes contractus, per quos fit alienatio; largiuntur tamen, & admittunt exceptionem, si mens loquentis aliud ivadeat. Quo casu emptionis vocabulum

396 CAP. V. *Electionem animo integro & incorrupto perfici,*

latius interpretantur, uti videre licet in l. 29. §. 1. ff. ac plauib. l. 23. §. 1. ff.
de liberali cauf. l. 8. §. 11. ff. quib. mod. pign. solv. Simili modo mercandi vo-
cabulo utuntur Latini, quod suā naturā idem quod emere significat, & ne-
scio annon magis proprium sit & commodius ad eam alienationem, quæ
precio fit, inquit Franciscus Connarus lib. 7. comment. cap. 6. n. 1. Sed &
ex aliis bonis autoribus constat, emptionis vocabulum largius quandoque
sumi, neque precium propriè ita dictum semper exigere. Quo significatu
dixit Virgilius lib. 9. *Aeneid.* & *istum qui vitâ bene credat emi, quò tendis hono-*
rem. Et Plautus in *asinar.* act. 1. scen. 1. Et beneficiis me emere gnatum suum
fibi. Sic & *precii* vocabulum extra emptionis contractum sàpè numero
usurpatur, uti videri potest in l. 28. §. 1. ff. locat. l. 10. §. f. de acq. vel am. poss.
l. ult. §. ult. ff. de L. Rhod. de jact. l. 52. §. 2. ff. pro soc. l. f. §. ult. ff. de injur.
Quo significatu usus etiam & Livius lib. 52. aut satis *dignum tanti laboris*
periculiq[ue] precium erat. Et Vopiscus in *Aurel.* Debet enim quid præter digni-
tatem precium esse meritorum &c. Sub crassiore igitur specie, quâ per pe-
cuniā numeratam sacerdotia comparantur, quæque tum temporis forte
frequentissima fuit, prohibere voluit Imperator reliquas species omnes,
quibus pollui & contaminari potuit electionis & promotionis actus.

XXXVIII. Et ne quis putet, ad solum Episcopatum restringi hoc cri-
men debere, neque committi alias, nisi quando aliquis ad Episcopalem se-
dem promoveri cupit, Imperator quasi per digressionem aliquam, (cum
de Episcopatu & incipiat & finiat constitutio,) de *Sacerdotio* in genere
verba facere instituit. Etsi enim non negem, Sacerdotis vocabulum in
constitutionibus Imperatorum sàpè non aliis, quam Episcopis tribui, pro-
ut latius alias explicavi; Hic tamen sacerdotium non adeò strictè accipi
debere, ipsa dispositio & contextus series in verbis sequentibus ostendit.
Veneranda enim DEI templa & pecuniis expugnantur: murus integri-
tatis & vallum fidei &que destruitur & veneranda penetralia violantur:
sanctitas incorrupta &que corruptitur; altaribus &que imminent profanus
ardor avaritiae, si reliqui Ecclesiæ ministri, qui altari inserviunt, per cor-
rupta suffragia eliguntur, atque si Episcopus promovendus fuerit. Est
vero hoc solenne admodum & valde usitatum in canonibus conciliorum,
ut presbyteri & Episcopi indistinctè Sacerdotes vocentur, & Levitis atque
ministris immediate opponantur. Ipso hoc seculo V. quo Constitutio hæc
promulgata fuit, anno CCCXLVI. in Concilio Turonensi I. c. 1. & 2. Sa-
cerdotes & ministri, itemque Sacerdotes & Levitæ h. e. diaconi, leofsim
ponuntur. Plura alia exempla magno studio colligit David Blondelius
apol. de Episc. & presb. sett. 3. pag. 135. Quocirca, non obstante, quod de
Episcoporum electione specialiter agat Imperator, dubium mihi non est,
voluisse eum suo inservire scopo, & de aliis etiam Ecclesiæ ministeriis inci-
denter

denter commemorare, quanta in illis turpitudo committatur, ut hâc ratione, quæ circa Episcopatum committitur, nundinatio propudiosa magis & magis flagitiosa adpareret.

XXXIX. Postquam ita perversum officiorum Ecclesiasticorum mercaturam prohibitam esse voluit, mox addit, quâ ratione electio Episcopi fieri debeat, ne crimine isto polluatur, eamque describit non per assertiōnem tantum, quid observari in eâ debeat, sed etiam per exclusionem ejus, quod abesse debet, & à quo caveri oporteat. *Quantum quisq; mereatur,* inquit, *non quantum dare sufficiat, æstimetur.* Tacitè perstringit mores seculi, quos ad sua usque tempora productos eleganter describit Nicolaus de Clemangiis. *tr. de presul. Simoniac.* Optat quis præbendam, aut præposituram, aliumve gradum dignitatis? nihil refert, cujus meriti, vita aut conversationis existat, sed quantum ipse suâ nummorum servat in arcâ, tantum licet fibi sphei in votorum affectione concipere. Nam quid de pauperibus loqui necesse est, qui ad omnia prorsus inutiles, nec ullo digni regimine existimantur, nisi ut abjecti, & despicabiles in suis jugiter eruminis tabescant? Quid vacuo pauper marsupio ad nundinas eat, qui nihil habet, unde merces emat? Et tamen constat beneficia Ecclesiastica propter pauperes potissimum beneque meritos homines instituta, non propter divites aut pecuniosos, sed nostra aurea tempora nihil nisi aurum situnt, cuncta auro atq; argento metiuntur. Aurea dixerim non moribus, sicut Poëte sub Saturno fabulantur, sed auri quomodo libet extorquendi immanissimis, insanissimis, inexplicabilissimis ardoribus. Non potuisset quid dici magis conveniens verbis Imperatoris, qui, ut corrigeret mores seculi sui, non marsupium & facultates ejus aut fortunas attendi voluit, qui ad Episcopatum evehi debet, sed merita; non ea tamen, quæ ex liberalitate aut beneficentiâ proveniunt, quæque ita in Simoniam incident, sed quæ habilitatem & capacitatem Candidati indicant, quâ le dignum ostendit ad munus Ecclesiasticum. Ista habilitas & dignitas unde & quâ ratione æstimari debeat, repetere hic nostrum non fert institutum, neque id exigit Constitutio Imperatoria.

XL. Quæ deinceps sequuntur verba, ab Oratore magis, quam ab Legislatore profecta videntur. Tam copiosè enim, nec propriè, sed per figuram rhetoricam de criminis Simoniae differit Imperator, ut dubitem, ad palatum id fieri eorum, qui brevitatem & perspicuitatem inter virtutes legis referunt. Sed opus tamen fuit istâ *πιακούλησις*, ut detestabile & execrandum magis redderetur, quod frequens admodum tûm temporis erat, flagitium istud. Inde enim propter atrocitatem *piaculare* id appellat, hoc est quod per expiationem tollere oportet, quod tota posteritas lucere solet, ut credebant veteres, donec esset expiatum. Sic apud Herodotum lib. 6. *επι τῷ ἀγρῷ εἰνέχεσθαι*, id est, piaculari crimen teneri: & hinc *πιακούλησις*, detestandi &

execrables. Sic & piacularia tristia dicebantur, per quæ malum fieri opinabantur. Et piacularia auspicia, quæ sacrificantibus tristia portendebant, cum aut hostia ab arâ profugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam partem corporis quam oporteret, cecidisset. Est ea vox ex Gentilium superstitione translata. Piaculum enim admittere, aut contrahere dicebatur, qui violaret religionem. Piando quippe sceleri sacrificium præstare, qui violasset, cogebatur jure Pontificali, quod & ipsum sacrificium piaculum dictumpercâ præcidaneâ fiebat, piaculo scilicet avertendo & expiando. Id vocabulum Imperatores in Constitutionibus suis usurparunt ad denotandam atrocitatem delicti. Si quis e. g. infanticidium commiserit, l. 8. C. ad L. Cornel. de siccari. aut sepulchrum violaverit, quod proximum sacrilegio dicitur, l. 5. C. de sepulchr. viol. aut baptismum iteraverit, l. 2. C. ne sanct. baptism. iteret. Et sic etiam piacularia flagitium committere, dicitur ille, qui sacrum ministerium precio emerit.

XLI. Cæterum quia tam verecunda est metaphora ab Imperatore usurpata, ut optimè rei, de quâ agit, conveniat, nec terminos similitudinis egrediatur, lequemur eum ξ̄ πίδα, & infistemus ulteriori expositioni. Profetò enim, inquit, quis locus tutus, & quæ causa esse poterit excusata, si veneranda DEI templa pecuniis expugnentur? Figuratâ interrogatio-
ne utitur, & dum rectâ oratione uti poterat, sermonem inflectit, ad magis asseverandum, & eo fortius imprimendam foeditatem criminis, nullum inferens locum tutum esse, nec ullam excusatam esse causam, si ita, ut fieri haec tenus consuevit, procedatur in electione Sacerdotum. Præmittit ad exaggerandam rei turpitudinem, jurantis aut saltem asseverantis vocem, profetò, quæ interdum idem denotat, quod δηλονό̄, δηλαδή, haud dubiè, omnino &c. ut dubitare amplius de assertione suâ non liceat. Deducit autem metaphoram ex similitudine, quam habet sanctitas religionis & cultus divinus cum castello & fortalitio bene munito, ita, ut comparari hinc possit ministerium Ecclesiasticum cum milite præsidario. Quemadmodum igitur non vi semper externâ opus est ad occupanda castella, sed judice Philippo Rege expugnari ea omnia possunt, in quæ modo asellus onustus auro potest adscendere: ita etiam sanctitatem religionis & ministerii Ecclesiastici expugnari posse existimat Imperator pecuniis. Expugnare videtur navem, inquit Ulpianus l. 3. §. 1. ff. de incend. qui in ipso quasi prœlio & pugna adversus navem & ratem aliquid rapit, sive expugnet, sive prædonibus expugnantibus rapiat. Et l. 6. ff. eod. expugnata navis dicatur, cum spoliatur, aut mergitur, aut disolvitur, aut pertunditur, aut funes ejus præciduntur, aut vela conciduntur, aut ancoræ involantur de mare. Qui omnes modi expugnandi eleganter applicari possent ad ministerii Ecclesiastici corruptio-

ruptionem, nisi breviores nos esse oporteat. Quia tamen non ille tantum navem expugnare dicitur, qui ipse expugnat, sed etiam qui prædonibus expugnantibus rapit, optimè hinc colligitur, etiam illum expugnare pecuniis tempa DEI, qui alis dantibus pecuniam in ministerium coaptatur, uti infra pluribus dicemus.

XLII. Per hanc similitudinem verò infert Imperator, tempa DEI, integritatem, fidem, & ipsam denique sanctitatem pessimè corrumpi, si flagitium istud admittatur. Singula ea elegantibus commendat elogis, dum *veneranda DEI tempa, murum integratis, vallum fidei, sanctitatem incorruptam* dicit, ut florentiorem hunc, ab expugnatione castelli peti- tum, faciat tropum. *Venerandum* dicitur, quod religionem quandam in- cutit, ut singulare cum observantiâ colarur, quomodo Concilium di- tur venerabile, baptismus venerabilis, Christiana religio venerabilis, ordo Se- natûs venerabilis, aut venerandus, Leges venerandæ, antiquitas veneran- da, urbs veneranda, veneranda Consistorii secreta, venerandum vinculum cognati languinis &c. quæ pasim inveniuntur in Constitutionibus Impe- ratorum. *Integritas & fides* veluti murus & vallum sunt, quibus sanctitas Ecclesiastica se tuetur, & quibus inconcusis ipsa quoque incorrupta manet. Sed expugnatâ per pecuniâm integritate & fide, non potest non ipsa quoque *santitas* corrumpi & violari. *Sandum* est propriè quod ab in- juriâ hominum defensum atque munitum est. l. 2. ff. de R. D. Quamdiu igitur ita munitum est, sanctum dici optimo jure potest; monumentis ve- ro expugnatis, ipsa etiam corruit sanctitas. Nec enim deficiunt hostes, quibuscum perpetuò certandum est sanctitati, inter quos tamen eminet φιλαγγυρία, quam Imperator cum Virgilio auri sacram, h. e. execrandam, famem appellat. Ea si in penetralia aut adyta & intima sanctitatis proser- pat, facile eandem prosternit, perfractâ scil. integritate, & occupato val- lo fidei, à quibus illa defendebatur.

XLIII. In his considerationibus dum versatur Imperator, argumento à minori ad majus inducit, omnem ubique deinceps perituram integrita- tem & fidem, si in Ecclesiâ execrandum istud flagitium toleretur porrò. *Profectò*, inquit, *quis locus tutus, Equa causa esse poterit excusata, si* *veneranda DEI tempa pecuniis expugnentur? quem murum integrati- tis aut vallum fidei pro videbimus, si auri sacra fames in penetralia vene- randa proserpat? quid deniq; cautum esse poterit, aut securum, si sancti- tas incorrupta corrumpatur?* A templis ad quæcunque loca alia, ab electione Episcoporum ad quascunque causas alias, ad alia quævis negotia, & uni- versas adeo hominum actiones honestas argumentandi rationem producit, nihil deinceps tam sanctum, tam solemne, tam religiosum, tam honestum,

tam

tam rectum extitum, quod periculo corruptionis non sit obnoxium. Argumenti vim optimè declarat Nicolaus de Clemangiis loco supra citato. Longè, inquit, graviora sunt Pastorum quam ovinularum delicta, primum quidem, quia nullam possunt simplicitatis excusationem, nullum justum ignorantiae pretendere velamentum. Deinde quia in hoc positi sunt, ut oves errantes corrigant, non ut illis per sua vitia errandi exempla prebeat. Postremo, quia dum pastor per abrupta queq; graditur vitorum, totus grex in precipitum illum imitari cupiens, qui sibi pro exemplari est, delabitur, ac per hoc Pastorum crimina non modo personalia sunt, sed in ipsum totum ovile referuntur, nec simplicia peccata sunt, sed in subditorum animis plerumq; heres generant, unoquoq; existimante id rectum ac licitum esse, quod suum cognoverit Pastorem actitare, quem sibi pro regula vita & pro formâ recte agendi datum arbitratur &c.

XLIV. Omissò tandem Rhetorico dicendi genere, quippe quod in metaphoris adhibendis tūm demum delectat, si modicus earum fuerit usus, redit Imperator ad proprium & genuinum legis ferendæ stylum, ita tamen, ut figurato nihilominus utatur sermone, sed intellectui cuiusque obvio & explicato. Cesset, inquit, altaribus imminere profanus ardor avaritiae, & a sacrificiis adytis repellatur piaculare flagitium. Verba imperantis sunt, & omnino Legislatoris. Flagitium vocat, verbo quidem generali, quippe quod pro quovis delicto & criminе usurpari solet, uti docet Tiberius Decianus tr. Crim. lib. 1. c. 13. Sed ad præsentem materiam valde accommodato. Flagitare enim, à quo vocabulum hoc deduci volunt, propriè est vehementer & veluti quādam inflammatione animi petere. Quod omnino quadrat ad descriptionem avaritiae, quam in profano ardore confistere dicit Imperator. Flagrans enim & non intermoritur ex tali cupiditate in animo hominis accenditur ignis, quem eleganter explicat Eusebius apud Joh. Stobæum serm. 53. Avaritiam inquit quotidiè confluentes divitiae non suffunt, ut neq; struem ardentem injecta materia. Quin accedentes semper opes ad maiorem cupiditatem animum magis accendant. Sola verò mens si præsens fuerit, huic quoq; vitio mederi potest. Ignis hic calore suo exitiabilem famem excitat, quæ nullâ ratione expleri potest. Avarum enim irritat non satiat pecunia, uti loquitur Publius Syrus in sententiis, ideò scil. quod ardor ille perpetuus est, nec semel conceptus extingui facile potest. Fervorem vocat Poëta, dum ait: Fervet avaritia miseraq; cupidine pectus. Et hinc recte statuit Sallustius in Catilin. avaritiam infinitam & insatiabilem esse, neque copiâ neque inopiam minui. Ardorem istum profanum vocat Imperator, adposito & valde accommodato vocabulo. Trebatius enim profanum id propriè dici tradidit, quod ex religioso vel sacro in hominum usum proprietatemve conversum est. Macrobius autem lib. 3. cap. 3. omnes penè in id consentire scri-

scribit, profanum esse, quod extra fanaticam causam sit, quasi procul à fano & religione secretum. Profanus igitur jure dicitur ardor ille avaritiae, qui ex rebus, quae non sunt in commercio, turpisimam instituit nundinatorem & officia Ecclesiastica venalitati subjicit.

XLV. Dixerat Leo, veneranda DEI templa non esse pecuniis expugnanda; nunc verò in verbis dispositivis partium principaliorum facit mentionem, altarium nempe & adytorum, ut eò melius percipi posset, quid per penetralia & sanctitatem intellectum voluerit. *Cesset, inquit, altaribus imminere profanus ardor avaritiae Ex a sacris adytis repellatur pia- culare flagitium.* In *altaribus* nempe sanctitas exuberare debet, quod in iis dispensari soleant Christi pro nobis traditi sacramenta. *Quid est enim al- tare,* inquit, Optatus Milevitanus *adv. Parmen. lib. 6. nisi sedes Et corporis Et sanguinis Christi?* Potissima scilicet ministerii Ecclesiastici pars in altaribus absolvitur, ex quorum gradibus etiam conciones olim ab Episcopis ad populum habebantur, uti alibi dicendum erit. Insuper etiam, quod proximè huc facit, consecrationes sive ordinationes in altaribus sive ad altaria fiebant, uti patet ex *can. 9. Concil. Toletani XI.* Et hinc accommodatè dixit Imperator, altaribus imminere ardorem avaritiae, sicubi propter ordinacionem datum aliiquid & acceptum fuerit. Imò verò ipsum altare, & totum, quod in eo peragitur, ministerium atque officium Ecclesiasticum vendi videtur, sicubi propter electionem aut ordinationem accipiat pecunia. *Adyta* autem sunt ipsa illa penetralia, de quibus antea dixit. Adytum enim, uti Servius ad Virgilii *Aeneid. 2.* exponit, est locus templi secretus, ad quem nulli est aditus, nisi Sacerdoti.

XLVI. Ut verò de vocabuli hujus in Ecclesiâ Christianâ usu accuratior habeatur notitia, notandum est, in templo Constantinopolitano remotissimum à primo introitu & sacerdimum locum fuisse *βῆμα* appellatum. *can. Laodicen. 56.* quod sacrarium reddidit in versione suâ Dionysius Exiguus *ibid.* Appellatur autem etiam *θυσιαῖς εὐρ.* aliquando, hoc est altare, à potiore suâ parte, quæ in illo continebatur, cum utique latius multo sit *βῆμα*, quam *θυσιαῖς εὐρ.* Aliquando etiam dicitur *ἱεράτειον*, & à Theodoro Ballamone *ad can. 69. Synodi in Trullo habite θεῖον ἀδυτον*, itemque à Nicephoro Callisto *l. 12. bish. c. 41.* simpliciter *τὰ ἀδυτα*, sive loca inaccessa. Ratio denominandi petenda est ex usu & consuetudine Ecclesiæ veteris. Uti enim ex collatione canonum Concilii Laodicensis *19. Braca- rensis can. 31. Toletani IV, can. 17.* tum & Theodoriti *lib. 5. bish. cap. 18.* constat, triplex fuit locorum in Ecclesiâ differentia & distinctio. In primâ & præcipuâ parte erat altare, quod cancellis clausum erat, & Sancta Sanctorum dicitur *c. 1. 12. de vit. Et honest. Cler.* In hunc locum neque mu-

Eee lieri-

402 CAP. V. *Electionem animo integro & incorrupto perfici,*
lieribus, neque Laico cuiquam, nec Imperatori quidem, nulli quando munus suum oblaturus erat, ingredi licebat. can. 44. concil. Laodic. can. 69. Concilii Trullan. In alterâ parte post cancellos chorus & presbyterium solis clericis patebat, uti colligitur ex dicto Theodoriti loco, tum & can. Apost. 57. lib. 2. quanquam ἡρωαὶ εἰον five altare, generaliter acceptum etiam hunc locum simul comprehendat, uti patet ex l. 4. Cod. Theodos. de bis qui ad Eccles. confug. In tertîâ parte Laici omnes confidebant, nec ad altare etiam communicandi causa admittebantur, excepto solo Imperatore, dum offerebat. Dum igitur altaria & adyta in diversis propositionibus conjungit Imperator, ἐγνησθε unum idemque exprimere voluisse videtur, sed ita, ut αἱ πόλεις simul aliquam eleganter committat, hoc sensu: Non debet imminere altaribus hoc flagitium, & si immineat, debet repellere. Primum illud hostem eminus consistentem ab insultu prohibet; alterum hoc insultantem fugat & protelat.

XLVII. Pergit Imperator: *Ita q̄ castus & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus: ut quocunq; locorum per venerit, omnia vita proprie integritate purificet.* Castum vult esse Episcopum, non in specie tantum significatu, quatenus castus dicitur ille, qui libidinis & estum temperat; sed etiam, ut omni aliâ culpâ vacet. Sic enim casti vocabulum accipit Plautus in Poen. act. V, 4. Eo sumus gnatæ genere, ut deceat nos esse à culpâ castas. Et hinc etiam castæ preces dicuntur, l. 7. C. Theod. de pagan. it. Nicænæ fidei casta sacerdotia, l. 3. C. Th. de fid. catbol. Et hinc etiam castitas sordibus & avaritiæ opponitur, non apud Ciceronem tantum in orat. pro L. Manili, sed etiam in Codice Justinianeo, l. un. publ. letit. lib. XII. Et sic etiam usurpat auctor subditus Notit. Imp. cap. 4. Si provinciæ casti & integratæ cupidi moderentur &c. Humilis insuper jubetur eligi Episcopum, hoc est, modestus, qui non quidem negligit aut intermitit actiones tales, quæ honore dignæ sunt, honorem tamen ipsum non affectat, nec magni facit, sed in propriæ excellentiæ oblitione & contemptu, tum & probo donorum ac bonorum usu perpetuò se exercet. Quæ theologica virtus heroica quædam modestia est. Ideoque humilis hic dicitur ex virtute, non ex statu & genere vitæ, uti vocabulum hoc accipitur in l. 6. §. 1. ff. de edend l. 7. C. de incest. nupt. l. 1. C. de nat. lib. l. 2. C. Th. de cursu publ.

XLVIII. His virtutibus & animi dotibus si instructus fuerit, qui eligitur in Episcopum, efficiet, *ut quocunq; locorum per venerit, omnia vita proprie integritate purificet.* Quod intelligi debet, non tantum de cathedrâ ipsâ Episcopali, in quam electus est, sicutib; ea ab antecessoris impunitate contaminata fuerit; sed etiam de aliis quibuscumq; locis, quo se destinato aut forte fortuna contulerit. De priore rectè colligit Gratianus dist. 40.

dist. 40. pr. variis virtutibus debere splendere vitam pontificis, ut graduī conferat decorum, quem ab eo non accepit: non enim loca, inquit, sed vita & mores sanctū faciunt sacerdotem. Inque enim sententiam producit verba Hieronymi: *Non est facile stare in loco Petri & Pauli, scilicet tenere cathedram regnantium cum Christo, quia hinc dicitur: non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.* Et Gregorii: *Nos qui presumus, non ex locorum vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus: nec urbium claritate, sed fidei puritate.* Nec captanda proinde sunt verba Symmachī, sive Ennodii potius, qui fuit Diaconus Symmachī, allegata eidem Gratiano d. dist. 40. c. 2. dum ait: *Quis enim sanctum dubitet esse, quem apex tanta dignitatis attollit? In quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt, que a loci predecessore prestantur, aut enim claros ad haec flagitia erigit, aut qui eriguntur, illustrat.* In verbis enim antecedentibus satis explicat mentem suam, quos intellec̄tos velit, illos scilicet, quos par conversationis splendor illuminat.

XLIX. Posteriorius quod attinet, longā experientiā comprobatum fuit, vita sanctitate & exemplo plus potuisse Episcopos, quam doctrinā & repetitā ad nonitione. Virtute enim nihil amabilius, quæ sic omnium animos ad se pellicit, ut nulla incantatio posit efficacius. *Vita jubeat,* inquit Athanasius ad Monachos, lingua persuadeat. Et Bernardus: *Efficacius est vita quam lingue testimonium. Dabis voci tue vocem virtutis, si quod svades, prius tibi illud cognoveris persuasisse.* Quod si igitur sacerdotium corruptum est, omnium fides & virtus marcida erit. Quemadmodum enim si sordida erit manus, quæ alienas labes abstergere conatur, taeta quæque deterius inquinat: sic pastores, qui nequissimorum maculas diluere volunt, ipsi interim impuri, eos foedant & contaminant magis. E contrario vero, si quis purus erit & sanctus, animumq; suum ab omni non modo facinore, verum etiam minimi errati suspicione remotissimum custodiverit, faciet, ut veluti lumen in edito positum omnibus aliis præluceat, & non multos tantum ad sui æmulationem accendat, sed etiam, si qui jam vitiis toti immersi fuerint, ut illi, ubi præsentem eum habuerint, verecundiā deterriti, ad frugem applicent animum, & virtute culpam corrigere atque flagitii memoriam novâ gloriâ abolere studeant. Hac ratione et si in popinas ganeasq; & lupanaria inscius venerit, aut invitus trahatur Episcopus, suâ tamen vita integritate purificabit eadem, & faciet, ut loca ista à turpitudine suâ multum remittant, & eum, quoad præsens fuerit, metuant, atque revereantur. Planè ut Ambrofius, cum Episcopatum Mediolanensem, ad quem poscebat, refugeret, impudicas mulieres ad se publicè ingredi faciebat, nec tamen eorum conversatione contaminabatur, uti refert l'aulinus presbyter in ejus vit.

L. Quæ sequuntur verba in constitutione Leonis, propter variantem lectionem diversam pariunt interpretationem. Vulgo hoc inveniuntur con-

Eee 2

textu:

textu: *Nec precio, sed precibus ordinetur antistes.* Sed Jacobus Russardus in editione sua monet, alibi sic legi: *Non precio, nec precibus ordinetur Antistes, quam lectionem ipse etiam probat, non improbatâ tamen alterâ priore, & adeo putat, utramq; ferri posse. Nam, inquit, electuri Episcopum DEUM preabantur, ut accommodatissimum & dignissimum eligere possent. Itaq; his precibus ordinari antistitem non est absurdum, & recte legitur. Sed interdum quoq; bonum potentium propinquorum aut amicorum precibus eligeatur Episcopus, quod recte prohibetur, & tum legendum fuerit: nec.* Volut utiq; Imperator per ~~magno~~ aliquam ex vocabulo preciū petitam modum electionis legitimū describere. Descriptio autem talis fieri etiam potest per remotionem, quid abesse debeat. Idq; satis subinnuit, adesse debere ejus oppositum. Sola differentiæ ratio nata fuit exinde, quod non satis constet de mente Imperatoris, quales preces intellectas voluerit, utrum eas, quæ ad DEUM ministerii autorem funduntur, an verò, quæ per modum intercessionis ab hominibus proveniunt. De utrisque potuit cogitare & legem ferre Imperator, sed ita, ut priores admitteret, posteriores excluderet. Utras autem ille in mente & intentione habuerit, nullâ conjecturâ assequi licet. Glossa lectionem vulgarē hoc modo interpretatur, ut preces accipiat de illis, quibus rogatur electus, ut munus sive officium acceptet, non quas ipse interponit, ut eligatur. Non male, cùm ipse mox Imperator de tali rogatu verba faciat, dum ait: **Rogatus recedat.** Malim tamen de ipsis precibus in ordinatione ad DEUM fulis exponere, cùm præsertim ordinationis, cuius hic facit mentionem Imperator, potissima ratio in precibus conficit. Per ordinationem enim intelligitur actio illa sacra, quâ separatur electus à reliquo populo, eiq; imponitur officium sacrum, & per preces singulariter commendatur DEO, ut gratiam ei suam impertiat, & infinitis aliis donis exornet. His igitur precibus ordinetur antistes, h.e. Episcopus, (quandoquidem hæc vocabula promiscue ultrapari solent,) non precio. Illud autem hic observare licet, utramq; & electionem & ordinationem, si precio fiat, ejusdem notæ esse apud Imperatorem, ne quis, quod in unâ prohibitum fuit, in alterâ licitum esse, sibi persuadeat. Utraq; illa vitiositate Simoniacâ carere debet, cùm utraque pertineat ad collationem officii & muneris Ecclesiastici.

LI. Ut verò eo magis ab hoc conatu, quem in Simoniæ crimen incidere dixi, candidatos ministerii Ecclesiastici revocet Imperator, utve illos doceat, quâ ratione non modo aq;imum integrum, sed animam etiam puram conservare queant, auream istam & cedro dignam constitutioni huic suæ inserit sententiam: *Tantum ab ambitu debet esse depositus, ut queratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi: profecto eum indignus est sacerdotio, nisi fuerit ordinatus in virtus.* Ut expiatet vitium, quod frequens tūm erat Stoico-

rum

rum sequitur procedendi rationem à contrario scilicet. Illi enim summa ex hominibus ut tollerent vitia, ne quidem minima admittebant, quin & cuncta volebant paria. Et ut à peccando homines abducerent, ne affectus quidem minimos permittebant, quos ad habitum virtutis ratione quādam salutari perduxerunt alii. Et quis nescit, in quamplurimis ex philosophiā Stoicā natam fuisse Jurisprudentiam nostram? Quæsitum, invitatum, rogatum, cogi, effugere & recedere, nec adeò arnuere debere electum, vult Imperator. Quod tamen ita accipiendum est, ne præfractē id fiat, & cum extremā contumaciā, sive animi obstinatione, & inflexibili pervicaciā. Alias enim, si vel maximè coactus fuerit, nunquam ille ad officium suum promptē se exhibebit, nec faciet ea, quæ munus injunctum exigit. Excusabit igitur se, & declinabit, quantum poterit, provinciam sibi delatam. Id enim indicium erit, ab omni ambitu depositum aut vacuum eum esse, nec imputari ei Simoniæ crimen posse. Dignitates enim fugientibus & non desiderantibus sunt concedendæ, quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus est. *c. in scripturis, 8. q. 1.* Et ideo Plato dicere solitus fuit vix quenquam gerendo imperio idoneum esse, nisi qui invitus & coactus hoc munus suscepit. Siquidem & procurator, qui operam suam ingerit, suspectus, nec ferendus est. *l. 25. ff. de procurat.*

LII. Ostendunt autem hæc Imperatoris verba, ab omni ambitu alienum esse debere, qui ad Episcopatum promovendus fuerit, non eo tantum, qui pecuniis dividendis olim fiebat, & omni tempore prohibitus fuit, sed etiam qui liberā Rep. Romanā licitus erat, & cujus solemnia ex Quinti Ciceronis libro de Consulatu in compendium contraxit Antonius Matthæus de criminib. tit. de ambitu cap. 1. n. 2. Licitum scil. tūm erat suo quemque salutare nomine, animi sui desideria explicare, astidū petere, sāpē eosdem appellare, frontem vultum, & sermonem ad eorum, quos cunque conveniret, sensum & voluntatem commutare, non committere, ut quisquam se contemptum queri posset, congiaria etiam & prandia dare, populique studia omni conatu conciliare. Itas circuitiones ita describit Claudio Mamertus præf. Viennensis: *Quis ignorat, tunc quoq; cum bonores populi Rom. suffragiis mandabantur, multos fuisse Candidatorum labores, ediscenda omnium nomina Tribulum, homines singuli salutandi, præbensanda obviorum manus, omnibus arridendum, multaq; alia propter bonorem adipiscendum agenda, quæ alias Virum honore dignum facere non liceret.* Sed nihil tale licet eligendo ad Episcopatum. Tantum enim abest, ut appellare quenquam, & prensare liceat, ut potius recedere jubeatur, si rogetur, & effugere, si invitetur. Ad quæ ipsa verba sine dubio respexit Gregorius M. lib. 7. epist. 112. apud Gratianum c. sicut 1. q. 6. dum ait: *Sicut is qui invitatus renuit, quæ situs refugit, sacrī altaribus est admovendus, sic qui ultrò ambit, vel importune si inge-*

406 CAP. V. Electionem animo integro & incorrupto perfici,
rit, est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora concendere, quid
aliud agit, nisi ut crescendo decrescat, & ascendendo exterius, interius in profun-
dum descendat? Et sic dicit etiam Imperator, indignum esse Sacerdotio, qui
non fuerit ordinatus invitus.

LIII. Hæc ipsa sententia etiam in civilibus officiis conferendis sepi-
simè ut regula observata fuit. De Alexandro Severo scribit Ælius Lam-
pridius, quod alterum præfatum prætorii fecerit, qui, ne fieret, etiam fugerat,
dicens, *invitos, non ambientes*, in Rempublicam collocandos. Itemque quod ho-
nores *juris gladii* nunquam vendi passus sit, dicens: *Necesse est, ut qui emit, ven-
dat. Ego non patiar mercatores potestatum: quos si patiar, damnare non possim.*
Erubesco enim punire illum hominem, qui emit & vendit. Sic etiam Marcia-
nus Imperator in novellâ suâ constitutione, quæ tit. I. habetur, præmittit,
quâ ratione *venalem judicum ambitum radicis amputaverit, & ad res priva-
tas vel publicas sincerissime gubernandas, homines speclandos atq[ue] consultos traxer-
it invitos, sciens quippe felicem fore Remp. si à nolentibus & actus publicos repul-
santibus administretur.* Sane qui ambit illicitâ cupiditate magistratus &
potestatem, vix est, ut is postea non nundinetur illicitè, & mercaturam
non exerceat foedissimam ejusdem. Quâ acquisitâ nova illico prodeunt
vitiorum semina, cùm fieri haud possit, quin vendere sibi lícere quis putet,
quod emit Novell. 8. pr. Hinc ergò homicidia, hinc adulteria, rapinæ, hinc
commerciorum confusio, hinc legum contemptus, unoquoque quamvis
pœnam auro redimi posse, confidente.

LIV. Sed ut ad constitutionem nostram redeamus, quid est, quod di-
cit Imperator: *Sola illi suffragetur necessitas excusandi?* Glossam si con-
sulamus, celeriter ea exigueque hæc addit verba: id est, *sola necessitas excu-
set eum.* Sed à quo? ab acceptatione muneris Episcopalis? Atqui hic tūm
planè peregrinus erit sensus. Excusatum non vult, sed cogi jubet Impera-
tor eum, qui repugnat. Nec agitur de rationibus & argumentis excusatio-
num, quibus elabi & ab Episcopatu suscipiendo liberari quis possit; sed agi-
tur de modo compellendi eum, qui refugit, quiue electioni de se factæ con-
sentire recusat. Sic igitur verba ista mihi videntur explicari debere, non
admittendum esse ad Episcopatum, nisi eum, qui se excusaverit, suamque
indignitatem allegaverit, adeò, ut cùm alii suffragia operosè conquerant,
& largitione devincta habeant, illi sola sua suffragetur excusatio, quam pro-
pterea necessariam dicit, quod, nisi interveniat, suspectum ille se faciat ambi-
tionis & officii studiosè affectati. Excusatum autem qui se dicit, qui acce-
ptare minus impositum renuit, hoc de se præbet argumentum, nulli am-
bitioni succubuisse, atque adeò summâ cum integritate Episcopatui præfici
posse. Planè in omnibus illis, quæ fidem & integritatem exigunt, valde
suspectum se reddit, qui se ingerit; è contrario vero observatum est, decli-
nari

nari solere talia officia ab illis, qui recte agere conservaverunt. De procuratoribus supra dixi ex l. 25. ff. de procurat. De tutoribus habemus textum in l. 18. §. 1. ff. ad L. Corn. de fals. De Curatoribus vero elegans est sententia Justiniani, novell. 72. c. 6. Quoniam vero videmus, gravatae et difficulter ad curationes accedere eos, apud quos aliqua DEI memoria residua est, nam plurimus, qui cupiunt bona minorum, in suos usus impie vertere, res admodum amabilis est et appetibilis &c. Et hinc recte scripsit Modestinus in l. 21. §. fin. ff. de tutor. et curator. dat. Semper maximè hoc obseruant magistratus, ne creant eos, qui se ipsos volunt ingerere, ut creantur, quique pecuniam dant, hos enim & pœnæ obnoxios esse, promulgatum est.

LV. Progradimur nunc cum Imperatore ad sanctionem, quam huic sue constitutioni adjecit, h.e. ad pœnam, quâ teneri voluit violatores. [Cùm sanè, inquit, si quis hanc sanctam & venerandam antistitis sedem pecuniæ interventu subiisse, aut si quis, ut alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis & læsæ majestatis accusatione proposita, à gradu sacerdotii retrahatur, nec hoc solum deinceps honore privari, sed perpetuæ quoque infamiae damnari decernimus: ut eos, quos par facinus coquinat & æquat, utrosque similis pœna comitetur. Duplicum decernit pœnam Simoniacis, remotionem ab officio, & infamiam, & utrumque tūm dantem tūm accipientem pari pœna teneri vult. Describit etiam processum, quo mediante pœna hæc in genere constituta applicari delinquenti debeat, accusatione scil. proposita ad modum publici criminis & læsæ majestatis. Describit insuper subiectum, in quo pœnæ istæ confluere debeat, & in quo expiari istud crimen oporteat. De singulis aliqua nobis dicenda restant.

LVI. Subjectum, quod pœnas constitutas meretur, hoc modo describitur: Si quis hanc sanctam & venerabilem antistitis sedem pecuniæ interventu subiisse, aut si quis, ut alterum ordinaret, vel eligeret, accepisse detegitur &c. In his verbis plurima sunt, quæ notari debent: Primo, particulam hanc non debere captari, neque restringi ad Ecclesiam & Sedem tantum Constantinopolitanam; sed intelligi & sub innui per eam quamcunq; aliam sedem Episcopalem; tūm quia hactenus constitutionem suam de quibuscunque aliis Episcopatibus acceptam voluit, & in genere locutus fuit Imperator, ut adeò non videatur cohædere, si tam prolixè is & in genere de Ecclesiis toto Orbe diffusis & Simonia crimine contaminatis præfatus, sanctionem ad solam Ecclesiam Constantinopolitanam restringere velit: tūm vero, quia jam tūm in Conciliis facta & ab Imperatoribus confirmata extiterunt decreta, quibus in genere omnis ista nundinatio sub pœna remotionis prohibita fuit, uti mox dicam. Illud vero facilius admitto, constitutionem hanc, quia pœnalis est, non debere extendi ad alios, nisi qui pecuniæ

cunia interventu sacerdotium acquisiverint, ita tamen, ut pecunia nomine non solum numerata pecunia, sed omnes res tam soli quam mobiles, & tam corpora quam jura contineantur. l. 178. pr. & l. 222. ff. de V. S. Non ergo, quod secundo loco notandum est, in hunc censum veniunt, qui ad sacerdotium precibus tantum intervenientibus promoti fuerunt, quanquam per illas etiam Simoniam committi dicatur. Tertiò illud etiam notetur, & electionis & ordinationis vitiosæ eandem habitam ab Imperatore rationem, & utriusque eandem præstitutam fuisse pœnam, nec adeò admissi posse, quod statuit Augustinus Barbosa *de jure Eccles. lib. I. c. 19. num. ult.* non vitiare electionem per vitiosam ordinationem. Ex hâc enim Leonis constitutione patet, nihil prodesse electionem legitimam, si electus pecunia interventu ordinatus fuerit, sed nihilominus à gradu sacerdotii removeri, & infamia noctâ eum insigniri debere. Denique etiam hoc notandum est, non illum tantum hujus criminis reum & pœnæ obnoxium esse, qui pecuniam ipso actu dat & accipit, sed etiam qui stipulatur & promittit, ejusq; intuitu eligit aut eligitur. Accipit enim etiam ille aliquid, qui promissionem ab altero factam accipit.

LVII. Pœna ab Imperatore criminis huic præstata, uti dixi, duplex est, privatio officii, quod quis jam habet, sive negatio ejus, quod sperat, & infamia. Priorem his verbis describit: à gradu sacerdotii retrabatur. Cumque verba illa de solo accipiente concepta sint, ne quis vacuum iolatumque pœnâ dantem putet, specialiter in fine addit, *eum quoq; similem pœnam comitari debere.* Et hoc quidem in ipso Concilio Chalcedonensi can. 2. octodecim annis antè, quam Constitutio hæc ederetur, anno nimirum CCCCLI. itidem decretum fuerat: *Si quis Episcopus propter pecunias ordinationem fecerit & inestimabilem gratiam sub precio redegerit, & propter pecunias ordinaverit Episcopum vel Choropiscopum vel presbyteros, vel diaconos, vel aliquem eorum, qui in Clero annumerantur, vel propter pecunias promoverit & connum, vel defensorem vel mansionarium vel omnino aliquem ex canone sui turpis questus gratiâ, qui hoc tentasse convictus fuerit, sui gradus periculum subeat.* Et qui est ordinatus, nibil ex ordinatione vel promotione per quæsum vel mercaturam facta juvetur, sed sit alienus à dignitate & sollicitudine, quam pecuniis adeptus est. *Si quis autem mediator tam turpibus & nefariis lucris apparuerit, bic quoq; si sit quidem Clericus, proprio gradu excidat.* Sin autem Laicus vel monachus, anathematizetur. Quæ verba abundè declarant, quid sibi velit Imperator per retractionem à gradu sacerdotii. Sic enim vocabulum retrahere accipitur in l. 3. C. de censib. & censitor. lib. XI. Ista autem retractione à sacerdotii gradu, sive καθηρευτικा illud τῆς τὸν εἰκεῖον βαθὺν, de quo agit canon Chalcedonensis, non significat tantum revocationem aliquam ex

ex sublimiore dignitate in inferiorem, ita, ut Episcopus Simoniacus ex gradu Episcopali in presbyterialem detrudi debeat, & hoc sufficiat pœnæ, quæ ab Imperatore & Concilio decreta fuit, exequendæ, quam regradationem dici, notat Cujacius *ad l. 3. C. de domesticis lib. XII.* sed omnimodam remotionem ex statu clericali. Ita enim interpretati sunt, plerique omnes, qui secuti sunt Ecclesiæ Doctores, uti videre licet apud Gratianum *caus. 1. q. 1.* Et in hunc lensum etiam concepta est, quæ in canonibus Apostolorum refertur, constitutio 28. *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus pecuniae interventu banc dignitatem natus fuerit, deponitor tam ipse, quam qui eum ordinavit, & omnino à communione absconditor, quemadmodum Simon Magus a me Petro.* Eandem sententiam repetiit Concilium Aurelianense II. c. 3. & 4. Aurelianense V. c. 10. Turonense II. c. 27. Cabilonense c. 16. Bracarense III. c. 8. Nicænum II. c. 5. Nannetenle c. 7. & plura alia.

LVIII. Sufficit nobis hic adscribere, quæ interpretationis vicem subire potest, constitutionem Justiniani *in novell. 6. cap. 1.* quam vel ideo notare operæ erit precium, quia etiam de pecuniâ datâ & acceptâ, cui ea cedere debeat, specialiter disponit. Sic autem ille: *Et banc (ordinationem) non pecuniis emere, neq; per rerum aliquarum dationem suscipere, sed puram percipere, & sine mercede, & tanquam à DEO datam.* Nam si etiam alia omnia habeat utilia, quæ prius à nobis dicta sunt, pecuniis autem vel rebus videatur episcopatum etiam emisse, sciat se & ab Episcopatu casurum & hoc munus retributurum ordinanti: ut & ille Episcopatum amittat & a clero cadat, & utriq; causa talem prestat retributionem, ut & hic quidem non adipiscatur, quæ sperabat, ille autem etiam, quæ habebat, amittat: veruntamen pecuniis ac rebus datis occasione ordinationis, sanctissima assignandis Ecclesiæ, sive Episcopu's sit accipiens, & propterea a sacerdotio cadens: sive etiam quilibet alius in clero constitutorum. nam & illi equam imponimus pœnam, ut ab ordine, quem inter sacerdotes habuerit, cadat, & reddat aurum, aut res, quæ ordinationis occasione date sunt, injuriam passæ, quantum ad ipsum, Ecclesiæ. *Si quis autem extraneorum sit, & non in clero constitutus, qui aurum aut rem aliquam propter patrocinium ordinationis accepit, & maxime si administrationem aliquam gerat, habebit quidem ipse à DEO pœnam & succedent ei de cœlo supplicia;* veruntamen etiam illud, quod datum est, totum ablatum ab eo, sanctissima Ecclesiæ omnibus reddatur modis in duplum. *Insuper etiam, si quam administrationem habet, ead cadat, & perpetuo exilio condemnetur.* Illud quoque sciat aperte, qui pecuniis aut rebus aliis emerit praesulatum: quia si prius diaconus aut presbyter sit, deinde per suffragium ad sacerdotium veniat, non solum Episcopatu, sed nec prior ei relinquetur ordo, presbyterii forsitan aut diaconatus. Amittit etenim etiam illud, utpote decentia indignè concipiens, & omni sacerdotali excludetur ordine &c. Justinianus præter remotionem ex Clericorum ordine totalem, etiam pecuniæ jacturam fieri voluit

Fff

luit

Iuit, eamque Ecclesiæ addixit, quæ gravi illâ maculâ affecta fuit, & quidem duplo majorem, si extra clerum istius Ecclesiæ constitutus fuerit, qui pecuniam accepit, additâ simul relegatione perpetuâ.

LIX. Quia verò canon Concilii Chalcedonensis, ætate non multum præcurrit constitutionem Leoninam, & ferè *σύνταγμα* ei est, juvabit in occasionem & causam impulsivam, quæ ei natales dedit, inquirere. Antoninus scilicet Episcopus Ephesi & dioceſeos illius Exarchus impudenter admodum ab ordinandis pecuniam exigebat, secundum valorem annuorum reddituum Ecclesiæ illius, cui ordinandus destinatus erat. Huic malo ut obviam iretur, Johannes Chrysostomus Ephesum se contulit, & coactâ ibi Synodo Episcopos sex, qui pecuniam se dedisse negare non poterant, depoſuit, qui tamen hoc singulare obtinuerunt, ut pecuniam datam ab heredibus Antonini, qui interim diem suum obierat, repeteret liceret, cum alias conditio ob turpem causam non detur, si utriusque turpitudine subest, l. 3. ff. de condit. ob turp. caus. l. 5. C. eod. Nec verò juvabat tum Episcopos, quod pecuniam se secundum consuetudinem dedisse dicerent, aut juxta morem receptum; Mala enim consuetudo non minus quam pernitosia corruptela est abicienda & vitanda. c. mala, dist. 8. Et hæc quidem corruptio impulit Synodum Chalcedonensem, ut universalis Ecclesiæ autoritate & generali decreto in eam animadverteret, poenamque depositionis intentaret omnibus, qui tales ordinationum nundinationem fecisse convincerentur. Quia verò paulo post fraudibus & dolis agi coepit est adversus hanc prohibitionem, non modo Gennadius Patriarcha in Synodo CPnâ, ut supra exposui, sed etiam Leo Imperator hæc suâ constitutione in subsidium venerunt, & poenas etiam exasperarunt.

LX. Altera poena, quâ Leo Imperator coercere hoc crimen voluit est infamia. Quæ qualis sit, ex effectibus ejus in jure definitis cognosci potest. Qui enim infamia notatur, ab omnibus dignitatibus etiam acquisitis, munere testificandi, postulandi, judicandi repellitur, non tantum duranti ejus causa, sed etiam cessante, nec tantum in loco ubi est contracta, verum & alibi, & ubique locorum, cum infamia osibus adhæreat, veluti character quidam, qui hominem sequitur, quo cunq; locorum ierit. Olim etiam urbe prohibitos fuisse notant nonnulli ex l. 8. § 9. ff. de excusat. tut. & habitu ab integræ opinionis hominibus distinctos, ex Varrone. Quin & habere aliquem pro infami tanti momenti causam duxerunt veteres, ut inter cognitionum extraordinarium genera judicium de existimatione retulerint, l. 5. ff. de extraord. cognit. Hac ergo maculâ notati ut *βελύψαται* reliquis hominibus sunt, qui qualitercumque fidem & bonam famam amplectuntur, nec quisquam erit facile, qui illorum conversationem expetat.

LXI. Se-

LXI. Sequitur tandem ut de processu videamus, qualiter qui crimen hoc commisit, convinci debeat. Dicit Imperator, *ad instar publici criminiſ ſeſe Majestatis* accusationem proponendam esse. Accusationi dat locum, quæ nihil aliud eſt, quam criminis ad judicem delatio atque exēcūtio, vindictæ publicæ causâ facta. Et multo quidem gravior eſt accusatio, quam actio, quam privata nostra jura in judicio persequimur. Etenim accusamus nocentes, agimus etiam aduersus innocentes, id eſt, nullius criminis ſibi concios. Actione id quod nostrum eſt, vel quod nobis abeat: accusatione publicam vindictam persequimur. Accusatio inscriptionem olim desiderabat, non desiderabat actio. Propriè igitur accusare & accusatio ad delationes delictorum & cauſas criminalis refertur. Quod & ipsum hoc loco insinuat Imperator, dum ait, ad instar publici criminis accusationem instituendam eſt. Publicum autem crimen ſive publicum judicium dicitur, de quo lege publicâ cautum eſt l. 3. §. fin. ff. de p̄avar. cuius præcipua hæc fuit qualitas, quod cuivis ex populo ejus persecutio concessa erat. Quia enim per leges de publicis iudiciis latas damnum ipſi universitati & magis directe datum vindicatur, universitas autem, cum non niſi persona myſtica & imaginaria fit, deferre ipſa vel accusare non potest, ſed neſsingulorum adeò intereſt, ut ſinguli admitti debeant, quatenus nec in ſingulos delictum fuit, inde factum, ut accusationem cuivis de universitate ſpecialiter permitti neceſſum fuerit. Econtrario verò privata crima dicuntur, quorum accusatio non cuivis ex populo, ſed iis competit, ad quos ea re ſeu injuria pertinet. Et ut maximè in publicis iudiciis non promiſcue amplius quivis ex populo ad accusationem admittatur, manent tamen adhuc crima & iudicia publica, dum vel per modum inquisitionis procesſus hodiè instituitur, vel à procuratore fisci, qui populi ſuſtinet partes, accusatio ſuſcipitur.

LXII. Oppidò autem mirari ſubit modetiam Imperatoris & verecundam ejus rōpoſerias. Poterat ille jure majestatis, quam pollebat, conſtituere, ut crimen hoc inter publica deinceps referretur, & pro iudicio publico ejus vindicatio haberetur; exemplo Honorii, qui hærefiſi Manichæorum & Donatistarum inter publica crima retulit l. 4. C. de heret. & Man. Sed noluit tamen ille ſubitaneam hanc ſententiam interponere, ſed contentus fuit, accusationem fieri ad instar publici criminis. Vocabulum *instar* enim ſimilitudinem & conformitatēm quandam denotat. Et voluit adeò Imperator delictum hoc non eſſe quidem crimen publicum, ſed pro tali tantum haberi & iudicari. Noverat enī, non omnia iudicia, in quibus crimen aliquod vertitur, publica eſſe, ſed ea tantum, quæ ex l. 1. publicorum iudiciorum veniunt. l. 1. ff. de publ. jud. l. 3. §. 3. ff. de p̄e varicat. Ut igitur retineret, quod diu ita obſervatum fuit, temperare id, quod ſe-

cum constituerat, maluit, & analogiam tantum aliquam statuere satius putavit. Similitudinem autem istam ad speciem aliquam publicorum iudiciorum referre placuit, & quidem ad crimen læse Majestatis, non tamen ulterius, nisi quod accusationem concernit. Si qua igitur, extra eam, circa Majestatem læsam, ut salva præstetur, introducta sunt singularia, non arbitror, in hoc crimine locum invenire, quandoquidem perpetuum hoc manet axioma, leges pœnales strictè esse accipiendas, neq; ultra verba extendendas.

LXIII. Non arbitror, prolixè hic disquirendum esse, de quâ majestate constitutio hæc accipi debeat. Etsi enim inter Doctores invaluerit distinctio majestatis in divinam & humanam; eam tamen ex constitutionibus Imperatorum peti non posse, nec adeo in illis subintelligi debere concludit Antonius Matthæus *de criminib. tit. ad L. Jul. Maj. n. 2.* Nec vero læditur majestas divina in hoc crimine, nisi per indirectum, quatenus quæ Ecclesiæ infertur injuria, in majestatem divinam quodammodo redundat. Potius ergo est, ut dicamus, majestatem humanam ab Imperatore subinnui, quæ & ipsa quidem non læditur directò & principaliter, haec tamen læsa dici potest, quatenus Princeps est Defensor Ecclesiæ & custos utriusque tabulæ, suisque legibus, veluti vallo aliquo, Ecclesiam munit, quas propterea qui violat, in muros quasi Ecclesiæ delinquit, & adversus securitatem ejus quid committit, quod ad instar criminis læse Majestatis vindicandum videtur.

LXIV. Ne tamen latius evagetur ea comparatio, neve iniqui quid statuatur in delinquentes, ipse eam Imperator ad solam, uti dixi, restringit accusationem. Quod igitur in crimen læse Majestatis circa accusationem obtinet, id criminis Simonias commune esse voluit Imperator. Quo fit, ut reum hujus criminis accusare possint, qui alioquin ad accusandum non admittuntur, ut famosi, milites, servi & liberti, mulieres *l. 7. & 8. ff. ad L. Jul. Maj.* Filius patrem, *Novell. 115. c. 3. s. 3.* Pater filium, *l. 35. de relig. & sumpt. fun. vasallus Dominum c. un. 2.* F. 6. alumnus altorem, frater fratrem, Uxor maritum & contra: inimicus inimicum *d.l. 35. Novell. 117. c. 8.* Socius socium *c. si quis, in fin. dist. 79.* Laicus Clericum, *c. sanè quisquis 15. q. 3. c. 7. &c. de Simon.* Hæc enim omnia, uti ex adductis autoritatibus appetat, in crimen læse Majestatis constituta & recepta sunt. Et sic expressis verbis habetur in *c. 7. &c. de Simon.* Tanta est labes bujus criminis, quod etiam servi adversus dominos & quilibet criminosi admittuntur ad accusationem.

LXV. Neque tamen captanda sunt verba Imperatoris, ac si deficiente accusatore, & quiescente accusatione, nulla amplius locum habeat vindicta publica. Notum enim est, dupli modo hanc vindictam exerceri, uno, per viam accusationis, altero per viam inquisitionis. Et quam

quam accusatio olim frequentissima, & quasi ordinaria vindicandorum criminum ratio, inquisitio autem, ut rarer, ferè pro extraordinario reos per agendi modo habita fuerit; consuetudine tamen invaluit, ut inquisitio penè ubique ordinarius hodiè procedendi modus sit, nec expectari debeat à judice, donec extiterit aliquis accusator. Vid. Sig. Scaccia de *judic. lib. I.* c. 85. n. 5. seqq. Anton. Gomez. *tom. 3. c. 1. n. 49.* P. Heig. *part. I. q. 39.* Ubiunque ergo accusatio de delicto est permissa, ibi quoque permitta est inquisitio, quæ in ejus locum succedit, c. licet Itali *de Simon.* & fit ad eundem effectum, ne delictum maneat impunitum. Salicet. *ad l. ea quidem C. de accusat. n. 8.* Et propterea firmiter concidendum est, quod in constitutione Leonis non sit exclusa inquisitio, cum & magistratus hoc sit officium, ut in crimina cum severitate animadvertis. Et quanquam Canonistæ mitius puniri velint delinquentes per viam inquisitionis damnatos, quam si per accusationem peracti fuerint; exceptam tamen volunt Simoniam, propter quam nolunt admittere differentiam ex processu, per c. 21. *de accusat.* nisi non ordinem quis, sed beneficium Ecclesiasticum datâ pecuniâ consecutus fuerit, c. 30. *de Simon.* Hoc enim speciale dicit esse Antonius Dadinus Alteserra *ad d. cap. 21.* in regularibus, quod mitius puniantur de Simoniâ commissâ pro introitu monasterii, ob consuetudinem, quæ inoleverat, ut vix monachi reciperentur sine precio, & ob multitudinem eorum, qui hoc pacto recepti fuerant. Sed hæc nihil ad nos. Et ipsam illam mitigationis causam ex ratione processus petitam plane ignorat jus civile, neque ejus fundamentum dari aliquod potest sufficienter adstratum.

LXVI. Ut verò ne claudicer constitutio hæc pœnalis, & cum perpetua sit inter dantem & accipientem, itemque inter ordinantem & ordinatum relatio, ne condemnetur unus, alter verò absolvatur aut ab omni pœna exemptus habeatur, utrumque pari pœna teneri vult Imperator, idèo scil. quod *par facinus utrumq; coinquiat, & equat.* Id verò cum grano falso & certâ limitatione est accipendum. Potest enim inter ordinantem & ordinatum nulla Simonia committi, & tamen ordinatio simoniaca esse, aut potius à Simoniaco fieri. Et hinc distinguunt Canonistæ, utrum à Simoniaco quis simoniacè, an à Simoniaco quidem, non tamen simoniacè, an vere à non Simoniaco simoniacè ordinatus fuerit. Rem ita interpretatur & applicat ad præsentem statum Nicolaus II. Papa apud Gratianum c. *statuimus 1. q. 1.* Statuimus *de Simoniacis ordinatoribus vel ordinatis:* *E* de Simoniacis simoniacè à non Simoniacis: *E* de Simoniacis non simoniacè à Simoniacis. Simoniaci simoniacè ordinati vel ordinatores secundum Ecclesiasticos canones à proprio gradu decidant. Simoniaci quoque simoniacè à non Simoniacis ordinati, similiter ab officio male accepto removeantur.

Simoniacos autem non simoniacè à Simoniaci ordinatos, misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio concedimus permanere. Sed hoc intelligendum est de his, qui ordinantur à Simoniaci, quos ignorabant esse Simoniacos, hos facit Simoniacos non reatus criminis, sed ordinatio Simoniaci. Verba ultima videntur esse Gratiani, quæ & aliis literis in quibusdam exemplari bus notari solent.

LXVII. Obscura autem est Pontificis sententia. Res huc recidit, quod alii sint simoniacè ordinati, qui tamen non sunt Simoniaci, puta, quando eis ignorantibus ordinatori pecunia data fuit, scilicet per amicum: quidam autem sint Simoniaci simoniacè ordinati puta, quando ipsi dederunt pecuniam, ut ordinarentur, vel data fuit eis consentientibus tacite vel expressè. Et hi simoniacè ordinati sunt, et si ordinator non sit Simoniacus, quando scilicet pecunia data aut promissa est non ipsi ordinatori, sed ejus amico. Dicitur autem simoniacè ordinari, quando ipse actus ordinationis, qui per agitur, labe Simoniæ infectus est, ita ut propter ordinationem pecunia data vel promissa sit. Si quis ergo ignoranter per Simoniam à cognato aut amico commissam promovetur, excidet ille quidem à gradu sacerdotii, sed notari propterea non debet infamia, cum nulla omnino ejus culpa intervererit; ut nec altero casu ordinatori aliqua imputari potest culpa, qui ignorans amico suo datum aliquid fuisse, ordinationis actum expedivit, qui propterea ne quidem à gradu suo, quem in sacerdotio tenet, movendus est.

LXVIII. Id insuper observo, quia Imperator Simoniacos perpetuæ infamiæ notâ insignitos esse voluit, non habere eos potuisse spem deinceps promotionis alicujus, quandoquidem infamia talis non solum impedit præfici, sed etiam removeri facit à dignitatibus habitis, l. 8. C. de decur. lib. X. l. 12. C. de dignit. lib. XII. neque admittit jus Canonicum, ut infames ad dignitatem Episcopalem promoteantur, per ea quæ tradit Joh. Aloysius Riccius decis. Cur. Archiep. Neap. 133. Sequioribus tamen temporibus recessum est ab hoc rigore, & post peractam pœnitentiam restituti fuerunt simoniaci in susceplos ordines. Discimus id ex canone nono Concilii Toletani XI. anno Christi DCLXXV. celebrati, cuius, et si prolixior sit, non pigebit hic adscribere verba: *Multa super hoc capitulo Patrum sententia manaverunt; scilicet, ne in appetibilem sancti Spiritus gratiam donis vel muniberis quis existimet comparandam.* Sed, quod non sine gravi dolore dicendum est, quanto haec res frequenti decretorum est præceptione probibita, tanto nobis fraudibus cognoscitur iterata; dum bi qui tali precio mercari nituntur gratiam sancti Spiritus, aut ordinationis, seu tempora preventi munere, aut post acceptum bonorem promissam suis conferunt apparitoribus turpis lucri mercedem. Et ideo ut horum & similium argumentorum deinceps amputetur occasio, hoc sancta Synodus defi-

definivit: ut cùm quisq; Pontificale culmen ante Domini altare percepturus accesserit, sacramenti se taxatione adstringat, quod pro conferendā sibi consecratione honoris, nulli persone cuiuslibet præmiū collationem vel jam dedisse vel aliquando ad futurum dare procuret: sicq; aut mundus ab hoc contagio prælationis consecrationem accipiat, aut implicitus huic sceleri, manifestè denotatus coram Ecclesiā ad honorem, quem mercari voluit, non accedat. Illos autem, quos deinceps post relationem per præmium ordinatos fuisse patuerit, sub definitis pœnitentia legibus, ut verē Simoniacos ab Ecclesiā separandos esse censēmus, id est, ut duorum annō: um spatio exilio relegati, & digna satisfactionis vel excommunicationis sententia coerciti, honoris gradum, quem præmis emerant, lacrymis conquerire & reparare intendant. Unde si digna eos satisfactio pœnitentia commendaverit, peracto pœnitentia inditæ tempore, non tantum communioni, sed loco & totius ordinis officiis, à quibus separati fuerunt, restaurandi sunt.

LXIX. Colligi hinc potest, eum, qui propter Simoniam commissam ex ordine Clericorum prorsus remotus fuerat, post peractam pœnitentiam restituī potuisse in pristinum suum statum h. e. in Episcopalem dignitatem, & sic per saltum, quod itidem non patiebantur antiqui canones. Nisi dixeris reliquos inferiores ordines gradatim simul restitutos fuisse. Sic enim intelligendum fortè est, quod scribit Fulbertus Episcopus Carnotensis ep. 25. De presbytero vestro ab alio Episcopo per pecuniam ordinato, ex auctoritate sanctorum Canonum tale vobis consilium dono. Primum degradetur. Deinde ab Ecclesiā separatus duobus annis severā pœnitentiā multetur, ut honoris gradus, quos precio taxaverat, lacrimis conquerire & reparare contendat. Postea si digna pœnituerit, restauretur. Hec verò, quæ diximus, cùm in aliis locis tūm satis expressè invenietis in Canone Toletano XI. c. 9. Ceterū rebaptizationes & reordinationes fieri, canones vetant. Propterea depositum non reordinabitis, sed reddetis & suos gradus per instrumenta & per vestimenta, quæ ad ipsos gradus pertinent, ita dicendo: Reddo tibi gradum Ostiarii, & cetera, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Nec minus inde sequi videtur, infamiae notam eo tempore, quo canon Toletanus conscriptus fuit, prorsus cessasse. Quo jure id factum fuerit, dubitare meritò licet. Quando enim crimen aliquod ipso jure turpitudinem habet annexam, non potest non crimine semel commisso, turpido ista perpetuo adhærere, quia scil. legis effectus perpetuus est, quæ crimen infamia punire voluit, & infamiam ipsa irrogat, non revocandam amplius, quemadmodum nec ipsum delictum revocari potest, cùm factum non posfit redi infectum. Quare si lex alicui delicto maculam irrogat, poena à judice etiam cum temporis determinatione expressa nihil immutat, quo minus infamia sit perpetua l. 43. § 4. ff. de R. N. l. 15. ff. ad muncip. l. 6. C. ex quib. caus. infam. irr. Hocque est, quod dicitur, non posse jucidem efficere, quin furti damnatum sequatur infamia, l. 63. ff. defert. Carp-

zov.

zov. Prax. Crim. q. 135. n. 60. Quapropter: dum ita severè animadverti, voluit Imperator in crimen Simoniæ, ut pro publico crimine habeatur, & perpetuâ infamia notetur, à Canonistis reddenda erit ratio, qui fieri posse, ut infamia nota tollatur, & quâ autoritate id factum arbitrentur? Sane etiam hic locum inveniet, quod *Divus Severus Dionysio Diogeni rescripsit: Atrocis injuria (Simoniæ) damnatus in ordine decurionum (Episcoporum) esse non potest; nec prodesse tibi debet error præsidum, aut ejus, qui de re aliquid pronuntiavit, aut eorum qui contra formam juris manisse te in ordine decurionum (Episcoporum) putaverunt, l. 40. ff. de injur.*

LXX. Illa vero canonis Toletani valde laudanda est dispositio, quâ Sacramento adstrictos voluit noviter electos Episcopos, se ab omni Simoniæ vitio liberos esse, sive ut verba habent, *quod pro conferenda sibi consecratione honoris, nulli personæ cujuslibet præmii collationem vel jam dedisse, vel aliquando ad futurum dare procuret.* Planè ad imitationem constitutionis Theodosianæ in l. ult. C. ad L. Jul. repetund. in quâ simile quid de muneribus & officiis civilibus constitutum legitur. Eam, quia paraphrasin quandam ad canonem Toletanum suggestere potest, integrum adscribam. *Sancimus, ejusmodi viros ad provincias regendas accedere, qui ad honoris insignia non ambitione vel precio, sed probatae vita & amplitudinis tuae solent testimonio promoveri: ita sane, ut quibus hi honores per sedis tuae, vel per nostram fuerint electionem commissi, jurati inter gesta depromant, se pro administrationibus sortiendis neque dedisse quicquam, neque daturos unquam postmodum fore sive per se, sive per interpositam personam in fraudem legis, sacramentiq; aut venditionis donationis ve titulo, aut alio velamento cujuscunq; contractus, & ob hoc, exceptis solis salariis, nihil penitus tam in administratione positos, quam post depositum officium pro aliquo præstito beneficio tempore administrationis, quam gratuitò meruerunt, accepturos. Et licet neminem divini timoris contemendo iusjurandum arbitramus immemorem, ut saluti proprie uillum commodum anteponat, tamen ut ad salutis timorem etiam necessitas periculi subjungatur: si quis ausus fuerit præbita sacramenta negligere, non modo adversus accipientem, sed etiam adversus dantem accusandi cunctis tanquam crimen publicum concedimus facultatem: quadruplica pena eo, qui convictus fuerit, modis omnibus feriendo.* Et sic etiam in Ecclesiâ Carnotensi sequentibus temporibus his verbis conceptum fuit juramentum, quod refert, & adhuc fieri testatur Joh. Bapt. Souchetus ad Iwonis Carnotensi epist. 133. Ego N. canonizandus in Ecclesiâ Carnotensi juro super istas sanctas reliquias, quod pro ista præbendâ, cuius investituram expecto, non dedi, nec promisi, nec aliis pro me dedit aut promisit me sciente aurum, vel argenteum, vel pecuniam aliquam vel aliud, quod per pecuniam aliquam debeat aut valeat comparari, & si promissum fuerit, per me non solvetur &c.

LXXI. Dum

LXXI. Dum ita quasi certarunt inter se circa disciplinam conservandam Respublica Ecclesiastica & civilis, præter communia utriusque, duo hæc præcipue argumenta urgere poterat Ecclesia, quoniam DEI donum vendi non potest, nec debet; deinde, quoniam, quod gratis acceptum est, gratis est dandum. Utrumque id uno verbo complexus est canon Chalcedonensis supra allegatus, dum ἀπεσταυ χάριν vocat, h. e. gratuitam, inæstimabilem, quæ vendi non potest, uti Dionyssius Exiguus vertit, non venalem & talem gratiam, quæ planè non est in commercio, & quæ gratis debet dari. Utrumque etiam urget Gennadius in decreto suo Constantinopolitano, dum ait: *Cum Dominus noster & DEUS Servator IESUS Christus suis discipulis Evangelii prædicationem credidisset, eosq; per universum terrarum orbem inter homines ad dicendum misisset, aperte jussit, ut quod gratis ab eo accepissent, eis quoque gratis darent, non aurum vel argentum, vel ullas alias omnino materiales & terrenas facultates pro eis acquirentes. Cœlestia enim & spiritualia dona nulla est cum terrenis & temporalibus commutandi ratio.* — — *A me, inquit, accepistis dignitatem sacerdotii, si mibi pro ipso parvum quid vel magnum solvistis, & hoc à me venditum est, vos quoque ipsum altis vendite; si autem gratis accepistis, vos quoque gratis date.* — — *V& illis revera, qui DEI donum acquirere, vel illud pro pecuniis dare in animum induxerunt &c.* Uti hoc decretum legitur in jure Graeco-Romano lib. 3. Et hæc eadem argumenta suæ etiam consti-tutioni inseruit Leo Imp. dum DEUM autorem nominat promotionis ad Episcopatum, cui certe nihil dari debet, qui gratis eam dignitatem largitur, & à quo gratuita planè accipitur gratia, dum porrò puras hominum mentes exigit, dumque sanctitatem incorruptam allegat, quæ sane incorrupta dici nequit, si vicissim non gratis detur, quod ex ea proficiuntur.

LXXII. Quod si quis gravitatem muneris Episcopalis, & pericula, quibus illud perpetuo expositum est, tūm & infirmitatem humanam, quā ipse affectus est, attentiū considerare secum velit, vix erit, ut vitam privatam agere non malit, quam in throno Ecclesiæ confistere. Præclarè Augustinus in epist. 148. ad Valerium presbyterum: *Nihil in hac vita & hoc maximè tempore facilius, latius, hominibusq; acceptabilius, Episcopi, presbyteri, Diaconi officio, si perfundorie & adulatoria res agatur; sed nihil apud DEUM miserius, tristius, damnabilius; nihil item difficilius, laboriosius, periculosius, sed apud DEUM nihil beatus, si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet. Quis autem modus sit, nec à pueritiâ, nec ab adolescentiâ didici, quoque tempore discere cœperam, vis mibi facta est, merito peccatorum meorum.* — — *Sed multo amplius quam putabam expertus sum, non quia novos fluctus tempestatem ve-vidi, quam antea non noveram, legeram, audieram, cogitaveram; sed ad eas evi-tandas aut perforandas solertiam & vires meas omnino non noveram & alicujus momenti arbitrabar: Dominus autem irrisit me, & rebus ipsis ostendere voluit*

418 CAP. V. *Electionem animo integro & incorrupto perfici,*
me ipsum mihi &c. Nec male proinde scripsit Chrysostomus hom. 3. in alia,
esse difficilius Episcopum, quam Regem agere.

LXXIII. Nec mirari adeò poterit quisquam, quod olim, cum sanctior
adhuc Ecclesia existeret, munus illud deprecati fuerint, nec nisi coacti su-
scepserint Viri summi & tūm pietate, tūm eruditione eminentissimi. Nos
ex multis paucos, eosque insigniores referemus, tantū ut ostendamus,
non defuisse in Christianā Ecclesiā, qui, ut vult constitutio nostra, cūm ad
sacerdotium vocati essent, quæsiti fuerunt cogendi, rogati recesserunt, in-
vitati effugerunt, & omnino inviti ordinationem suscepserunt. Augusti-
num audivimus modo scribentem, vim sibi factam esse. Plenius id expo-
nit in ejus vitā Possidius. Presbyteratus nempe vacabat in Ecclesiā Hip-
ponensi. Valerius publicè id proposuerat, loci scilicet illius Episcopus:
Augustinus in populo securus & ignarus, quid futurum esset, adstabat, Eum ergo,
scut Possidius scribit, tenuerunt, & ut in talibus consuetum est, Episcopo ordi-
nandum intulerunt, omnibus id uno consensu & desiderio fieri perficiq; potentibus,
magnoq; studio & clamore flagitantibus, ubertim eo flente. Eodem Augustino
vivente maximus Hippone tumultus excitatus fuit propter Pinianum, qui
à populo, ut in presbyterium cooptari se pateretur, multis precibus flagita-
tus ægrè evasit, uti ipse exponit Augustinus in epist. 225. quæ est ad Albi-
nam Piniani matrem. Nec defuerunt eo tempore alii, qui à populo, quam-
vis renuentes, ad sacerdotium rapti, & ordinem, quem maxime averhaban-
tur suscipere coacti fuerunt. Multi, ait idem Augustinus epist. 204. ut Epi-
scopatum suscipiant, tenentur inviti, perducuntur, includuntur, custodiuntur,
patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adsit voluntas suscipiendi operis boni.

LXXIV. De Ephraim Syro referunt (Diaconus is fuit in Ecclesiā
Edessemā adulto jam seculo IV.) quod ad declinandum Episcopatum, qui
ei destinatus fuerat, insanum se & amentem simulaverit, donec aliis ordi-
natus esset. Hæc enim de eo sunt verba Sozomeni lib. 3. hist. Eccles. c. 16.
Qualiter verò inani gloriā superior fuerit, hinc intelligi potest. Decretum, quo
electus fuerat Episcopus, quidam ad eum attulerant, ac simileum comprehendere
conabantur, tanquam ad ordinationem duaturi. Id cūm presensisset, statim infor-
rum cucurrit, ac indecorè incedens, & vestem trahens, & in publico comedens se
pro insano spectandum exhibuit. Ubi verò, qui illum comprehensuri venerant,
bominem mente captum esse arbitrati, appetere eum ulterius ac persequi desti-
runt, ille opportunitatem nactus aufugit, & eo usq; delituit, donec aliis ordinatus
fuisset. Hic igitur Ephraim vere fuit quæsitus cogendus, sed ne cogere-
tur, dum insanum se simulat, nec simulandi tamen artem calleret, etiam
recessit rogatus, & invitatus effugit, latebras tantisper quærens, donec
alius aliquis suffectus fuisset.

LXXV.

LXXV. Quantā cum animi repugnatiā & quam invitus ad presbyteratum promotus fuerit Paulinianus, Hieronymi frater, ipse exponit, qui eum ordinavit, Epiphanius epist. 60. ap. Hieron. Quuin celebraretur, inquit, collecta in Ecclesiā ville, que est juxta monasterium nostrum, ignorantem eum ¶ nullam penitus habentem suspicionem per multis diaconos apprehendi iussimus, ¶ teneri os ejus, ne fortè liberari se cupiens, adjuraret nos per nomen Christi: ¶ primum diaconum ordinavimus, proponentes ei timorem DEI, ¶ compellentes, ut ministraret. Valde quippe obnubebatur, indignum se esse contestans. Vix ergo compulimus eum, ¶ persuadere potuimus testimonialis Scripturarum ¶ propositio-ne mandatorum DEI. Et cùm ministraret in sanctis sacrificiis, rursus eum, in-genti difficultate tento ore ejus, ordinavimus presbyterum: ¶ iisdem verbis, qui-bus ante a sacerdotiis, impulimus, ut sederet in ordine presbyterii. Invitus icti, dum ordinatus fuit, non potuit indignus haberi Sacerdotio, quippe quos ita descripsit Imperator, ut supra vidimus. Hic fuit ille Paulinianus, cuius ordinationem, dum in causā fidei respondere non posset, impugnaverat Johannes Episcopus Hierosolymitanus, ex eo, quod penè puer presbyter constitutus fuisset; sed eam calumniam male propulsavit Hieronymus epist. 61. ¶ 62.

LXXVI. De Ammonio Monacho nota est Sozomeni lib. 6. c. 30. re-latio, quā ratione per amputationem auris & proprii corporis lāsionem promotionem ad Episcopatum evitaverit. Digna sunt verba, quae adscri-bantur: Cūm aliquando cupiendus esset, ut Episcopus ordinaretur, nec rogando persuadere potuisset iis, qui ad ipsum capiendum venerant, ut abirent, abscessā sibi auriculā: abite, inquit. Post bac enim ne quidem si vellem, sacerdotalis lex me ordinari finit. Integri enim corporis Sacerdotem constitui oportet. Illi digressi, posteaquam intellexerunt, Iudeis quidem hęc observanda esse, Ecclesiam vero de corpore non curare, dummodo Sacerdos integer sit moribus, denuò redierunt, eum comprehensuri. Tum ille juravit, se linguam quoque sibi precisurum, si vim fa-cere tentassent. Quibus illi minis perterriti, abscesserunt. Hinc porrò factum est, ut Ammonius iste Parotes, id est, auriculā mutilus vocaretur. Similia de eo re-fert Socrates lib. 4. c. 23. Petrus Blesensis epist. 23. qui haud frustra narra-tionē præmittit: Quis bodiē à Pontificali onere se excusat? quis bodiē allegat insufficiētiam suam? quis bodiē invitus trahitur aut reclamat? ubi bodiē similiis Ammonio invenitur ¶ sc.

LXXVII. Ne prolixior sim in cogerendis exemplis, quandoquidem id jam diu plenā manu præstigit Claudio Espencæus Theologus Parisiensis digress. lib. 3. cap. 4. 5. 6. unicum adhuc addere lübet, idque maximē notabi-le, quod seculo IV. præbuit Ambrosius Episcopus Mediolanensis. Deces-serat Auxentius Ecclesiæ illius Antistes, qui unicus in Italiā adhuc labe Arianā infectus fuerat, & deliberabatur autoritate Valentiniiani Impera-

Ggg 2 toris

toris de novo Episcopo sufficiendo. Cumque in partes scissus esset populus Mediolanensis, nec satis convenire inter se cives possent, præter omnium expectationem tandem electus est Ambrosius, qui tum temporis illi provinciae præfectus erat. Rem totam, ut se habuit, describit Paulinus Presbyter in vita ejusd. cuius ipsius præstat audire verba. Post hanc, inquit, Consularitatis suscepit (Ambrosius) insignia, ut regeret Liguriam & miliamq. provincias, venitq. Mediolanum. Per idem tempus mortuo Auxentio Ariane perfidie Episcopo (qui Dionysio beatæ memorie confessore ad exilium destinato, incubabat Ecclesiæ) cum populus ad seditionem surgeret in petendo Episcopo, ejetq. illi cura sedandæ seditionis, ne populus civitatis in periculum sui verteretur, perrexit ad Ecclesiam. Ibiq. cum alloqueretur plebem, subito vox fertur infantis in populo sonuisse, Ambrosium Episcopum. Ad cuius vocis sonum totius populi ora conversa sunt, acclamantis Ambrosium Episcopum: ita ut qui ante turbulentissime dissidebant, quia & Ariani sibi & Catholicis sibi Episcopum cupiebant, superatis alterutris, ordinari repente hunc unum mirabiliter & incredibili concordia consenserint. Quo ille cognito egressus Ecclesiam tribunal sibi parari fecit, quippe mox futurus Episcopus altiora descendit. Tunc contra consuetudinem suam tormenta jussit personis adhiberi. Quod cum faceret, populus nihilominus acclamabat: peccatum tuum supernos. --- Tunc ille turbatus, revertens domum philosophiam profiteri voluit. --- Quod ubi ne faceret, revocatus est, publicas mulieres publicè a se ingredi fecit, ad hoc tantum, ut vijs bis populi intentio revocaretur. At vero populus magis magisque clamabat: Peccatum tuum supernos. At ille, cum vide-ret, nihil intentionem suam posse proficere, fugam paravit, egressusq. noctis medio civitatem, cum Ticinum se pergere putaret, mane ad portam civitatis Mediolanensis, que Romana dicitur, invenitur. Qui inventus, cum custodiretur a populo, missa relatio est ad clementissimum Imperatorem Valentinianum. --- Pendente itaque relatione iterum fugam paravit, atque in possessione cuiusdam Leon-dii clarissimi Viri aliquandiu delituit. Sed ubi relationi responsum est, ab eodem Leontio proditur &c. Hanc Paulini relationem paraphrasi quâdam auctiorem fecit Cardinalis Baronius ad ann. CCCLXXIV. num. 4. seqq. Et est sane ea genuinum exemplum legitimate promoti Episcopi, qualem eum vult Constitutio Leonina. Plura nunc non addam, ne nimium excrescat nostra haec commentatiuncula.

LXXVIII. Fuerunt insuper, qui, ut Episcopatum declinarent, criminibus & flagitiis se inquinatos dixerunt, ingenioso hoc mendacio famam suam conspurcantes. Quos quidem, etsi falsa essent, quæ ita in vulgo de se sparsissent, ipsi, ad Episcopatum evehi noluit Concilium Valentiniū l. c. 4. Nec illud, fratres, scribere alienum ab Ecclesiæ utilitate censuimus, ut sciretis, quicunque se iub ordinatione vel diaconatus, vel presbyterii, vel Episcopatus mortali crimine dixerint esse pollutos, a supradictis ordinationibus submovendos, reos

reos scil. vel veri confessione, vel mendacio falsitatis. Neq; enim absolvi in his potest, quod dictum in alios puniretur Et c. Canoni huic conformis est epistola Synodica ejusdem Concilii ad clerum & plebem Ecclesiae Foro-juliensis: *Et licet non ignoraremus, multos verecundia Et nonnullos suscipiendi Sacerdotii metu trepidos, quae utique signa sunt sanctitatis, falsa in se rejiciendi honoris causa dixisse: tamen, quia omnium ferè ad ea, quae sunt pejora, proclive judicium est, Et materies disputationum ex obtricatione sacerdotum DEI queritur: sedit in Syndo, ut quisquis de se vel vera vel falsa dixisset, fides ei, quam suomet testimonio confirmaret, haberetur.*

LXXIX. Dispiciamus nunc, quid coactioni tali, qualem exigit Imperator, obverti communiter soleat. Et quidem vulgatum ferè hodiè est axioma, ad ministerium Ecclesiasticum neminem esse cogendum. Neque id quidem suo caret fundamento, quandoquidem Spiritus S. spontaneum exigit servitium. Psalm. CX, 3. & in specie a presbyteris requiritur, ut faciant officium μη ἀναγνωσθεῖν, οὐκ ἐργούσις, non coacte sed libenter. 1. Petri V, 2. Quò & referunt, quod dicitur Proverb. XI, 26. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. Ex quo conficiunt, eum, qui ad Episcopatum idoneus est, si se ab eo statu spiritualia nimirum frumenta dispensandi subtrahat, illa abscondere, sibique maledictionem arcessere. Unde & Augustinus: *Qui electus ab Ecclesiâ ministerium evangelizandi Et baptizandi renuerit, ab Ecclesiâ ipsâ dignè meritoq; contemnitur, apud Gratianum, c. olim 8. q. 1.* Et Simplicius Papa ad Joannem Archiepiscopum Ravennatensem: *Denunciamus autem, quod si post hoc tale aliquid presumperis, Et aliquem talem seu Episcopum, vel presbyterum vel diaconum invitum facere posse credideris, ordinationes tibi Ravennatis Ecclesiae vel Aemilienis noveris auferendas: apud eundem Gratianum c. ubi, dist. 74.*

LXXX. Sed enim utrumque esse solet in vitio, & si nimium quis appetat Episcopatum, seque ingerat, & si oblatum recusat præfracte, nec se vinci precibus eligentium patiatur. Pessime ut plurimum cedere solet utrumque. Illò enim casu abusus, hoc verò non usus officii metuendus est. Quippe si quis coacte rem agit, plerumque agit, non ut debet. Qui verò cum temeritate & audaciâ quâdam rem aggreditur, insolentiū agit & perversè. Per coactionem autem non simpliciter omnem intelligo, sed talem, quae fit vi extrinsecus adhibitâ, quanquam etiam hanc aliquando, si Ecclesiæ salus obtineri aliter nequeat, non necessariam tantum existimem, sed optimè etiam cesisse, superiora, quae tamen extraordinaria ferè sunt, doceant exempla. Cæteroquin sicuti τὸ εὐστοὺς suos habet gradus, ita & coactio explicanda est. Invitus est, qui cum posit, vel simpliciter reluctatur, vel ob certas & probabiles causas prætextu indignitatis suæ & difficultatis ad sensum suspedit. Qui simpliciter reluctatur, ex contemptu ministerii, aut ex pertinaci

Ggg 3 in-

inobedientiâ, indignus est tâm sancto officio & potius rejici, quâm cogi debet; Qui vero ob certas quamvis insufficientes causas tergiversatur, ille ostensâ illarum futilitate convincendus, persuationibus ac increpationibus, si opus fuerit, cogendus est. Sed hæc coactio non est herilis aut violenta, adeoque nec propriè dicta. Itaque cum invitum ordinari vult Constitutio Leonina, & quæri cogendum, non hoc præcisè exigit, ut obtorto collo quis rapiatur ad altare & in Episcopum ordinetur, sed per contrarium demonstrat, non esse ambitiosius quærendum Episcopatum, nec sifenter & cum flagranti quâdam animi cupiditate appetendum. Invitus enim hic dicitur, qui mallet non ordinari, qui cum aliquâ animi molestiâ ad altare ducitur, qui deprecatus istud officium non auditur, qui ægrè persuadetur, ut munus delatum suscipiat. Hi tales enim plerumque suo optimè defunguntur officio, & quod necessarium ab initio fuit apud eos, deinceps resolutur in voluntarium.

LXXXI. Benè Thomas Aquinas in 2.2. q. 185. a. 2. dum objectio nem ex Proverb. XI. petitam considerat, respondet, dispensationem spiritualium non cuiusvis arbitrio faciendam, sed DEI primum dispositione, deinde prælatorum, qui DEI ministri, Christique ministrorum dispensatores sunt. *Hic ergò frumenta non abscondit, qui ab aliorum gubernatione vacat, si ei nec ex officio competit, nec à superiori injungitur: sed is, cui id alterutro modo incumbit, & recipere pertinaciter renuit. In Episcopatus itaq; assumptione duo consideranda: prius, quid hominum facere deceat juxta propriam voluntatem: posterius, quid juxta alienam. Ex illa convenienti homini proprie saluti insistere, ex bdc, quo d' alterius saluti incumbat, id verò ex dispositione alterius potestatem habentis competit. Ad inordinatam voluntatem pertinet, ut proprio motu ad præfecturas & officia efferri, ita contra majorum injunctionem aliorum gubernationem omnino & ut sic dicam finaliter recusare: quia id repugnat tûm proximorum charitati, quorum utilitati se pro loco & tempore exponere, tûm etiam humilitati, quâ superiorum mandato se subjecere quisq; debet &c.* Et in hunc modum rô invitum etiam explicare solet glossa, cuius interpretationes sparsim inventus congeslit Guilielmus Redoanus de Simoniâ part. 2. cap. 7.

LXXXII. Ut ad contrariam Simoniacæ pravitatis descriptionem redeamus, plurima communisci solent, quibus excusatum reddi debeat istud crimen. Et videtur Antonius Episcopus Ephesinus, propter cuius avaritiam canonem secundum Concilii Chalcedonensis compositum fuisse dixi supra, subtiliter admodum excogitasse, quod titulum facinoris speciosum præ se ferre posset. Venundabat enim ille ordinationes Episcoporum secundum valorem annum redditum Ecclesiæ, sive pro modo redditum, ut ait Palladius in vit. Cbryostomi, & sic non ordinationes, nec electiones, sed redditus ipsos & jus percipiendi eosdem materiam faciebat sive nundinatio-
nis

nis. At vero reditus isti nemini competere poterant, nisi qui per ordinationem jus percipiendi obtinisset, neque Ecclesiae tradebantur, nisi per ordinationem; neque etiam electio antecedebat, nisi ad ordinem postea consequendum. Atque idcirco omnia comprehendebantur damnatione illâ, quæ gratiam commercio exponebat. Licet igitur ad officium Ecclesiasticum pertineat jus percipiendi reditus illi officio destinatos, idque jus secundum se & in abstracto consideratum pretio estimabile sit; istud tamen ita illi conjunctum & connexum est, ut non nisi ob illud seu propter illud aliqui competere posit. Dantur enim reditus illi tanquam debitum stipendium propter officium sive ministerium spirituale. Consequenter si alicui vendatur jus percipiendi istos reditus, venditur etiam illi jus spirituale exercendi officium: cum sine eo stipendium officii Ecclesiastici neque esse neque intelligi posit. Optimè in hanc rem Paschalis Papa apud Gratianum c. si quis 1. q. 3. Si quis objicerit, non consecrationes emi, sed res, quæ ex consecratione proveniunt: penitus despere probatur. Nam cum corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale uliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiat, sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit: quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Nullus igitur emat præbendam vel Ecclesiam, vel aliquod ecclesiasticum, nec pastellum nec pastum antea, nec postea pro hujusmodi solvat.

LXXXIII. Qui ab Antonino Episcopo Ephesino pecuniâ data ordinati fuerant, illi se tuebantur consuetudine, & juxta morem receptum pecunias à se datas allegabant. Planè, ut sequentibus temporibus invaluit, ut cum excusari nullo modo crimen hoc posset, & iteratis constitutionibus subinde reprimeretur, perpetuo ad consuetudinem inveteratam recurretur. Improbatum fuerat Ivo Episcopo Carnotensi, quod in Ecclesiâ suâ conniveret ad ejusmodi ordinationum commercia, nec radicitus eveleret crimen tam detestandum. Excusat le Ivo, & quantum ei rei impenderit studium, exponit. Sed mox addit: Si qua adhuc sunt, quæ pro consuetudine antiquâ publicè exigant Decanus, & Cantor, & alii ministri ab his qui Canonici sunt, me contradicente & persequente, Romane Ecclesie consuetudine se defendunt, in quâ dicunt cubicularios & ministros sacri palatii multa exigere à consecratis Episcopis vel Abbatibus, quæ oblationis vel benedictionis nomine palliantur, cum nec calamus nec charta gratis ibi, ut ajunt, habeatur. Et hoc quasi lapide conterunt frontem meam, cum non habeam, quid respondeam &c. Scripsit hæc Ivo in epist. 133. ad Richardum Legatum Ecclesiae Romanæ, ut quasi retorqueret, & in Ecclesiam Romanam coniceret, quod sibi & suæ imputabatur Ecclesiæ.

LXXXIV. Sanè multa tribuuntur in actionibus humanis consuetudini, quæ aliquando in voluntatem hominum aliquod sibi vindicat imperium.

perium. Et tolerabilia hinc dicit JCtus, quæ vetus consuetudo comprobat, l. 13. in fin. ff. de pollicitat. Et proinde, qui consuetudinem civitatis secutus peccat, non dolo id facere videtur, sed quod putet jure fieri. Veruntamen si mores, quos sequimur, juri divino, aut rectæ rationi repugnant, nullum ex eis peti potest præsidium. Mala enim consuetudo non minus, quam perniciose corruptela abicienda & vitanda est: quæ nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab impiis assumitur, & incipiunt prævaricationes & variæ prælumptiones celerrimè non compressæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari, cap. 4. dist. 8. Nec verò vincere legem talis consuetudo, neque excusari ullâ ratione potest, sed tanto diutius infelicem animam afflit, atque Ecclesiam ut & Remp. laedit, quanto majore tempore toleratur. Dd. ad c. fin. §. de consuetud. Atque hinc damnatur talis consuetudo in articulo X. instructionum, quas patriarcha tempore ordinationis suæ dabat metropolitanus, in Jure Græco-Rom. lib. 6. Quapropter hæc (Simonia) omnino exscindenda venit, ac ne consuetudinibus quidem (ταῦς λεγομέναις αὐτοφείαις) quas vocant, aditus & fenestra patefacienda est. Etenim hæc que dicuntur consuetudines, uti cum avaritiæ morbo irreperunt: ita non minus quam hæc, siquidem non etiam magis ad condemnationem pontifices, qui harum participes facti deprehenduntur pertrahunt, quandoquidem sub honestâ larvâ Simoniæ hæresis exercetur.

LXXXV. Alium insuper colorem, quo facta sua incrustare solent Simoniaci, commemorat, & detergit Nicolaus de Clemangis de præsul. Simoniac. his verbis: Sed audiamus, quam pulchro pallio suum crimen obumbrant. Non, inquit, ordinem vendimus, nec pro ordine ista dantur, sed pro Literâ. pro Sigillo. pro Notario. Solet plerumq; mentiri iniquitas sibi & declinare cor suum in verba malitia ad excusandas excusationes in peccatis. Finguntur profecto ista, non vero dicuntur. Nam & sapè viisi sunt, qui ut scelus Simonicum isto mendozo velamine obtectum effugerent, literas habere noblebant, & tamen pecuniam dare alioqui non ordinandi cogebantur. Imò verò ne ordinati solvere recusent, non ante a eorum nomina in chartâ ordinandorum inscribuntur, quam postulatam à se summan tradiderint, quæ in cuius cedat emolumentum, prælatine an sui scribæ, testis est DEUS, testis etiam potest esse scriba ipse. Sed esto in notarii cederet commodum, quæ ratione aut æquitate sit, ut Episcopus suo notario de alienâ satisfaciat pecuniâ inter tantam multitudinem effeminatae familie suis sumtibus pastæ. Unum congruenter potest habere notarium sibi in rebus honestis & spiritualibus, & ad Pontificalem maximè dignitatem pertinentibus servientem, cui sicut cætera familiae, de propriis reddat mercedem facultatibus, ne ille cum gravissimâ ipsius Episcopi infamia talibus cogatur angariis illos, qui ordinandi sunt, opprimere. Sed quid opus est de sigillo, de literâ, de notario plura loqui, cùm in sanctis sit expresse cautum.

cautum canonibus, ne aliquid etiam pro calamo liceat sumere, quo uno verbo bæc omnia sollicita vigilantia excluduntur &c.

LXXXVI. Priscā ac nimis durā severitate utitur Clemangius, & omnino ex mente Leonis Imperatoris, quiq[ue] tūm temporis Ecclesiam Constantinopolitanam gubernavit, patriarchæ Gennadii. At enim, quantæ interea temporis (millenarius is prope est inter Leonem & Clemantium) exortæ fuerint circa disciplinam Ecclesiasticam mutationes, prolixum hīc nimis esset singulatim exponere. Vix septuaginta à promulgatione Constitutionis Leoninæ excesserant anni, cūm ita invaluit consuetudo in contrarium, ut evellere eam & abrogare desperaret Justinianus Imperator, sed circumscribere & certis limitibus coercere satius duceret. Nec verò deerat illis, qui consuetudinem illam continuabant, prætextus, & honesti nominis species. Quod enim Episcopis, qui in ordinatione præsentes erant, dabatur, enthronisticum sive inthronisticum dicebatur propter thronum scil. sive cathedram adeptam, aut, uti hodiè vocari solet, propter installationē. Julianus antecessor Constantinopolitanus redidit per cathedralicū. Sed cathedralicū communiter dicitur illud, quod Episcopo pro honore cathedræ solvit in signum subjectionis, quodque in duobus solidis consistere voluit Concilium Bracarense II. cap. 2. & Toletanum VIII. c. 4. Quod verò Clericis & Notariis dabatur, qui in eā ordinatione ministrabant, συνίστα vel consuetudo in specie dicebatur. Quales consuetudines, quod ex charitate proficerentur, obligationem inducere, communiter statuunt Canonistæ. Vid. Joh. Papon. lib. 1. tit. 12. ares. 1.

LXXXV.I. Operæ precium erit ipsum nunc audire Justinianum, ut consuetudini & præstationibus illis modum præscripsérit, novell. 123. cap. 3. Pro consuetudinibus autem, inquit, illa sola permittimus præberi ab ordinatis Episcopis, quæ subsequenter præsenti legi inserta sunt. Jubemus igitur beatissimos Archiepiscopos & Patriarchas, hoc est, Senioris Rome & Constantinopoleos, & Alexандrie, & Theopoleos, & Hierosolymorum, si quidem consuetudo babet Episcopis & Clericis in eorum ordinatione non minus quam viginti auri libras dari, ipsa solummodo præberi, quæ consuetudo recognoscit. plus autem ab hac quantitate nibil supra viginti auri libras præberi. Metropolitas autem à propriâ Synodo, aut à beatissimis Patriarchis ordinatos, & alios omnes Episcopos, qui aut à Patriarchis, aut à Metropolitis ordinantur, dare pro inthronisticis quidem solidos centum: Notariis autem ordinatis, & aliis ministrantibus ei & solemniter accipientibus solidos trecentos. Si verò Ecclesiæ redditus minus quidem quam triginta auri libras per annum reddant, non minus autem quam decem: dari pro inthronisticis solidos centum; aliis autem omnibus, qui ex more capiunt solidos 200. Si verò minus quidem quam decem, nou minus autem quinq[ue] auri libras Ecclesiæ

Hbb redi-

reditus esse contigerit, pro inthronisticis quidem dari solidos quinquaginta, omnibus autem aliis ex consuetudine percipientibus, solidos ducentos. Si autem minus quam quinq^u, non minus autem duas auri libras Ecclesia reditus habeat, pro inthronisticis solidos decem & octo: omnibus autem aliis ex consuetudine percipientibus solidos 24. Si autem minus tres, non autem quam duas auri libras quantitas redditum Ecclesia comperiatur, dare pro inthronisticis quidem solidos duodecim, pro omni vero alia consuetudine solidos sex. Episcopum enim Ecclesia minus duas auri libras reditus habentem, neque pro inthronisticis neque pro alia qualibet consuetudine dare aliquid permittimus. Hec autem quae preberi disponimus, primus presbyter ordinans Episcopi & Archidiaconus suscipientes, ex consuetudine percipientibus dividant haec. Igitur jubemus haec omnibus modis observari: ut non ex talibus occasionibus Ecclesia debit^{is} prægraventur, & sacerdotia venalia fiant. Si quis autem ultra quantitatem à nobis definitam pro inthronisticis aut consuetudinibus quolibet modo præsumat accipere: jubemus quicquid plus accepit, triplum ex rebus ejus vindicari Ecclesia dantis.

LXXXVIII. Non introduxit Justinianus has præstationes, sed introductas represerit, & ad certum modum reduxit. Modus constituit in eo, quod, si Patriarcha aliquis ordinari debuit, præstationes istæ excedere non deberent libras auri viginti, hoc est, 140. aureos; si Episcopus, quod non deberent excedere solidos trecentos. Et modus ille constitutus fuit ad modum & rationem redditum cujusque Episcopatus. Quæ proportio non multum abit, imo vero planè convenit cum eâ, quam observari voluit Antoninus Episcopus Ephesinus, sed cuius facta, ut supra dixi, approbare noluit Concilium Chalcedonense. Nec approbasset forte Justinianus, nisi consuetudini isti eradicandæ imparem le sensisset. Non iniqua tamen haec videri poterat Justiniani constitutio, propterea, quod ex pluribus disstis locis convenire oporteret Episcopos, si qua ordinatio facienda esset, à quibus, ut suis sumptibus negocium hoc aggredierentur, postulari haud poterat, præsertim cum aliquot s^ep^{te} dies commorandum esset, antequam plenè expedirentur omnia. Reliquis vero Clericis & Notariis, quos præsentes esse oportebat, non iniquum videbatur, si aliquod offerretur honorarium, idque intra certum modum co^rceretur. Eaque propter noluit Imperator, ut ordinatus præstationes istas distribueret ipse, sed ut eos daret primo presbytero & Archidiacono, qui deinceps ex consuetudine percipientibus dividerent, ne scil. ultra quantitatem definitam daretur aliquid aut acciperetur, neve Ecclesiæ debit^{is} prægravarentur & sacerdotia venalia fierent.

LXXXIX. Ut præterea, quæ hic permisit Justinianus, præstaretur quid amplius, levere prohibuit, non in hoc tantum capite, sed etiam cap. 16. ubi addidit, præstationes istas ordinantium ministris fieri solitas, excedere non

non debere emolumenta, sive ut Haloander vertit, diaria unius anni. Sed quia usū invaluerat, ut Episcopus noviter ordinatus etiam suæ propriæ Ecclesiæ, ad quam destinatus fuerat, ministris aliquid daret pro insinuatione, h. e. pro inscriptione in matriculâ illius Ecclesiæ, quod emphanisticon dicebatur, noluit Justinianus id tolerare, sed modis omnibus prohibuit: *In sanctâ, inquit, Ecclesiâ, in quâ constitutur sacrum completere ministerium, & nulla penitus propriis Clericis dare pro suâ insinuatione: nec ob banc causam propriis emolumentis, aut aliis portionibus hunc privari. scil. permittimus.* Et quamquam propter emphanisticon istiusmodi aliam specialem legem ediderit in novell. 56. exceptit tamen ibi sanctissimam majorem Ecclesiam Constantinopolitanam, in quâ consuetudinem istam abrogare noluit. propterea, ut videtur, quod in hac Ecclesiâ, non ita ut in cæteris, avaritia invaluisset. Sic enim ibi loquitur: *Qui ordinantur à tuâ reverentiâ clerici in sanctissimis Ecclesiis (absque tamen sanctissimâ majori Ecclesiâ) omnium patiuntur crudelissima, non suspicentibus eos illic Ecclesiis, antequam, quantum voluerint, accipient aurum &c.*

XC. Viguisse videtur ista ab Justiniano ita circumscripta consuetudo usque ad annum Christi DXCV. quippe quo in Concilio Romano à se habito Gregorius I. Papa omnem illam, quam admiserat Justinianus, præstationem prorsus prohibuit, ita ut nihil omnino dare vel accipere deinceps quocunque nomine & colore liceret. Decretum insertum est Registro epistolarum, & legitur lib. 4. epist. 44. Antiquam Patrum regulam sequens nibil unquam de ordinationibus accipiendo esse constituo, neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex eâ, quam nova per ambitionem simulatio invenit appellatione pastelli. Quia enim ordinando Episcopo pontifex manum imponit, Evangelicam verò lectionem minister legit, confirmationis autem ejus epistolam Notarius scribit, sicut Pontificem non decet manum quam imponit vendere: ita minister vel notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam vel calamus venundare. Pro ordinatione verò, v: l pallio, seu chartis atque pastello eundem qui ordinandus vel ordinatus est, omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus predictis rebus, si quis hinc aliquid commodi appellatione exigere vel deferre forte presumperit, in districto DEI omnipotentis examine reatu subjacebit. Ut vires acciperet hæc sua prohibitio, & ut omnino tolleretur recepta hactenus consuetudo plurimis epistolis tum Regem Childebertum, tum verò præcipue Episcopos sui officii admonuit, quas recensere nunc nihil attinet. Non inficiatur tamen, posse Episcopum ordinatum ex liberalitate aliquid dare, sed extra respectum ordinationis acceptæ. Is autem, inquit, qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus post acceptas chartas & pallium aliquid cuilibet ex clero gratia tantummodo causâ dare voluerit, hoc accipi nullo modo probabemus: quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit,

H b b 2

que

que ex accipientis ambitu non proceperit. Ceterum quod supra dixit de pastello, videtur id provenisse ex eo, quod cum ordinati prandio excipere antea solerent ordinatores ejusque ministros, successu temporis pro prandio pecuniam dare cogerentur. Et has sordes reprehendit Gregorius.

XCI. Utrum id, quod summam cum animi contentione conatus fuit, obtinuerit Gregorius, dubitare nos facit Concilium Cabilonense, quod anno DCL celebratum fuit. Quorsum enim can. 16. prohibuisset, ut nullus Episcopus, neque presbyter, vel Abbas seu diaconus per premium ad sacrum ordinem a modo penitus accedat. Quod qui fecerit, ipso honore, quem premiis comparare presumperit, omnino privetur. Nisi fuissent eo tempore, qui contra prohibitionem Gregorii Simoniam commisissent? Imo vero jam tum tempore Gregorii aeo adhuc propiore, anno scil. DCXV. in Concilio Parisiensi V. can. 1. statutum fuit, ut Episcopus absque ullo commodo vel datione pecunie eligatur. Qui canones arguunt, non usquequa observatum fuisse decretum Gregorii. In Graecâ vero Ecclesiâ, et si severè admodum prohibita esset talis nundinatio, enthronisticum tamen sive inthronisticum nihilominus dabatur, non ordinatori quidem amplius, aut reliquis Episcopis, sed Clericis pauperioribus. Constat id ex mandato, quod dari solebat Metropolitano & Archiepiscopo, cum ordinabatur, quodque refertur in Jure Graeco-Rom. lib. 6. Ejus sub num. 10. haec sunt verba: Nec item propter abbatis vel archimandritæ vel legati præfessionem, imo ne quidem propter institutionem Oeconomi, vel majoris, quod horribilis denique non propter ordinationem Diaconi, vel Presbyteri, vel Episcopi quidquam prorsus ullo modo, nec ante ordinationem, nec post ordinationem sumere convenit. -- Atq. hanc ob causam statuimus, ut inthronismus, quem vocant, non ei, qui ordinat Episcopum, (abfit, ut hoc fiat) sed pauperioribus Clericis, vel alio quadam ecclesiastico munere fungentibus ratione facultatum Ecclesiasticarum habita detur. Quippe si locuples sit Episcopatus, ne quaquam prohibemus, quo minus in eos, qui ministeriis Ecclesiasticis inserviunt, & in opem vitam traducunt, velut ex beneficentia manuscula quadam conferantur.

XCH. Dum vero circa annum DCCXLIV. Zacharias Papa multis verbis se purgat ab Simoniae crimine, per Bonifacium Archiepiscopum sibi objecto, epist. 5. facile licet inde colligere rationem, cur Bonifacius, cum antea pro tribus Archiepiscopis in Gallia pallia ab eo postulasset, mutata sententiâ unum tandem petierit pro uno Grimone. Crediderat scil. rumori, tam cara Romae esse pallia, ut illis comparandis vix ullae sufficerent Ecclesiæ. Sed Pontifex neque pro palliis sese expetere quicquam, neque pro chartis aliquid accepisse docet, & anathema dicit illis, qui secus fecerint. Sed quod ita de se prædicavit Zacharias, vix sibi omnes tribuere potuerunt Episcopi reliqui. Certè ex Nicolao Aragonio Cardinali circa annum MLV. notat

notat Cardinalis Baronius num. 16. eo tempore Simoniacam hæresin totam Italiam & Burgundiam occupasse. Clam enim hominibus cum perpetrari ista talia soleant, non prius animadverti possunt, quam post plurimum infectionem & reatum. Ejusque rei exemplum sumi potest ex actis Concilii Remensis anno MXLIX. habitu, ubi plurimi semetipsoz criminis ejus reos prodiderunt Episcopi. Imo vero ipsam etiam Romanam sedem non toto post Zachariam seculo labe ista contaminatam fuisse docet caput II. Concilii Parisiensis VI. celebrati anno DCCCXXIX. Proinde oportet, ut in electione Sacerdotiorum, valde execranda Simonica hæresis, quæ propter quorundam avaritiam & ambitionem modernis temporibus dignitatem Sacerdotalem fuscare comprobatur, nihil sui detectandi juris habeat. — Quæ etiam DEO odibilis pestis primum necesse est, ut Imperiali autoritate & potestate cum consensu venerabilium Sacerdotum, à Romana Ecclesiâ amputetur: quoniam si caput languerit, membra incassum vigeant necesse est Eccl. Possent propiora Zachariæ ævo tempora allegari, quibus inquinata hoc vitio Romana sedes dicta fuit, si quidem credendum esset Tarasie Patriarchæ Constantinopolitanæ epistola, quam scripsit ad Hadrianum Pontificem Romanum, prout ea latinè legitur in Jure Græco-Rom. lib. 3. & adducitur à Baronio ad ann. 787. n. 61. In illâ enim hæc leguntur verba: *Fraterna ergo vestra sacerdotalis sanctitas, quæ non jure nec ex DEI voluntate pontificale munus administrat, magna laborat infamia.* Quæ verba faciunt, ut & Baronius d. l. n. 60. & Severinus Binus tom. 3. Concil. pag. 262. imposturæ reum faciant Theodorum Ballamonem, quod dolosè epistolam hanc suppulerit. At verò si Græcos istorum verborum legatur contextus, qualem eum sustinet jus Græco-Romanum, & cum versione latinâ exhibit Guilielmus Beveregius in *Synodico Ecclesie Græce*, tom. 2. pag. 184. planè contrarium inde evincitur. Sic enim se habent: *Ἡ ἀναδελφικὴ ὑμῶν ἱεροπέπτης δέχεται τὸν ἐνθέτων, καὶ τῷ θεῷ βέλητη πενταεύσοις τὸν ἱερορχικὸν ἀγιστίαν, διαβίντον ἔχει τὸν δόξαν.* i. e. Fraterna ergo vestra sacerdotalis sanctitas, quæ legitimè atque ex DEI voluntate pontificale munus administrat, per celebrem habet gloriam. Non est igitur, quod ita succenseant Ballamoni Baronius & Binus, quibus plerumque vapulat ille, si quid vel pro περιεργίᾳ Sedis Constantinopolitanæ, vel contra Sedem Romanam scriperit singulare.

XCIII. Ad praxin lequieris Ecclesiæ si descendendum fuerit, p. ora semper invenientur & frequentiora exempla. Fundamentum & rationem ejus rei ita explicat Petrus Svavis in hist. Conc. Trid. lib. 6. In Occidentali (Ecclesiâ) bonis licet frementibus, negotiatio alibi magis, alibi minus obtinuit ad usq[ue] annum salutis millestimum, quo tempore facta inter ordinationem & collationem beneficii distinctione, ordinatio cœpit gratuito concedi, sed in collatione precium ex-

430 CAP. V. Electionem animo integro & incorrupto perfici,
i^gi manifestius. Ex eo crevit semper abusus, variis imponitis denominationibus,
utpote annatarum, minutorum servitiorum, scripture, sigilli, & istiusmodi tegu-
mentorum, quibus cooperatus grassatur per Ecclesiam, exigua spe ejus aliquando
tolkendi, quoad Christus ipse aliâ vice nummulariorum mensas evertat, & flagello
nundinatores istos è templo ejiciat. Verum ordinationi, que à collatione bene-
ficii separata gratis administrabatur, non diuturnum fuit id gaudium. Episcopi
enim spreta ea, tanquam abjecta & infrustruosa ad alteram solam, unde emolumen-
tum percipiebant, erant attenti. Unde à veris Episcopis in solo temporali admis-
trando occupatis, relitta pedetentim ordinationum administratione instituti epi-
scopi titulares, qui ministeria Episcoporum Ecclesiastica obirent. His, quod re-
ditus nullos possiderent, necessum erat è functionibus, quas obibant, sibi vitumpa-
rare: i^g vicissim, quos ad ordines admittebant, bis aliquid conferre cogebantur,
primum eleemosynæ nomine, sive oblationis, dein honoratore titulo donationis, ac
denique ne, cùm debitum esset, omittetur, imposito nomine mercedis, nonque
Episcopo ordinanti, sed famulis ejus, aut tabellioni, aut aliis inter ordinandum mi-
nistrantibus cederet.

XCIV. Hinc igitur tot in scriptis veterum inveniuntur querelæ, qui-
bus pessimos seculi sui mores detestantur, & Ecclesiasticam disciplinam,
pristinamque integratatem revocatam cupiunt. Glaber Rodulphus, cu-
jus antea feci mentionem, Historicus & vii non contemnendus, lib. 2. c. 6.
ex professo quasi satyram scribit, inter alia his verbis: *Jamadudum muneribus*
mentis excœcatis penè universis Principibus deservit hæc pestis, longe lateq; in ecclæ-
siarum quibusq; prælatis toto terrarum orbe diffusis, deniq; omnipotentis Christi
Domini gratuitum ac venerabile donum ad propriæ damnationis cumulum con-
verterunt in avaritiae lucrum. Ideoq; hujusmodi videlicet prælati tanto minus ad
divinum peragendum opus inveniuntur idonei, quanto constat, quia non ad illud
accesserunt per aditum principalis ostii. Et licet adversus talium personarum pro-
pacitatem multipliciter clamet sacrarum Scripturarum canon, nunc tamen soli-
to multi iplicius comperitur fieri in diversis Ecclesiistarum ordinibus. Nam ipsi Re-
ges, qui sacre religionis idonearum decretores personarum esse debuerant, mune-
rum largitione corrupti, potiorem quempiam ad regimen Ecclesiistarum vel anima-
rum dijudicant illum videlicet, à quo ampliora munera suscipere sperant. Atq;
idcirco permaxime quiq; procaces ac turgore superbiae inflati, sese ultrò cuiq; præ-
lationi ingerant, minus formidantes incurrire lapsum neglectæ pastoralis curæ, quo-
niam tota solummodo illorum fiducia pendet ex loculis collectæ pecuniae, non ex per-
ceptæ donis sapientiae, tantoq; amplius adepto regimine student avaritiae, quando
constat propriam ex illâ ambitionem implesse: ac velut idolo sibi pro DEO con-
stituto illi serviunt, per quam scilicet informati ad tale nomen absq; merito vel ope-
re proruperunt, sitq; minus cautis deceptoria imitandi forma, ac perinde vicissim
con-

contumax inadvertia &c. Plura sequuntur, quibus crimen hoc graviter persequitur.

XCV. Pelagius Alvarus Episcopus Sylvensis seculo XIV. scripsit & edidit insigne opus de planctu Ecclesiae, in quo tum ipius Papae, tum Cardinalium, tum & praelatorum aliorumque Sacerdotum vitia acerrime perstringit. Inter alia de praelatis lib. 2. art. 9. ita plangentem facit Ecclesiam: *Pro pecuniis celebrant. Corpus Christi pro pecuniâ vendunt, pro pecuniis consecrant & ordinant, pro pecuniâ omnia conferunt Sacra menta. Sacra menta emunt, Sacra menta vendunt, sed gratiam non conferunt, quam non habent. Nihil datur gratis, nihil accipitur gratis.* Et art. 7. *Ordinationes in Ecclesia, prout communiter auro emuntur, auro venduntur, auro Sacra menta emuntur, & aurum querunt.* Eodem modo Aeneas Sylvius, qui postea Pontifex creatus fuit, epist. 56. *Nihil est, quod absq[ue] argento Romana Curia dedit.* Ipsa manuum impositio, & Spiritus S. dona venduntur, nec peccatorum venia nisi nummatis impenditur. Et Antonius Florentinus Archiepiscopus in Chron. part. 3. tit. 22. ad ann. 1388. Tempore hujus Bonifacii curia infamis habebatur de labe Simonie, ut beneficia non tam meritis conferrentur, quam plures pecunias afferentibus. Et replevit orbem terrarum indulgentiis plenariis, ita ut parva Ecclesia in suis festivitatibus parvo pretio eas obtinerent.

XCVI. Ne nimius sim in coacervandis ejusmodi testimoniis, unicum adjicere libet Franciscum Petrarcham, qui in lib. 1. de remed. utr. fort. dial. 107. hunc in modum de pontificatu maximo verba facit: *Solebant primi ex hoc statu ad martyrium peti. Nunc ad delicias vocari credunt, ideoq[ue] certatim hic locus appetitur, & buc omnium fermè mortalium vota suspirant.* Quis autem vel Romanum vel quemcunq[ue] pontificatum aliam cupit ob causam, nisi quo potentior ac ditior sit? Contra iustitie preceptum praesesse queritur non prodesse, quodq[ue] sacrilegium pudendumq[ue] vel dictu est, magnis s[ecundu]m muneribus, quin & pacis & sponsoribus spes emitur sacerdotii pinguioris. O vertigo morum pessima, ad quod olim consueverant & deberent cogi homines, inde nunc retrabi non possunt, & tam præceps servet ambitio, ut non Christianus pudor ac modestia videatur, sed ardor & pervicacia pagorum, quam in bujusmodi petitionibus tantam suisse didicimus, ut de Julio Cæsare leatum sit, quod pontificatum maximum petiit non sine profusissima largitione, in quam reputans magnitudinem eris alieni, cum manè ad Comitia descenderet prædicti se matri osculant fertur, domum se nisi Pontificem non reversurum; nec fecerit, Pontifex est reversus. --- At Christiano homini, cui propositum sit servire, dominiq[ue] sui jugum ferre, pontificatum, quomodo licet ambire non video, non modo largitione profusissimā, sed quod non multo minus est turpe, blanditiis atq[ue] mendaciis, indignis Viro artibus, sed communibus adeo, ut hac ferè jam unica sit in altum via.

XCVII. Qui-

XCVII. Quibus ita sufficienter explicatis, nulla nunc nobis cura est de cavillationibus Moralistarum, uti vocantur, quando illi omne suum studium ponunt in eo, ut per mentis directionem illicitum constituatur ingenere licitorum. Hæc enim quotidiana eorum hodiè est speculatio. In specie de Simonia scribit Gregorius de Valentia tom. 3. disp. 6. q. 16. p. 3. Dupliciter potest quis conferre spirituale propter temporale principaliter & tanquam propter finem. Uno modo, si temporale estimet pluris, quam ipsum spirituale; Et tunc omnino committit talis Simoniam. Altero modo potest quis conferre spirituale propter temporale principaliter, tanquam propter finem, ita ut temporale apud eum non sit finis ipsius rei spiritualis. Quasi temporale pluris ab eo quam spirituale estimetur; sed tantummodo voluntatis sive applicationis animi ad actum conferendi spirituale: Et hoc non est Simonia. Et paulo post: Cum petitur temporale pro Spirituali, non tanquam pretium debitum ex justitia, sed tanquam finis applicationis animi ad conferendum spirituale, minimè erit Simonia, etiam si principaliter intendatur & expectetur. Eadem est sententia Tanneri Jesuitæ: Quando, inquit ille, datur spirituale propter temporale vel contra, solum tanquam propter motivum aut solum ex gratitudine & per aliquam compensationem gratuitam, non accedit Simonia, saltem in foro conscientiae, atq; id procedere ait, tametsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris estimetur, quam res spiritualis. Exagitat istas sententias & perstringit Ludovicus Montaltius epist. provinc. 12. Hæc est scilicet subtilitas illa & industria Theologiae accommodatitiae quam vocant, & hi ejus fructus, ut explicentur viæ, quibus absq; Simonia per ambages expediri potest, quod Patres vetustioris Ecclesiæ pro Simoniaco habuerunt. Et multum sane interest, ex Novatorum, sententiâ quâ ratione verba illa, propter pecuniam, vel ob pecuniam, accipientur. Illa enim aliquando pretium Simoniacum significant, aliquando autem nullam planè Simoniam involvunt, quando scil. pecunia nec datur, nec petitur ut precium, sed tantum intervenit, ut motivum superandi difficultates, quæ alias impedimento essent. Vid. Renatus à Valle in Hipparcho num. 139. Non multum ab his discedit, quod statuunt Canonistæ ad c. 23. X. de Simon. post jus quæ situm seu obtentum beneficium aut aliud spirituale donum non esse Simoniam, redimere vexationem, quæ pro jure tollendo injustè intertut, vel probabiliter timetur. Nolumus nos confutandis his inhærere, quippe quæ suam ipsa ex se produnt futilitatem, & per subtile ac spinosas interpretationes veritatem obfuscant.

XCVIII. Pateret hic insuper latissimus de annatis, notissimo in Curia Romana vestigali, disserendi campus, tum de origine earum, tum in primis de justitia, & num Pontifex Romanus, dum eas exigit, ab Simonia via liberari queat? Trepide hic incedit, nec tam constanter atque firmiter, ut

ut alias solet, pedem figit, omnem laudem superans Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis lib. 6. de Concord. Sacerdot. & Imper. cap. 12. Qui annatas illas in subsidium terræ sanctæ occupandæ, aut ad indigentiam Papæ & Cardinalium sublevandam introductas primùm fabulantur, cùm temporaria tantum illa sit exceptio, & omnis jamdudum terræ sanctæ occupandæ spes decollavit, indigentia etiam ita desierit, ut immodicus hodie luxus potius Romæ conspiciatur, parum excusatum reddunt Pontificem. Nec video sanè ego, quid differat hæc Pontificum Romanorum exactio ab facto Antonini Episcopi Ephesini, quod improbatum à Concilio Chalcedonensi dixi supra. Nec frustra sanè liberatum fuit & tractatum in Concilio Viennensi, ut refert Johannes Andreas ad c. inter cætera in fin. de off. ordinar. de imponendâ vicesimâ reddituum omnium beneficiorum pro viâtu Papæ & Cardinalium, ut ab annatis & aliis exactionibus abstinerent, sed omisso, quia, ut inquit, tam insatiabilis est avaritia Pontificum, ut hoc & illud exigenter. Sed neque vicesimâ hâc opus erit in tantâ Romæ affluentâ & Cardinalium omnium apparatu planè Regio. Nobis vero destinatum nunc in animo non est, ut quid de annatis illis sentiendum sit, prolixius exponamus. Hoc certum est, anxiam sèpè onus istud deprecatam fuisse Germaniam, uti patet ex gestis in Concilio Constantiensi & Basileensi, tûm & in Comitiis aliis pluribus.

XCIX. Quæ verò dicta haec tenus à nobis sunt, dubitare nos faciunt, utrum approbari queat decretalis Alexandri III. in c. 18. & . de Simon. Anxius erat de electione suâ Archiepiscopus Strigoniensis, quod Simoniæ labœ contaminata videretur; laboraverat enim pro eâ Apostolica Sedis legatus, & huic dono dederat equum frater Archiepiscopi, eo tamen incio. Interrogatus igitur de hoc casu Pontifex hunc in modum respondit: In hoc, quod P. presbyter Cardinalis Apostolica Sedis legatus pro electione tuâ, & ut pallium tibi traderet, ad partes illas accessit, & frater tuus ejus presciens necessitatem, ei equum unum te ignorantem transmisit: quoniam per mare veniens nullas aut paucas secum equituras adduxit, te nullo modo timere oportet. Cùm in accipiendo vel dandis muneribus tria sunt maximè attendenda: personæ scil. dantis & accipientis qualitas: quantitas muneris & donationis tempus. Qualitas personarum, ut à quo, & cui, videlicet, an à paupere diviti, vel e converso, si ve à divite locupleti datum fuerit: estimatio muneris & donationis tempus, si magni vel minoris pretii res data existat, & an instanti necessitate, seu alio tempore conferatur. Si ergo preditorum Cardinalis & fratris tui personam & qualitatem pensamus, non sicut magnum ab eodem fratre tuo, Cardinali equum unum transmitti, quem etiam joculatori non petenti Vir tantus & tam abundans forte donaret. Verum si temporis necessitatem perpendimus, non aliâ intentione hoc constat factum fuisse, quam ut Cardinali subveniretur in articulo prænotato. Quod

I ii

autem

autem scriptum est: *Beatus qui exeat manus suas ab omni munere: de illis donis dictum est, quae accipientis animum allicere vel pervertere solent: quoniam si ipsa etiam persona electi offerat Ordinatori vel Consecratori suo electuarium, aut de vino, sive de aliis bacismodi, quae modici pretii fuerint, & quae voluntatem recipientis inclinare vel movere non debeant: non tamen Ecclesia Romana interpretari consuevit, accipientem in his delinquere vel donantem.*

C. Verum enim vero verendum est maximè, ne per hanc sententiam improbitati & avaritiae quam spesimè velum obtendatur. Etsi enim excusari in certo statu munerum acceptio queat, atque in hanc rem circumstantiae personarum dantium & accipientium, munerum ipsorum, ut & temporis atque occasionis attendi debeant; in praxi tamen non leves se exserent difficultates, cum parum profit, si apud homines nos absolvant distinctiunculae, & conscientiae nos apud DEUM accusent. Licet enim, quae offeruntur, minutula spes sint gratitudinis aut affectionis symbola, quae animum accipientis corrumpere haud videantur, nec tanti sit electuarium aliquod, ut Ordinator inde in transversum se rapi patiatur; quia tamen etiam in minimis sustinetur affectio, & ex levioribus ad majora vel optanda vel captanda facilis est transitus, insuper etiam exiguo dono ita occupari animus hominis potest, ut in electione donanti magis faveat, quam alii alicui æquè digno aut etiam digniori, ille etiam qui donat illud intendere potest, ut sibi benevolum reddat electorem, satius erit, circa actum electionis & ordinationis omnibus in universum largitionibus, quantumcunque illæ fuerint, abstinere.

CAP. VI. *De Postulatione.*

I.

Postulationis vocabulum antiquum est quidem, sed significatio ejus, de qua nunc agendum est, recentior. Clerici etiam olim quandoque & haud raro ad populi postulationem eligebantur, ut indicium ejus apparet ex *L. 49. Cod. Theod. de decurion.* sed postulatio tum & electio non ita distinguebantur, ut hodie communiter fieri solet. Postulatio & electio eo tempore promiscue dici solebant *c. literas dist. 63.* si quidem a populo primum nominatio Episcopi facta fuisset. Nam & *B. Ambrosius electus* dicitur, apud *Gratianum c. Valentinianus d. dist. 63.* qui a populo Mediolanensi primum postulatus fuit. Inerat enim electioni postulatio, quandoquidem non ordinabantur Episcopi sine electione cleri & petitione plebis.

bis. Sequioribus vero temporibus inter nomina ista differentia satis magna statuta fuit. Postulationis enim vocabulum acceptum fuit pro precibus populi sibi polcentis eum, quem vel alias nexus vel Clericalis vitæ dispar conditio ab electione removebat, & definiri cœpit, quod sit persona non idoneæ ad dignitatem vacantem superiori facta præsentatio, ut tollat defectum & cum postulato dispensem. Sive, uti definit Henricus Cardinalis Hostiensis *in Junm. ad b. t. n. 1.* est alicujus personæ, quæ eligi prohibetur, non propter vitium, sed propter defectum, qui tamen postulatum non omnino inhabilem reddit, ad providendum Ecclesiæ concors & certa capitulo facta petitio. Et ex hoc scilicet tantum deinceps inter electionem & postulationem credi debuit discriminem, ut nullo modo conjungi amplius possent. Nec licuit adeo cuiquam suffragium suum ita formare: *Eligo Spastulo, prout melius de jure valere potest; vel: eligo postulando, & postulo eligendo, vel: eligo postulandum & postulo eligendum. c. un. b. t. in 6.*

II. Quo autem tempore ita discriminari cœperint hi duo vocationis modi, & quando postulatio ad personas minus idoneas restricta fuerit, difficile erit explicare. Nec enim id, quod ab antiquo usu in partes planè diversas & contrarias recessit, uno simplici actu invalescere potuit; sed, uti in aliis rebus & negotiis omnibus fieri communiter solet, sine dubio etiam hic res ab exiguis profecta initii, nemine ferè animadvertente, eò crevit sensim, ut infinitis tandem intervallis distare ficeret, qui conjuncti antehac fuerant, sacerdotii acquirendi modos. Et probabile est, tūm temporis, cùm ab electione primū excluderetur populus, nec tamen impediri semper posset, quo minus animi sui sensa circa eligendos exponeret, postulationis vocabulum ad eum calum applicatum fuisse, quando populo penti & Episcopum nominanti à præsente Clero consensus præstaretur. Postquam vero ad solos Canonicos electio translata fuit, etiam ab illis solis postulatio fieri cœpit, ut hodiè ex doctrinâ Canonistarum, quando de postulatione agunt, nullus amplius respectus sit habendus ad populum, ut olim, sed ad solum Collegium Ecclesiæ Cathedralis, quod ex canonice constat.

III. Sanè eo tempore, quo populus adhuc pastore destitutus Regem suppliciter postulabat, ut virum à se designatum Episcopum esse permittere, non ideo postulabat, quod inidoneus ille esset & ejus conditionis atque notæ, ut ad dignitatem Ecclesiasticam per viam ordinariam canonice institutionis evehi non posset, sed quod ipse solus Episcopum eligere non posset, atque adeo non Regis tantum autoritate, sed etiam Cleri consensu opus esset. Nec enim in formulâ, quam nobis conservavit Marculfus Monachus *lib. 1. c. 7.* ulla fit mentio alicujus inhabilitatis, neque in eâ petitur, ut habilem eum reddat Rex aut Senior imploratus, sed simpliciter, ut per-

ionam nominatam confirmare velit. Quoniam, (ita i.e. habent verba) sanctæ memorie Vir Apostolicus ille, illius Urbis Episcopus, fine adpropinquante ab hac luce migravit, tempore naturæ complenti, ne desitutæ sint, quod absit, oves decedente pastore, in loco ejusdem suppliciter postulamus, ut instruere dignemini illum, aut venerabilem illum cathedræ illius successorem, in quo est perspicuitas sublimis, ingenuitas nationis, elegantia resurgens, diligentia castitatis, charitatis locuples, voluntatis irrefragabiliter manu nostrâ hunc decrevimus consensum roborare. Vixit Marcellus & scripsit circa annum Christi DC LX. quo quidem tempore nulla talis adhuc inter electionem & postulationem cognita fuit differentia.

IV. Ex quo verò tanto inter se intervallo distingui istæ cœperint, ut conjungi nullo deinceps modo amplius possent, valde laboratum est, ut quæ antea sub tali charactere incognita erat, postulatio, in certam quasi redigeretur artem. Quæ quidem in re maximè occupatus fuit Innocentius III. Pontifex, cùm pleraque ea, quæ disciplinæ causâ traduntur, ex ejus decretalibus addiscenda sint, nec ad antiquiorem autoritatem provocari facile queat. Quæ tamen singula, cùm novioris Ecclesiæ inventa sint, longo ordine hic explicare noltrum non fert institutum. Videntur vero pleraque ea, ut alia plura, eum præcipue in finem excoxitata primū fuisse, ut Curia Romana ærarium pro impertiendâ gratiâ & dispensatione aliquod haberet emolummentum.

CAP. VII.

De Provisionibus papalibus.

I.

Ignota prorsus fuit veteribus ratio hæc constituendi Episcopos, & seculo decimo tertio demum maximè invaluit. Jam enim inoleverat, (sinquit Cranzius lib. 9. metrop. c. 23. & loquitur de Verdensi Ecclesiâ à Clemente V. provisâ) ut Apostolica provisione darentur Episcopi, posthabitâ capitulo-rum legitimâ electione. Natae vero fuerunt provisiones istiusmodi fine du-bio exinde, quod in ipsis electionibus Ecclesiarum Cathedralium pluri-mum tributum fuerit Pontifici Romano, atque is haud veritus sit Metro-politanorum jura sibi adscribere. Quod si enim divisa essent eligentium suffragia aut quid aliud incidisset, quod electioni aliquod vitium inferret, ad Metropolitani quidem judicium decisio ejus rei pertinebat, sed ita, ut ad Romanam Sedem deinceps per modum appellationis recurreretur. Quod si porro negligentes fuissent electores, aut scientes volentes eligi-sent indignum, aut formam electionis præscriptam non observassent, eli-gendi

gendi potestate privabantur, & ad Pontificem Romanum ea potestas de-
volvebatur, c. 17. *de elect. in 6.* Accesit deinde, quod Pontifex Romanus
sibi uni reservasset jus admittendi cessiones Episcopatum, disponendi
circa translationes Episcoporum, & constituendi Coadjutores cum futurâ
successione. Et sic, quod ab initio totius fuit Ecclesiæ, jus eligendi præpo-
fitos Canonici primum sibi vindicarunt, & tandem etiam horum autori-
tate & potestate contemptâ rapuit Pontifex Romanus.

II. Hanc verò artem præcipue exercuit Johannes XXII. Pontifex
& in Britanniâ potissimum atque Germaniâ. Testaturque Albertus
Cranzius *d.lib. 9.c. 16.* vacante sub eo Ecclesiâ Bremensi, neminem fuisse,
qui ad pontificatum adspiraret, *scientibus cunctis, quod frustra niterentur, cum*
Apostolicâ provisione sedes implenda putaretur. De eodem ita scribit Hen-
ricus Rebdorff in annalibus: *Johannes XXII. prius vocatus Jacobus de Ca-*
thurio de Wasconia multas gratias de Ecclesiasticis beneficiis fecit, & ita pin-
gues clausulas formis gratiarum suarum apposuit generaliter, quales antea ab ali-
quo Papâ non emanaverunt, & dispositioni sue tot prælaturas reservavit, quod ante
ipsum ita communiter consuetum non erat. Et porro sub anno MCCCXXXIII.
In Alemanniâ, inquit, magnum schisma est in Clero & populo ex provisionibus
sedis Apostolice ad Episcopatus, solempnes prælaturas & alia beneficia, que idem
Ludovicus in odium Sedis Apostolicae fortiter impedivit, multos etiam provisos
à sede dejectit. Anglia verò per ejusmodi provisiones tûm temporis mul-
tis modis vexata fuit. Jam enim illa de Episcopatibus providendis Papa-
lis consuetudo ad immoderatam licentiam excreverat, ut *Episcopatus in*
Angliâ nullus vacaret (refero verba Adami Murimutenis, prout ea historiæ
de antiquitate Britannicae Ecclesiæ inservit Johannes Josselinus *in vita Si-*
monis Mepbam) cui ille ante prioris Episcopi mortem de Successore longè ante
non providisse contenderet. Ita & eligendi jura violavit, & Episcopatus pro
suo arbitrio imperitioribus plerumq; contulit. Ac priores pape modum saltem in
bâc providendi injuriosâ licentiâ aliquem retinuerunt. Sed isti posteriores justi-
tie finibus ab antecessoribus suis semel violatis, modum in injuria nullum probabant,
sed de omnibus sine discrimine providere coeperunt &c.

III. Inde verò non opibus tantum, sed potentia etiam valde aucta est
monarchia Papalis. Quia enim non nisi ex arbitrio & beneplacito Ponti-
ficiis Romani constituebantur Episcopi, dependere illi solebant ex ejus nu-
tu, & sic mera erant mancipia, nec tam studebant Ecclesiæ suæ, quam ut
placerent auctori & creatori suo. Aerarium autem Curiæ Romanæ, quan-
ta ex talibus provisionibus acceperit incrementa, docere nos potest Go-
belinus Persona in *Cosmodromio etat. 6. cap. 85.* ubi sic ait: *Episcopatus*
plurimi & per Alemanniam fere omnes ipsius Pape (Bonifacii scilicet IX.) tem-
poribus vacaverunt: multisq; Ecclesiis persone indigne vel inutiles prefecit sunt.

Iii 3

Et

Et qui plus solvit Papæ, Episcopatum obtinuit: unde pro expeditione circum Italia opportuna multi expenderunt decies tantum, quantum solverunt Camerae Apostolice prædecessores eorum, nam quidam impetrantes Archiepiscopatū, XL. milia, alii LX. milia nonnulli LXXX. milia florenorum Papæ solverunt. Qui ipsi, quando cathedras occuparunt, id studuere semper, ut impensas factas quantocvūs reciperent, & facultates suās tanto damno affectas novis imperatis collectis repararent. Nec quisquam adeo tam sanctus existere solet, qui, dum Episcopatum precio sibi comparavit, administrare eundem animo perdendi illud precium velit. Memorabile est, quod refert Cranzius lib. 10. c. 10. Nicolaum quendam de Misna Priorem & Lectorem in Conventu Lipsiensi à Pontifice creatum fuisse Episcopum Lubecensem. Is verò cùm ad Ecclesiam suam Lubecensem pervenisset, non sibi tantoper complacuit in eā, majorem enimverò spem conceperat de illa, arbitratus, civitatem Lubecensem temporali ejus dominio pertinere: quod cum securus reperisset, graviter sibi indignatus, quod non ante perquisisset rerum qualitatem, ut non tanti laboris & sumptuum impendia fecisset.

IV. Idem Cranzius lib. 11. cap. 24. occasione provisionis à Papâ Romano in Ecclesiâ Mindensi factæ, per digressionem quandam excurrit in descriptionem amplificatæ Ecclesiæ Romanæ, per allegoriam ex pescatione Petri desumptam. *Apud Sedem Apostolicam, inquit, unde est impetrata translationis, etiam obtenta fuit Ecclesiæ relictae provisio. Sic enim statuerunt Pontifices, ut quotquot Ecclesiæ majores vel minores apud Sedem eandem vacuentur, proviso spectare debeat ad summum Pontificem. Benè Petrus laxavit retia, benè duxit in altum, & traxit rete plenum magnis piscibus: unde merito audivit etiam in hoc casu à communi Domino: Modice fidei, quare dubitas? num potens sum tibi dare provincias & regna? tu dubitas? -- Amplificarunt per tempora summi Pontifices magnificè ditionem Ecclesiæ non per euentitatem Constantini donationem, que nunquam facta est, sed per munificentiam' aliorum Principum, sive de Gotbis sive de Longobardis, sive per Magnum Carolum. Amplificarunt in Ecclesiasticis rebus per reservations, confirmationes & provisiones sambrias suas. Laxarunt retia & omnia traxere in suam potestatem. Mirabitur, quisquis annales antiquorum temporum legerit, temporum mutationes, tūm in ceteris, tūm maximè in Ecclesiastica potestate &c.*

V. Quanta verò Ecclesiis inde nata fuerint incommoda, dum præfiebantur sèpè alienigenæ prorsus, & peregrini, qui & lingua & moribus à gente, quam regendam accipiebant, ita discrepabant, ut nulla omnino ab eis expectari & sperari posset. *Historiæ ex historiâ Ecclesiasticâ, quæ eo tempore conscripta est discere licet. Extat elegans epistola Eduardi III. Regis Anglorum ad Clementem VI. Pontificem Romanum apud Thomam Wallinghamum in vitâ ipsius, in quâ vehementer expostulat & exagitat*

tat provisiones Papales, quod per eas contingere beneficia conferri alienigenis, quorum fides Regi suspecta esset, non residentibus & qui vultus concreti gregis minimè cognitos haberent, neque linguam callerent, & propterea animarum curâ, quæ ipsi maximè commendata esse deberet, omisâ nil aliud nisi lucrum ex Episcopatu quærerent. Sed quod dolendum est, inquit, ipsius vineæ propagines degenerantur in labrûscas & exterminant eam apri de sylva, singularesq; fere depascunt eam, dum per impositiones & provisiones Sedis Apostolice, que solito gravius invalefunt, ipsius peculium contra piam voluntatem Ordinationem donatorum, manus occupant indignorum, & præser-tim exterorum, & ejus dignitates & beneficia conferuntur pingui a personis alienigenis, plerumq; nobis suspectis, qui non resident in dictis beneficiis, & vultus commissorum eis pecorum non agnoscunt, linguam non intelligunt, sed animarum curâ neglegit, velut mercenarii solummodo temporalia lucra querunt: & sic diminuitur Christi cultus, animarum cura negligitur, subtrahitur hospitalitas, ecclesiarum jura depereunt, ruunt ædificia Clericorum, attenuatur devotio populi, clerici dicti regni viri in magna literatura & conversationis honestâ, qui curam & regimen possent sibi salubriter peragere, & forent pro vestris & publicis consiliis opportuni, studium deserunt propter promotionis congrua spem ablatam.

VI. Quæ aliquando, ne unis quidem vicibus, turbæ datæ in Ecclesiis fuerint, dum alius à capitulo ribus Ecclesiæ vacantis electus, alias verò Romanâ vel Avinione à Pontifice missus cathedram occupavit, quæve inde contentiones, imò bella sæpè exorta fuerint, longum esset hic per exempla enumerare. Nec puduit sanè Pontifices ex istiusmodi contentionibus locupletari, suamque rem multo cum emolumento agere. Quæ inter Gisbertum Bredenrodiū & Davidem Burgundionem de Episcopatu Ultrajectensi subortæ fuerunt controversiæ, diligenter exposuit Suffridus Petri in appendice ad Johannis de Beka *Chronicon*. Electus erat Gisbertus, & pro eo Romæ petita erat confirmatio, numerata etiam jam pecunia, quam annatam vocant, ut adeò admissa videretur electio. Sed Pontifex, qui tūm erat Calixtus III. à Philippo Duce Burgundiæ corruptus Davidi de Ecclesiâ Trajectensi providebat, multis id indignè ferentibus, uti scribit Wilhelmus Heda in vita Gisberti, etiam illis, qui Romæ erant, absq; eo, quod pecunia Gisberto restitueretur, cuius procuratorem Pontifex sive fovebat inani. Nam cùm denunciaret, rumorem in Urbe versari, quod alteri esset provisum, & saccæ concessæ, repetens idcirco pecuniam depositam, nihil aliud fertur sibi respondisse Pontifex nisi: Fili crede nobis & non aliis, verba enim nostra faciunt fidem &c.

VII. Sæpè tamen admisi non fuerunt, qui ita provisi ex Urbe Romana Ecclesiis occupare voluerunt. De Ecclesiâ Paderbornensi refert Gobelinus Persona in *Cosmodrom. etat. 6. cap. 85.* quâ ratione post electionem Wilhelmi Ducis de Monte intrusus fuerit spreto Wilhelmo Bertrandus de

Aruas-

Aruassanis Canonicus Ecclesiæ Ravennatensis, natione Lombardus. Eum verò ex Italiâ ad hanc suam Ecclesiam venientem recipere noluerunt Ministeriales ejus Ecclesiæ, qui convenientes, in Wilhelnum concorditer consentire se dixerunt, ut ipse Dominus eorum esset, bunc Italicum penitus execrando, ipsumq; Dominum Bertrandum accedentes dixerunt ei, quod ipsi eum pro domino suo nequaquam essent, recepturi, nec regimen suum ejus posse prodesse. Et hec omnia per interpretem ei narrabant, quia lingue Teutonicae ignarus erat. Etsi verò Bertrandus hic multa deinceps machinatus fuerit, ut locum suum & cathedram sustineret, captus tamen tandem Wilhelmo resignare Episcopatum coactus fuit, receptisq; duobus equis & XX. florenis per Capitulum sibi sponte donatis, sub certis juramentis & scripturarum munimentis per eum praestatis, dimissus, cum non modicâ confusione recessit.

VIII. Nec verò Episcopatus tantum & Præsulatus, sed sacerdotia etiam omnia paulo opimiora per provisiones & reservationes Papales rapiebant Itali, vel ut ipsi fruerentur, vel ut aliis concederent, quos immoderatiū licitari observassent. Ea res excitavit quandoq; bonas mentes, ut in provisiones istas acrius insurgerent, & Romanam sedem satis insignitè atque alperè perstringerent. Celebris èa de re est epistola Roberti Lincolniensis in Angliâ Episcopi, quam recenset Matthæus Paris in Henrico III. ad ann. MCCLIII. Compertum scil. factâ inquisitione fuerat, redditus annuos exterorum, septuaginta millia marcarum confecisse, cum Rex ipse viginti vix millia quotannis perciperet. Id indignè ferens Robertus Episcopus Romam decrevit ipse proficisci, ut de remedio aliquo tantis malis adhibendo cum Pontifice ageret. Sed cum verba tantum ei darentur, nec quisquam esset, qui emanationi studeret, & Papa, qui tūm Innocentius IV. erat, ab ejusmodi provisionibus impertiendis non desisteret, epistolâ per scriptâ acriter illum adoratus est, nec parere voluit præcepto Pontificio de conferendâ in suâ Ecclesiâ alicui ita proviso præbendâ. Noverit, inquit, discretio vestra, quod mandatis Apostolicis affectione filiali devotè & reverenter obedio: iis quoq; que mandatis Apostolicis adversantur, paternum Zelans honorem, adversor & obsto. Ad utrumq; enim teneor ex divino mandato. --- Propter hoc, bis que in predictâ literâ continentur, unicè, filialiter, & obedienter non obedio, contradico, rebello. --- Breviter autem recolligens dico, Apostolice sedis sanctitas non potest, nisi que in edificationem sunt, & non in destructionem. Hę autem, quas vocant provisiones, non sunt in edificationem, sed in manifestissimam destructionem. Non igitur eas potest beata Sedes Apostolica acceptare; quia caro & sanguis, que regnum DEI non possidebunt, eas revelavit, & non Pater Domini nostri Jesu Christi, qui est in cœlis.

IX. Propter hanc Roberti ~~mancipiacionis~~ non iracundiâ tantum ac stomacho exarsit Pontifex, sed etiam in provisionibus, pravâ jam consuetudine

dine in jus quoddam resolutis, nihil quicquam remisit. Testantur eā de re, qui historias Ecclesiarum Britannicarum scripsérunt. In Galliā minus potuere in tali negocio Pontifices, quod illa pragmaticis suis sanctionibus perpetuō resisteret, nec provisiones facilē attenderet. Et fuit sane hæc ei R̄egno gloria quasi propria, quod libertatem Ecclesiæ suæ ab impeditionibus Papalibus masculè defenderit & conservaverit, nec quicquam veritum fuerit excommunications & fulmina Lateranensia. Maximè vero hoc facit Ludovici IX. quem Sanctum vocant anno MCCCXXVIII. promulgata constitutio, quā prædecessorum suorum vestigiis insistens, & canones antiquos restituens adversus novas inventiones, reservations & præventiones curiæ R̄omanæ statuit, ut Episcopi cæterique prælati R̄egni sui, similiter tām patroni quām collatores beneficiorum Ecclesiasticorum, jus suum plenarium habeant, & unicuique sua jurisdictione servetur: insuper Ecclesiæ cathedrales & aliæ liberas electiones habeant, & earum effectum integraliter prosequantur: volens & ordinans, promotiones, collationes, provisiones & dispositiones prælaturarum, dignitatum & aliorum quorumcunque beneficiorum Ecclesiasticorum R̄egni sui secundum ordinationem & dispositionem juris communis, sacrorum Ecclesiæ DEI conciliorum, atque institutorum sanctorum Patrum fieri. Similes constitutiones ediderunt Ludovici Successores, quas veluti in compendio refert Benignus Milletotus in solidissimo scripto & aureo libello, *de delicto communi & casu privileg. pag. 12. seq.* Et in hunc modum autoritate Regiâ libertatem suam conservavit Ecclesia Gallicana.

X. Non eadem fuit felicitas Ecclesiarum in Germaniâ, quippe quæ tām fortiter resistere Paparum machinationibus non valuerunt, quod altissimis jam radicibus in illis defixa esset tyrannus Pontificum. Viderant, quibus pars aliqua R̄ep. concedita erat, quanta quotidie ex ejusmodi invasionibus nascerentur mala, illisque ut remedium aliquod five precibus sive quocunque aliquo modo adhiberetur, non unis vicibus postulabant, sed irrito plerumque conatu, & voto plane frustraneo. Inter avisamenta, uti vocantur, per deputatos provinciarum nationis Germanicæ in Concilio Constantiensi concepta, capitulo statim primo hæc legitur consultatio: *Pro illorum scandalorum materia resecanda videtur, quod per hoc sacrum generale Concilium tolli, auferri & revocari debeant reservationes omnium & singulorum beneficiorum Ecclesiasticorum tām majorum quām minorum, quæ saltē in corpore juris non clauduntur: ut sunt videlicet illæ, quæ introductæ sunt in existentiā ad regimen, aut per quascunq; regulas Cancellariæ, &c. quod hujusmodi reservationes futuris temporibus nullatenus per quemcunq; Summum Pontificem fiant sine declaratione, autoritate, consensu, & approbatione Concilii generalis.* In

Kkk

capi-

capitulo 3. plenius adhuc in quibusvis prælaturis observari præcipiuntur canones de electione & postulatione, exclusâ gratiâ expectativâ.

XI. Eodem modo inter avisamenta, quæ tempore Concilii Basileensis à Statibus Imperii Moguntiae in publico conventu deliberata fuerunt, *cap. 4.* petitum fuit, ut ad relevamen gravaminum poscentibus sibi per gratiam indulgere & in singulare privilegium concedere velit Pontifex Romanus, quod jure exigere poterant. Primum vero eorum postulatum capite mox sequente hoc fuit: *In primis* siquidem casset, annullet, & irritet omnes & singulas reservationes tam generales, quam speciales, sive particulares Ecclesiarum Metropolitanorum, Cathedralium, Collegiarum, monasteriorum, dignitatum, & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque, quibus pro electione provideri consuevit, sive per extravagantes ad regimen, & execrabilis, aut per regulas Cancellarie, seu quascunq; alias constitutiones aut ordinationes introducte sint, reservationibus in corpore juris clavis duntaxat exceptis &c. Quæ in corpore juris contentæ sunt, et si & ipsæ hæc parum iniquæ & contra prioris Ecclesiæ instituta introductæ fuerint, inviolatae tamen relinquuntur à Statibus Imperii, minus aliquid malum toleraturis, ut majori remedium impetrant. Talis reservatio, exempli gratiâ est, quando Electores suo officio non funguntur, aut si scientes minus habilem & idoneum elegent, aut aliquid aliud, ad electionem canonicanam necessarium quod est, omilient. Tum enim jure eligendi cadebant & privabantur, sibiq; Pontifex jus instituendi aut creandi Episcopum vindicabat.

XII. In ipso Basileensi Concilio *Sess. 31.* deliberatum eâ de re & decreta fuit hunc in modum: *Hoc unum singulari sollicitudine prosequendum arbitratur, (Concilium) ut per singulas Ecclesiæ ministri instituantur idonei, qui scientiis & virtutibus effulgeant, ad Christi gloriam & universi populi Christiani & dificationem salutarem, cui rei grave impedimentum hactenus afferre visa est gratiarum expectatarum multitudo, quæ gravem ordinis & Statui Ecclesiastico perturbationem variasq; inordinationes ac plurima discrimina comperitur injecisse.* -- Volens itaq; hæc sancta Synodus super his opportunum remedium adhibere, statuit & decernit, ut Romanus Pontifex, qui pro tempore fuerit, eas deinceps gratias expeditivas aut nominationes nullo modo nullâve ex causâ concedat, cum ipse præ ceteris, ne sit tantorum occasio malorum, abstinere debeat. -- Cessentq; de cetero jam factæ, & tam ipse, quam etiam fiende, si que siant, nullæ sint ipso facto, exceptis illis gratiis & nominationibus, super quibus processus jam sint expediti. -- Reservationes etiam particulares, quecunq; fuerint beneficiorum vacatorum, tam per Romanos Pontifices, quam per legatos Sedis Apostolicæ de cetero nullæ sint ipso facto &c.

XIII. Post aliquod temporis intervallum anno nimirum **MCCCCXLVII.** secuta fuerunt Concordata nationis Germanicæ com Sede

Sede Romanâ, quibus modicatae fuerunt, uti loquuntur transigentes, constitutiones Pontificum anteriorum de provisione Ecclesiarum & beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque reservatione. Sed nec ista concordata à Pontificibus observata, imò fortè nec à Statibus Imperii comprobata fuisse ostendunt gravamina nationis Germanicæ anno MDX. exhibita Maximiliano Imperatori, tūm & gravamina alia, quæ à Princibus Germanicæ in Comitiis Noribergensibus anno MDXXII. Oratori Pontificio oblata fuerunt. In his ultimis *sub num. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.* prolixè resertur, quibus technis & strategematisbus dignitatum Ecclesiasticarum collatio ad Pontificem & ejus Curiales trahatur, quantisque fraudibus circumveniantur, qui electionis jure nituntur, & una cum illis ipsi etiam Candidati, imò vero ipsi etiam haud raro dignitatum istarum possessores. Viderat corruptelas istas Nicolaus de Clemangiis, Vir insigniter eruditus, & propterea in epist. 2. quam scripsit ad Benedictum XIII. in Romanam Cathedram eveytum, ita earum mentionem facit, ut non obscurè Paparum in Ecclesiæ jus occupatam tyrannidem arguat. *Qui vacuatis, inquit, Praesulatum, aliarumque dignitatum Ecclesiasticarum electionibus, sublato præterea à Patronis omnibus jure, collationem, dispensationem omnium graduum totius Ecclesiæ ad vestrum revocatis arbitrium. Utrum salubriter, pro vobis, ipsi videatis, utrum verò utiliter pro Ecclesiâ, non est epistolaris angustie discutere Sc.*

CAP. VIII.

De Confirmatione.

I.

His ita ex corrupto Ecclesiæ statu veluti per satyram expositis redimus ad electionem, optimum scil. constituendi Episcopi modum & materias ei cognatas. Dixi, electionem antiquitus à Clero & populo, & totâ adeò Ecclesiâ peractam fuisse. De noviore enim illo usu, quo ad solos Canonicos Ecclesiarum Cathedralium jus electionum translatum est, cùm id recentius sit, & sub finem seculi duodecimi demum invaluerit, nulla nobis nunc cura est. Convenientibus igitur in vacante Ecclesiâ Clero & populo de electione novi Episcopi deliberatum, & ex suffragiis decretum de certâ personâ factum fuit, qui per illud electus dicebatur. Sed propterea tamen Episcopus dici illico non poterat, quandoquidem plura restabant, quæ ad constitutionem ejus concurrere aut accedere potius oportebat. Decretum igitur istud mittebatur ad Metropolitanum eum in finem, ut examine prævio vel approbaret electionem vel reprobaret,

K k k 2

pro

pro ratione habilitatis, quæ in electo sele exfereret, & pro ratione ipsius electionis, quatenus ea conformis esset canonibus, aut adversa. Quod si nihil esset, quod improbari posset, confirmari dicebatur electio & electus.

II. Quo tempore confirmationis illius ritus introductus fuerit in Ecclesiâ, exactè definiri nequit. Vetustum tamen eum esse, & simul cum ipsis metropolitanis cœpisse credibile est, quod illi totius provinciæ & omnium Ecclesiarum Episcopâlium curam habuerint. In constitutionibus Apostolicis lib. 8. cap. 4. aliqua ejus fit mentio, dum jubetur ille, qui inter reliquos princeps est Episcopus, percontari presbyteros & populum, an dignus sit, quem præesse petunt hoc magno & illustri munere præsidi? an quæ ad pietatem erga DEUM pertinent rectè peregerit? an vita ei per omnia honeste & laudate acta fuerit? &c. Sed enim ad quam ætatem referri constitutiones istæ debeant, incertum est, quod nulla planè earum mentio totis tribus prioribus Christianismi seculis, ac ne quarto quidem, nisi jam inclinato ac præcipiti occurrat. Certius, nî fallor, hujus rei vestigium invenitur in Concilii Nicæni Canone IV. ubi agitur de ordinatione Episcoporum, & additur: Τὸν κύρῳ τὰν γνωμήνων δίδοξε καὶ οὐάσην ἐπαρχίαν τῷ Μητροπολίτῳ. Confirmatio autem, sive ut Dionysius Exiguus vertit, firmitas eorum, quæ geruntur, in unâquaque provinciâ, tribuat metropolitano. Nec ergo poterit Episcopus aliquis constitui, καθίσας, nisi accesserit, quæ ad τὸν κύρῳ refertur, approbatio Metropolitani. Idque expresse statuit in dicto Concilio Nicæno can. 6. Illud autem omnino manifestum est, quod si quis præter sententiam Metropolitani factus sit Episcopus, bunc magna Synodus statuit, non oportere esse Episcopum.

III. Metropolitanus examen istud & discussionem plerumque suscipebat cum Episcopis comprovincialibus, quos per literas convocare oportebat, uti habetur in canone 19. Concilii Antiocheni. Atque illi tûm suffragia sua ferebant sive præsentes, sive per literas, sicubi impediti fuerint & ab itinere faciendo prohibiti. Iste discussionis actus vocabatur judicium Episcoporum, Πρίεροις Ἐπισκόπων in eodem Concilio Antiocheno can. 23. Servetur autem statutum Ecclesiasticum, quod continet, non aliter fieri oportere, nisi cum Synodo & judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis potestatem habent eum, qui dignus extiterit, promovere. Ita & in Concilio Laodiceno can. 12. dicitur, quod oporteat Episcopos judicio Metropolitanorum & finitimorum Episcoporum ad ecclesiasticum magistratum constitui. Et Cyprianus lib. 1. epist. 4. de Sabino Episcopo scribit: Ut de universæ fraternitatis (h. e. Cleri & populi) suffragio & de Episcoporum, qui in presentiâ convenerant, judicio, Episcopatus ei deferretur. Repetendum tamen hic, quod ante dixi, in his actibus τὸν κύρῳ semper inviolabile mansisse penes Metropolitanum, cui præcipue partes in omnibus istiusmodi negociis delatae perpetuo fuerunt.

IV. In

IV. In duabus verò maximè occupata erat ista discussio, quorum unum ipse erat electionis actus, num is per omnia canonibus antiquis conformis esset, alterum verò de electi qualitate examen continebat. Quod primum concernit, cum non uno semper consensu electio fieret, sed in plures personas haud verò dividerentur eligentium suffragia, tūm utique Metropolitan & Episcoporum provincialium judicio præferebatur is in quem major pars eligentium consenserat, dum tamen ipse idoneus esset, sive, qui majoribus studiis juvabatur & meritis, ut ait Leo Papa apud Gratianum dist. 63. c. fin. Et hunc in discordantibus sententiis processum approbat etiam Concilium Nicænum c. 6. Si verò communi omnium suffragio rationi consentaneo & secundum Ecclesiasticum canonem duo aut tres contentiosè seu propriâ pertinaciâ inducti contradixerint, obtineat plurimorum sententia. Nec verò poterit aliter ex diversis sententiis conclusum aliquod elici, ubi quisque independenter suffragandi facultate pollet. Licet enim, qui cedere coguntur, suffragiorum numero superentur, non tamen superantur, quatenus effectivè, in ordine longitudinis, causanti alicui succumbunt, sed quatenus in latitudine oppositi contrário robori cedere oportet. Et sic eleitus dicetur ille, in quo majoris partis electorum suffragia consentiunt.

V. Quod ipsam electi personam attinet, plurima sunt, quæ inquirienda veniunt, ut constet, an aliquo impedimento Canonico prohibeatur Episcopatu, utrum eā doctrinā prædictus sit, quæ Episcopo necessaria est, & utrum in professione fidei Catholicæ sanum & orthodoxum se præstet. In Concilio Carthaginensi IV. hæc præscripta leguntur apud Gratianum c. qui episcopus dist. 23. quod examinari debeat, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si pervigil, si semper suis negotiis cavens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instrutus, si in Scripturarum sensibus cautus vel acutus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, & ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus afferat &c. Hoc scilicet examine probandi erant, qui ordinandi forent piskopi; quod qui ad alios docendos deligerentur, probatæ spectatæque deberent esse scientiæ & vitæ. Non minus enim & aliquando, si extraneus erat, haud paulo magis de vita, quam de eruditione inquisitio instituebatur, cum sufficeret secundum adductum canonem Carthaginensem verbis simplicibus fidei dogmata asserere.

VI. Elegans est, & dignum, ut exempli loco hic legatur, quod in appendice tom. 2. Concil. Gall. formul. 11. refertur examen Willeberti Cata-laune sis ordinandi Episcopi ab Hincmaro Archiepiscopo Remensi institutum. Tunc Hincmarus Archiepiscopus dixit: *Quia Willebertum eligitis, & nos illum non cognoscimus, ostendite illum nobis, ut sciamus quis sit, & perscrutemur, si tanto honore dignus inveniri poterit. Qui in presentia veniens interrogatus*

Kkk 3

est,

est, unde esset? Isq; respondit: Pago Turonicō oriundus. Iterum interrogatus, cuius conditionis esset? Et ille: peccatis quidem obnoxius, sed DEI gratia naturaliter liber. Item, ubi didicisti? Item ipse: in scholā Turonicā liberalibus disciplinis erudiendus traditus sum. Item, cuius ordinis, vel cuius ordinatus? Item ipse: presentis patris mei domni Herardi per singulos gradus, usq; ad diaconum sum ordinatus. postea autem ab eodem patre meo Herardo literis ad Erpoinum datus presbyterii onus suscepit. Item Hincmarus: Quā de causā in nostram diocesin venisti? Et ille: perlificantiam presentis mei Archiepiscopi Herardi à parentibus meis regis sum mancipatus obsequiis. Item Hincmarus: Quod ministerium in regio obsequio suscepisti? Et ille Inbreviator sive descriptor stipendiiorum regalium & relator à domino Rege sum constitutus. Item Hincmarus: Quia conductor alienarum rerum fui, audi quid sanctum Calchedonense inde dicat Concilium. Et lectum est hoc capitulum. Ad quod respondit: Sicut dixi, non fui conductor alienarum rerum, nec turpia lucra vel extactiones, sive tormenta in hominibus exercens; sed ut praeformatum, descriptor & relator solummodo stipendiiorum regalium. Unde interrogati sunt hi, qui in corte degebant, si scirent, in illo ministerio hoc illum exercuisse, quod sacerdotali ministerio minime conveniret. Qui responderunt, & clerici & nobiles laici, quod nullo modo in eodem ministerio perpetratum haberet, quæ sacris canonibus, & suo ministerio in aliquo obviare deberent. Iterum interrogatus est, si aliquod ministerium de rebus Ecclesiasticis aliquo habuerit loco. Qui respondit, quod preposituram monasterii S. Vedasti, jubente Johanne Episcopo, & consentientibus fratribus suscepit. Et de hac iussione litera Johannis Episcopi ibi relecta sunt idipsum continentis: & etiam testimonio fratrum de eodem monasterio, quod ita se res haberet, & de bona vita & conversatione sua, & quod non in eodem monasterio quiddam contra sacras regulas egerit, confirmatum est. Prosecutus est dominus Hincmarus: Quia ministeria domini Regis habuit, nescimus, si isdem dominus Rex ab eo aliquid repetit, vel repetere debeat; unde nobis sua voluntas vel auctoritas necessaria foret. Et porrecta sunt litera cum sigillo domni Regis, continentis, quod de omnibus quæ illi commisit optimè i rationem reddiderit: & nihil ab eo repetebat, vel unquam repete re deberet. Insper & si eum dignum ad onus Episcopale invenire valerent, Episcopum Catalau- nis eum ordinari petebat. Denique de his supra scriptis coram omnibus testimonia multorum & literis idoneo approbato, Hincmarus Episcopus ad Herardum Archiepiscopum dixit: Quia vester natus, nutritus vel educatus & ordinatus dinoscitur, & Clerus ordo & plebs Catalaunica illum exposcit, habeamus vestram licentiam, ut regulariter unda vobis cum eum examinemus, si tanto oneri vel honori dignus existat. Qui libentissimè annuit, & jussus est sedere coram eis. Data est ei regula Pastoralis Gregorii. Et jussum est, ut relegeret capitulum de eo, qui praesse debet, ubi scribitur: Nulla ars docere presumitur. Quo electo interrogatum illi est, si illud intelligeret, & secundum hoc vivere vel docere vellet? Qui respondit:

dit: utique. Iterum datum & ei ad relegendum Capitulum de canonibus, ubi scribitur: Qui ordinandus est &c. & professus est se omnia intelligere & obedire velle. Tunc relecta sunt ei placita, quae Episcopus jam ordinatus ab ordinatoribus & electoribus suis suscipere debet: ubi continetur, qualiter vivere, docere & subditos suos regere debet secundum sacros canones diem præferentia & Consulē. Et interrogatum est, si secundum ea omnia agere vellet. Quæ minimè abnuit &c.

VII. Ex eâdem formulâ discimus, examen istud à metropolitano quidem, Hincmaro scilicet Remensium Archiepiscopo, institutum & peractum fuisse, sed præsentibus & audientibus quam plurimis, qui convenerant, Episcopis provincialibus, tūm & extraneis aliis, & ipso denique populo Catalausico. Sic enim habet initium ejus formulæ: Anno ab incarnatione Domini DCCCLXVIII. iudictione secundâ III. nonas Decembres, convenientibus apud Carisiacum in Ecclesiâ Sancti III. pro examinatione Willeberti presbyteri, qui futurus erat Catalanuenis Episcopus, Hincmaro dicæcœsos Remensium Archiepiscopo, item Hincmaro Laudunensem Episcopo, Hodone Belginacorum Episcopum cum Legatis Hrothadi, Erpoini, Hilmeradi, Raginelmi, & Jobannis, ejusdem dicæcœs Coepiscoporum, vicem eorundem patrum suorum cum tractoriis, sicut regulæ precipiunt, exhibentibus, & quampluribus Abbatibus, canonicis, monachis, presbyteris, diaconibus, atq[ue] subdiaconibus. Convenientibus nihilominus Archiepiscopis & Episcopis aliarum provinciarum, Wenilone videlicet Rotomagensium Archiepiscopo, Herardo Turonorum Archiepiscopo, Egilone Senonum Archiepiscopo & Fulcrico ipsius Coepiscopo, præsentes adfuerunt Clerus, Ordo & plebs Catalausica, decessionem sui patris Erchanrani quondam Episcopi dolentes &c.

VIII. Hæc ita in conventu & congregatio Episcoporum peragi solebant, qui à metropolitano convocati erant, ut post confirmationem, ordinationis actui præsentes adessent, quos quidem omnino tres esse oportebat, cum inde à Concilio Nicæni temporibus pauciores non sufficerent. Sed quia in examine tali contingere poterat, ut adverlus personam electi contradic̄tio aliqua oboriretur, noluerunt Patres Africani in Concilio Carthaginensi III. à tribus tantum illis præsentibus cause cognitionem suscepit, sed auctum cupiverunt numerum, ut judicium eo rectius procederet. Canon, qui in Codice canonum Ecclesiæ Africanæ est quinquagesimus, & legitur apud Gratianum c. illust. dist. 23. ita se habet: Sed & illud statuendum est, ut quando ad eligendum Episcopum convenierimus, si qua contradic̄tio fuerit oborta, quia talia tractata sunt apud nos, non præsumant ad purgandum eum, qui ordinandus est, tres Episcopi jam: sed postuletur ad numerum supradictorum unus vel duo (apud Gratianum legitur, duo vel tres; Sed in Græco itidem dicitur, ἢ δύο, quæ verba mihi videntur numerum indefinitum innuere, addi scilicet debere numero Episcoporum prædicto unum aut alterum,) & in eadem

eādem plebe, cui ordinandus est, discutiantur primō personē contradicentium. Postremō etiam illa, quae objiciuntur, pertradentur, & cūm purgatus fuerit in conspectu publico, ita demum ordinetur.

IX. Hęc omnia, uti dixi, peragi solebant à Metropolitano & Episcopis provincialibus. Quod si Episcopi isti convocati à Metropolitano & consulti non fuissent, statūs quęstio moveri poterat noviter ordinato, eo quod canonibus conformis non esset ejus constitutio. Senonenium Præfuli Leutherico id vitio vertit ejus suffraganeus Fulbertus Episcopus Carnotensis, quod sine suo præscitu Episcopos ordinaret. Sic enim scribit ad eum, epist. 28. satis acerbè: *Quod me Pater amicum appellas, gratañ adnuerem, si te quoque exhiberes amicum.* Sed cum sine meo consilio Episcopos ordinando dignitatem suam Ecclesia Carnotensi derogas, cumq; in eodem negocio legem Canonicam multimodè solvis, non solum me laedis, sed omnes pariter, qui iustitiam colunt, & ego quidem tecum adhuc multa patior. -- -- Sed tu pater non solum mirandus, sed insuper exhorrendus, quem nec imprudentia fallit, nec casus turbat, nec urget ulla necessitas: sed scienter & quasi cum deliberatione quādam ultrò te atq; alios perdas.

X. Sequioribus autem temporibus, uti electiones ipse, ita & confirmationes valdè corruptæ & turbatæ fuerunt à Romanis Pontificibus, qui eas de manibus Metropolitanorum eruptas variis artibus, vi sāpē addita sibi vindicarunt, miraturq; Eckius l. 3. de primat. Petr. c. 4. quomodo contra jura suas confirmationes Episcopi, præsertim Germani, ex Urbe Romā petant. Forfitan, inquit, *Viri magni & potentes, ac natalibus illustres designabantur confirmari ab humilis generis metropolitano.* Et ita à pristinā confitudine paulatim tam procul recessum est, ut hodiè etiamnum Episcoporum confirmationes Romā petere oporteat. Sed quām faciles sint Pontifices in rejiciendis illis, quos sine justā causā Episcopos esse nolunt, ostendunt ea, quę post obitum Richardi Archiepiscopi Cantuariensis de electione Successoris scribunt Historici Ecclesiæ Anglicanæ.

CAP. IX. *De Consecratione sive Ordinatione.*

I.

Quando confirmata erat electio, & electi persona approbata pergebant Metropolitanus & Episcopi congregati ad consecrationem, sive ordinationem, quę est publica & solennis testificatio, quā votatio ejus personae, quę ordinatur, in conspectu DEI & nomine ipsius declaratur esse legitima, quāve persona ista solenniter per certas ceremonias in con-

conspectu totius Ecclesiæ segregatur à negotiis seculi & à reliquo populo ad munus Ecclesiasticum, & per preces additas DEO commendatur ad ulteriorem gratiam & dona spiritualia impertienda. Quanquam enim nihil omnino faciat ordinatio ad vocationis essentiam, & vocatio jam ante suum implementum & perfectionem habeat, non destituitur tamen ea utilitate suâ, ut omitti planè nequeat. Primum enim publico illo rito significatur, hoc opus, licet sit mediatum, esse tamen verè divinum. DEO namque sicut persona, & ostenditur, eam per legitima media ab ipso DEO mitti, & ad prædicandum Evangelium destinari. Et qui hoc modo vocatus DEO sicutur, is quasi mancipatur DEO ad ministerium. Deinde per actum istum persona electa etiam sicut Ecclesiæ, ut hæc quoque admoneatur, DEUM per hanc personam & ejus ministerium velle ipsos docere, & ad salutem æternam promovere, velleque adeò per ejus personam efficacem esse. Denique per actum ordinationis etiam illud intenditur, ut, dum pericula à carne nostrâ, Satana, & mundo oboriri solita proponuntur, eò magis homines ad obtinendam divinam gratiam sibi in periculis istis necessariam excitentur, & eò ardentiores fiant in precibus suis, quo difficile istud munus à persona electa eo felicius & facilius expleatur & sustineatur.

II. De ritu ipso & ceremoniis adhibendis liberum est Ecclesiæ arbitrium, dum ne illis plus justo tribuatur, nec salutis æternæ pars aliqua in illis constituatur. In veteri Ecclesiâ obtinuit illa simplicitas, ut in ordinatione Episcoporum aliud nihil adhiberetur, præterquam impositio manuum. Et fatendum quidem, nullum extare in Scripturis mandatum DEI, quod hic præcisè & non alijs ritus ordinationi sit adhibendus; nec testimonium ullum afferri potest, quod promiserit DEUS, se per hunc ritum daturum gratiam & dona supernaturalia, sicut de baptismo & cœnâ Domini testimonia extant; Nihilominus tamen ritus ille imponendi manus ab Apostolis liberâ & indifferenti usurpatione introductus etiamnum sancte retinetur, gratia autem divina haudquam ad eum alligatur. Admodum frequens enim erat olim manus impositio non tantum in designandis rebus, sed etiam quando super personam aliquam specialiter nomen Domini invocabatur. Hac namque ratione persona illa quasi offerebatur DEO & sicutebatur in conspectum ejus additis supplicationibus, ut DEUS gratiam & benedictionem suam illi largiri dignaretur. Et *χειροτονία* istam apud Judæos maximè usitatam & solennem fuisse constat, a quibus in omni ferè sacra civilique ad publicum aliquod munus sive etiam ad simplicem dignitatem promotione manus impositio adhibebatur, nec adeò quisquam inter eos erat, sive judex sive Doctor, Magister, aut Rabbinus, qui per manus impositionem non fuisset in istum talem ordinem cooptatus. Iustum ritum ita à majoribus acceptum, quippe omnibus notissimum,

LII liberâ

liberâ usurpatione retinere maluerunt Apostoli, quām insufflatione in le
â Magistro suo exercitâ uti. Itaque hoc rite id tantum significatum vide-
tur, preces, quas ut plurimum vel pro seipsis vel pro multis in communi fa-
cere solent, qui precantur, nunc propriè ac singulariter pro isto cui manus
imponuntur, fieri, hujus caput DEO sisti, gratiâ divinâ donisq; spiritua-
libus & benedictione orriandum, coronandumque.

III. Quæ superadditæ sunt sequoribus temporibus ceremoniæ, to-
lerari possent, nisi necessitas earum ita adstrueretur, ut effectus quidam
spirituales deficere crederentur, si illæ omisæ fuissent. Ut taceam, Ec-
clesiam Latiniæ immâni ceremoniarum mole cultum divinum in plerisq;
omnibus partibus penè obruisse, ut verè dixerit Georgius Wicelius in viâ
reg. ad artic. de discrim. cibor. totum fermè cultum divinum nostris seculis
ceremoniosum apparere. Et ante eum Walafridus Strabo de reb. Eccl.
cap. 26. ingenuè profitetur, crescente apud nos processu temporum reli-
gionis honore, institutionum Ecclesiasticarum usque ad plenitudinem de-
cūs crevisse. Non improbamus solemnitates quasdam cultui divino in-
servientes, & agnoscimus, non consistere posse religionem sine certis ritu-
bus, & habere adeo illam necessariò ancillantes sibi & adhærentes exter-
nos quosdam ritus & ceremonias; sed hoc improbamus, si ingentem &
infrutum ceremoniarum numerum, nihil aliud offerat Ecclesia ali-
qua, aut parum certè, quod ad promovendum & sustinendum cultum
divinum faciat. Sunt enimvero ceremoniæ in multiplici differentiâ con-
stitutæ. Sunt quædam necessariæ: Sunt adiaphoræ ab illis aliæ: Stultæ
sunt quædam & inutiles: multæ aliquando irrationabiles: non paucæ no-
xiæ & pericolosæ, ut pluribus docet Augustinus question. in Num. 59. Quæ,
nisi probè discernantur, dedecori magis sunt Christianæ religioni, quam
ornatui. Sed in his immorari, & ad specialia circa hancmateriam decur-
rere nunc nihil attinet.

IV. Temperare tamè mhi neq; teo, quin adscribam hic solemnitates
seculo nono in Galliâ usitatas, quo scilicet ordine consecrati tûm fuerint
Metropolitanus, atque diœcesanus Episcopus. Eas describit Hincmarus
Archiepiscopus Remensis ad Adventum Episcopum Metensem his verbis:
*Sabbato præcedente Dominicam, quando electus est ordinandus, convenire debent
Episcopi diœceseos ad principalem Ecclesiam Metropolis, & publicè coram omni-
bus debet recitari decretum & interrogare debent Episcopi, si omnium vota, sicut
ibi continentur, in eundem electum concordent. Et post responsonem illorum de-
bent interrogare Episcopi, si has virtutes, que ibidem continentur, credunt vel
sciunt esse in eodem electo. Et acceptâ inde responsone debent interrogare
Episcopi, si aliquis ibi est, qui contra eundem electum aliquid dicere, vel ordina-
tioni Episcopali contrarium illi velit objicere, ut exeat, & dicat memor com-
muni-*

munionis sue. Quod si aliquis quiddam illi objecerit, habetis in canonibus, quid inde sit faciendum. Sin autem omnes concordes fuerint in ejus electione, referenda sunt ab omnibus DEO laudes, & examinandus est idem electus ab Episcopis secundum capitulum Carthaginensis Concilii, quo manifestatur, qualis debeat ordinari Episcopus. Si ita credat, & simplicibus verbis Catholicam fidem profiteatur, sicut ibidem scriptum habetur, & tunc monendus est idem electus, ut ipsa nomine, secundum traditionem Apostolicam, se studeat Domino commendare. Dominicā autem die maturius Episcopi dicēsesos & clerūs ac plebs convenire debebunt ad locum, ubi secundum consuetudinem solet Metropolitanus Episcopus ordinari. Et preparatis omnibus, & Episcopis & Ecclesiasticis ministris in vestibus sacris & stantibus Episcopis secus altare, idem electus induitus pontificalibus vestibus à primis Clericis ejusdem Metropolis de sacrario debet educi, & in ultimo loco post Episcopos collocari. Is autem Episcopus dicēsanus, qui consecrationem futurus est super eum, incepito introitu ad Missam secundum morem procedat. Et finito introitu dicitur, Kyrie eleison, prosequente ab ipso Episcopo Gloria in excelsis DEO. Et post Gloria in excelsis Deo dicat hanc orationem, qua prima est in rotula consecrationis. Statim autem post completam ipsam orationem, antequam legatur Apostolus, commoneat clerūm & p̄lebem, ut orent pro ordinando electo & pro ordinatoribus ejus & accipiat electum manu sua dexterā per manum illius, & incipiatur litania, & tam ipse cum electo, quam & ceteri, qui adfuerint Episcopi, incurventur ante altare, usque dum breviter pro tempore finiatur litania. Ut autem Clerus inceperit dicere Agnus DEI, erigant se Episcopi, & qui fundet consecrationem accipiat quatuor Evangelia & aperiāt per medium & incurvato ipso electo ante altare, mittat ipse Evangelia super collum & cervicem ejus, & teneant ipsa Evangelia super eum duo Episcopi, unus ex una parte, alter ex alterā, & tam consecrator, quam omnes Episcopi teneant manus dexterās suas super caput ordinandi, & dicat Consecrator: Oremus. Propitiare Domine supplicationibus nostris, & reliqua. Et oratione completa, & respondentibus omnibus Amen, dicat Consecrator: Dominus vobiscum, Sursum corda, Gratias agamus Domino DEO nostro. Et respondentie Choro ad singula, incipiat consecrationem cantando, Verè dignum & justum est, usque ad eterne DEUS, & tunc, sicut ipsa consecratio consequitur, & semper teneant manus dexterās Episcopi super caput ordinandi. Ut autem ventum fuerit ad loca, in quibus sunt cruces signatae, accipiat Consecrator vas chrismatis in sinistrā manu & cum dextro pollice, cantans que ibidem continentur, per singula loca faciat crucem de chrismate in verticem consecrandi. & perfectā consecratione, & respondentibus omnibus Amen, tollantur ab Episcopis Evangelia de collo ejus, & mittat annulum in dextrā manus digito, qui præcedit minimum. Uicens, ad quid illi annulus datur. Si gnum est enim fidei, ut audientibus se ex divinis mysteriis signet quae & quibus signanda sunt, & aperiāt, quae & quibus aperienda sunt. Deinde donet

illi baculum sancti regiminis, & det a se ordinato pacem, & sic per ordinem ordinatus osculetur Episcopos, & ponatur sella juxta eum, qui illum ordinavit, & sedeat ibi Metropolitanus Episcopus: alioquin si non esset Metropolitanus, in ordine consecrationis sue sedere deberet. Et tunc legatur Apostolus ex epistola ad Timotheum, qualis debeat esse Episcopus, & expletâ missâ ordinatus Metropolitanus Episcopus ducatur, vel deportetur ad cathedralm principalis Ecclesie, cantibus Clericis ea, quae ad hoc opus convenient. Illuc autem perveniens resideat in principali cathedrali & commendet ministris Ecclesiasticis, ut unusquisque in suo ordine ministret sibi atque sibi commissare Ecclesiae. Inde perga in sacrarium & incepto introitu ad Missam, secundum morem procidat, & salutato altari ascendat ad sedem suam, & stet ibi, donec in suo loco incipiat Gloria in excelsis DEO, de gradibus sedis, & post datam orationem resideat in sede sua, consendentibus secum Episcopis & presbyteris. Et completâ missâ babeat Episcopus, qui eum ordinavit, literas manibus suis subscriptas, quas sacri canones ordinato ab ordinatoribus suis jubent accipere, præferentes diem Consulem: & antequam ordinatus ab altari discedat, mittant easdem literas super altare, unde eãs accipient & do-nent illas a se ordinato. Et sic perfectis omnibus benedicatur Dominus. Ceterum, quando provincialis ordinatur Episcopus, ipse canonica litera a Metropolitanu & ceteris Episcopis subscribenda sunt, quamdiu legitur Apostolus & cantatur responsorium & alleluja, & statim post missam finitam dantur ab Episcopis ante altare ordinato provinciali Episcopo, & Archiepiscopus & alii Episcopi vadunt ad sua. Ipse autem ordinatus cantat Missam, ubi locus est opportunus &c. Hæc ita leguntur in operibus Hincmarii tom. 2. num. 43. pag. 717. Pergimus nunc ad alia, quæ circa hanc materiam observatu digna occurunt.

V. Primum id maximè cavebatur, ne quis ad sacros ordines admitteretur, qui non speciali Ecclesiæ ejusque ministerio destinatus esset. Quod non in presbyteris tantum & diaconis, sed etiam, & potiori quidem ratione, in Episcopis observandum erat. Generaliter statutum fuit, in Concilio Chalcedonensi c. 6. neminem absolute (*λαθελυμένως* fine certo loco, aut certâ Ecclesiâ, in quâ munus suscepimus obeat,) ordinari, nec presbyterum, nec diaconum, nec quemlibet omnino eorum, qui sunt in ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesiâ civitatis, aut vici, aut martyrio, vel monasterio is, qui ordinandus est, prædicetur &c. Idque multis aliis deinceps Conciliorum canonibus confirmatum fuit. Ex quo regula illa universalis consecuta est, neminem sine titulo ordinari posse. Tituli autem appellatione antiquis illis bonisque temporibus denotatum fuit munus aut ministerium obeendum. Invalecentibus vero corruptelis tituli nomine insigniri coepit redditus, unde iuctus comparatur. Et prioribus quidem temporebus nulla omnino erat, & irrita fiebat, quæ erat sine titulo ordinatio. Verum id sequioribus seculis immutatum fuit, constitutumq; ut valeret quidem ordinatio absque titulo facta, sed

sed teneretur tūm qui ordinavit, alimenta ordinato subministrare, nisi talis ordinatus & de suā vel paternā hereditate subsidium vitæ posset habere, c. 4. X. de præbend. Tum enim is intelligitur ordinari ad titulum sui patrimonii, uti loquitur glossa *ibid.* per ea verba satis explicans, quid tituli nomine significatum velit. Ex hoc scil. principio jubebantur à Rege Gunthramno Bertherannus Orestesque sive Palladius Episcopi Faustinianum jussu Gundobaldi Aquensis Urbis Episcopum creatum, mox verò à sede suā remotum ideo quod eum benedixerant, vicibus pascerē, centenosque ei aureos annis singulis ministrare, uti scribit Gregorius Turonenis lib. 8. bīf. cap. 20. Erat enim Faustinianus invito & inscio Chilperico Rege ordinatus, qui Nicetio Episcopatum illum conferri præceperat, adeoque Faustinianus sine titulo ordinatus videbatur. Ratio autem posterioris hujus juris dari solet ista, ne ordinati in opprobrium cleri mendicare cogerentur: cum tamen Episcopos nonnullos manibus propriis victum sibi ad exemplum Pauli quævisse legamus, neque id improbent antiqui canones. Vid. Gratianus dist. 91. Cæterum Episcopos aliquando sine titulo ordinatos fuisse, ostendit exemplum Barsis & Eulogii, quos Sozomenus lib. 6. c. 32. Episcopos fuisse scribit, non alicuius Urbis, sed honoris duntaxat causā, tanquam ad repensanda præclara ipsorum facinora, in suis monasteriis ordinatos.

VI. Ubi verò ordinandum ipsum alligatum esse oportebat certæ Ecclesiæ, ita non admittebant, ut quis alibi, quam in civitate illâ, in quâ sedes vacabat, aut in provinciâ saltem, cuius civitas illa pars erat, ordinaretur. Dilectè Concilium Aurelianense IV. can. 5. Id etiā regulariter esse perfeximus decernendum, ut Episcopus in civitate, in quâ per decretum eligetur ordinandus, in suâ Ecclesiâ, cui præfuturus est, consecretur. Sanè si subitò necessitas temporis hoc implere non patitur, licet melius esset in suâ Ecclesiâ fieri, tamen aut sub præsentia Metropolitani, aut certè cum ejus auctoritate intra provinciam omnino à provincialibus ordinetur. In Hispaniâ liberum fuit Metropolitano eligere locum consecrationis, uti patet ex Concilii Toletani IV. can. 19. ut tamen intra provinciam id fieret. Diversum aliquando tentaverat Hugo Sedis Apostolicæ Legatus in Galliâ, dum electum Niuerensem Episcopum diœceles Senonensis absque necessitate aliquâ consecrandum extra provinciam Augustodunum vocasset. Sed ei tūm masculè restitit Ivo Carnotensis epist. 61. Verum, inquit, de eo, quod consecrationem Nivernensis elekti ad nostram diœcesin pertinentem Augustoduni facere dispositis: simpliciter dicto paternitati vestre, quia nec dispositionem vestram reprehendimus, quoniam reverentiae vestre deferimus, nec tamen approbamus, quia nec ex auctoritate nec ex consuetudine ordinem hujus consecrationis habemus, nec in consuetudinem ducere sine multa deliberatione audemus, timentes rei fieri sponsonis, quam metropolita-

ea sedi fecimus. -- Cū ergo metropolitana Sedi ad præsens ab hoc officio suspensa sit, (nondum enim tum temporis consecratus erat Daimbertus noviter electus Ecclesiæ Senonensis Archiepiscopus, prohibente id Hugone Legato) possemus nos pro sede metropolitana confratribus nostris secundum consuetudines nostras int̄a diœcesin hoc sacramentum consecrationis implere, confirmata per ministerium vestram legationis prætaxatæ personæ electione. -- Quod si aliquando contigit penuria Catholicorum Episcoporum, à comprovincialibus non fuisse consecratum, non debent hæc exempla prejudicium facere legi communi vel generali consuetudini &c. Cum igitur Nivernensis Episcopus, de cuius ordinatione quæstio erat, Senonensis Archiepiscopi suffraganeus esset, Augustodunum autem in provinciâ Lugdunensi situm, absurdum visum fuit Ivoni, & canonibus, tum & consuetudini haec tenus receptæ prorsus contrarium, ut Augustoduni ordinaretur, qui Nivernensem esse deberet Episcopum. Sanè cum ab officiis ita suspenso Archiepiscopo Senonensi electus esset Sancio Episcopus Aurelianensis, non dubitavit Ivo eundem consecrare, ut patet ex epist. 94. Speciale est, nec ad exemplum trahendum, quod Proculo Masiliensi Episcopo concessit Concilium Taurinense can. 1. ut is in provinciâ Narbonensi ordinandi potestatem haberet, quam litigiosam ipsi fecerant istius regionis Episcopi. Hoc enim non tam civitati ejus, ut ibi dicitur, quam ejus personæ, quoad yixerit, concessum fuit. Neq; extra hunc casum circa metropoles quicquam immutatum fuit.

VII. Hoc scilicet est rō κύρῳ istud, & hæc præcipua juris metropolitici pars, quod nullus Episcopus suffraganeus sine præsentia aut jussu saltem & consensu Metropolitæ ordinari potuit. Illud omnino manifestum est (sunt verba canonis VI. Nicæni) quod si quis præter sententiam Metropolitani χωεις γνώμης & Μητροπολίτη factus sit Episcopus, bunc magna synodus statuit non oportere esse Episcopum. Metropolitani tum officium erat, ad ordinationem omnes επαρχιῶτας five Episcopos comprovinciales convocare, atque illi antiquitus, nisi physicè impediti essent, constituto die compare, tenebantur. Postea vero sufficere visum fuit, si tres saltem præsentes essent, cæteris consensum suum per literas exponentibus; nec ipius quoq; Metropolitani præsentia exigebatur præcisè, sed ejus tantum jussus & autoritas requirebatur, cùm is utique vel infirmitate corporis vel alia justa causâ impediri potuerit. Perspicui in hanc rem sunt Concilii Nicæni canon quartus: Episcopum oportet maximè quidem ab omnibus, qui sunt in provincia, Episcopis constitui. Si vero hoc difficile fuerit, aut propter urgentem necessitatem, aut propter itineris longitudinem, tres omnino in idipsum convenientes, dummodo consenserint, qui absunt, & per literas approbaverint, ordinationem faciant. Confirmatio autem eorum, quæ in quâq; provinciâ geruntur, tribuatur Metropolitano. Concilii Antiocheni canon XIX. Episcopus ne ordinetur
absq;

absq; synodo & presentia metropolitani provinciae, eo autem praesente omnino melius est, omnes una cum eo adesse co-ministros, qui sunt in provincia, & eos per literas Metropolitanum convocare. Et si quidem omnes accesserint, bene est; si autem hoc difficile fuerit, plures omnino adesse oportet, aut certe per literas una cum illis suffragium ferre, & sic cum plurimum presentia aut suffragio ordinationem fieri. Concilii Arelatensis II. canon V. Episcopum sine Metropolitanu vel epistolam Metropolitanu vel tribus comprovincialibus, non liceat ordinare: ita ut alii comprovinciales epistolis admoneantur, ut se suo responso consensisse significant. Concilii Carthaginensis II. canon. 12. Placet omnibus, ut inconsulto primate cuiuslibet provinciae tam facile nemo presumat, licet cum multis in quocunq; loco sine ejus precepto Episcopum ordinare. Concilii Carthaginensis IV. canon. 1. Cum in b's omnibus examinatus fuerit inventus plene instructus: tunc cum omni consensu clericorum & laicorum & conventu totius provincie Episcoporum maxime metropolitanu vel auctoritate vel presentia ordinetur Episcopus. Concilii Aurelianensis IV. canon 5. supra a nobis adductus. Concilii Aurelianensis V. canon. 10. Episcopus a Metropolitanu vel quem in vice sua premiserit, cum comprovincialibus pontifice consecretur. Concilii Toletani IV. canon 19. Secundum synodalia vel decretalia constituta cum omni Clericorum vel civium voluntate, ab universis comprovincialibus Episcopis, aut certe a tribus in sacerdotium die Dominicā consecrabitur, convenientibus ceteris, qui absentes fuerint, literis suis, & magis auctoritate vel presentia ejus, qui est in metropoli constitutus.

VIII. *Aegidius* hoc metropoliticum in Ecclesia longo temporis usita confirmatum erat, ut ipsi etiam Pontifices Romani conveleire illud aliquando vererentur. Apud Heliodolum lib. 1. cap. 81. cum Bremenis Archiepiscopus Geroldum Aldenburgenis Ecclesie se incio electum consecrare recusaret, electus Adrianum III. Pontificem adiit, qui consecraturum libenter professus est, si sine injuria Metropolitani id fieri posset. Et Johannes VIII. non ausus fuit Luponem ad episcopatum Sarissennatenis Ecclesie promotum ordinare, sed mandat Archiepiscopo Ravennateni, epist. 154. cui metropoliticum id jus competebat, ut ipse eum ordinaret, sub pena correptionis canonicae. Idem Johannes epist. 281. re-scribit Cleto & populo Geneueni, consecrasse se Optandum Episcopum, salvo deinceps ejusdem loci privilegio antiquo propriæ metropolis. Ipse etiam Gregorius VII. qui iura Episcopalia alias valde turbavit, Melitensem Episcopum consecrare noluit, nisi constiterit, Metropolitanu Rhegitano eum non esse subjectum. Sic enim scribit lib. 9. epist. 24. ad Comitem quendam: De eo autem, quod super electo Melitenji postulasti, moverit nobilitas tua, nobis esse intimatum, ad ius Ecclesie Regitanae pertinere. Unde non aliter annuedunt postulationi tuae perpendimus, nisi diligenter examinata justitia Melitensem Ecclesiam

clesiam ad prefatam Regianam parochie consecrationem non attinere constituerit. Nec aliter Pontifices Romani extra dioecesim suam jus consecrandi sibi vindicarunt, nisi, ob negligentiam metropolitani. Ita Stephanus V. Gualbertum patriarcham: *Nunc vero iterato tibi scribimus, nolentes alicuius Ecclesiae privilegium infringere, licet apostolica prerogativa possimus de qualibet Ecclesiâ Clericum ordinare.* Eccl., apud Gratian. c. nunc vero q. 3. At vero quis hodie sit Ecclesiae Romanæ usus, universo orbi notum est. Nihil enim verae potestatis vel auctoritatis Metropolitanis eorumque Concilii in Episcoporum ordinatione relictum est: ejus vis omnis ab uno Pontifice Romano pendet, & ab iis, quibus seu sponte, seu invitus ejus partem concescit. Ipsi etiam Praesules non alii, quam ei uni hujus beneficii gratiam habent, neque aliter nomina sua inscribere solent, quam sub hac formulâ: *N. miseratione divinae Sancte sedis Apostolica gratia Episcopus.* Cujus formulæ nullum ullibi in antiquis monumentis extat vestigium.

IX. Semper igitur & quolibet in casu necessaria olim erat Metropolitanus autoritas, qui propterea ordinationum potestatem habere dicitur can. 2. Concilii Taurinensi. Necessaria etiam erat præsentia Episcoporum provincialium, trium saltem, si convenire omnes non possent. Quod si in provinciâ tres tantum essent Episcopi, omnes comparere oportebat, nisi adversa valetudine afflicti fuissent. Alias enim canonica in contumacem decerni poterat pena. Quale exemplum occurrit in epistola Innocentii III. 92. lib. 1. ubi à Burdegalensi Archiepiscopo suspenitus legitur Episcopus Pictavensis, quod ad ordinationem Petragoricensis vocatus venire noluisset. Quod si in provincia aliquâ unum tantum contigerit remanere Episcopum, superstes Episcopus convocare debuit Episcopos vicinæ provinciæ, & cum eis ordinare comprovinciales sibi Episcopos, uti statutum fuit in Concilio Sardicensi, & legitur apud Gratianum c. si forte fin. dist. 65. Duorum autem numerus & præsentia ad aëtum hunc sufficiens non videbatur, uti de Siderio quodam Palebisco Episcopo refert Synesius epist. 67. eum non, ut fas est, declaratum fuisse, immo vero contra fas, quia non à tribus Episcopis fuerit constitutus. Et ex hac ratione statuit etiam Concilium Arausicanum I. can. 21. ut sicubi contigerit duos Episcopos Episcopum invitum facere, auctoribus damnatis, unius eorum Ecclesiae ipse, qui vim passus est, substituatur, sitamen vita respondet; & alter in alterius dejecti loco nichilominus ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, & ipse damnabitur, quod cautius ea que sunt antiquitus, statuta serventur. Igitur ex canonibus certum est, convocari debere omnes Episcopos provinciales ad ordinationem Episcopi, & justâ causâ exceptâ, tres ei ritè peragendæ sufficere: hos vero necessario à Metropolitanano cogendos. Absentes vero vel literas vel legatos mittere debere. Unde & Fulbertus epist. 61. rationem reddit, quod Theo-

Theodoricum quendam constituto die non ordinaverit. Una, inquit, causarum bēc fuit, quia die illo, quo sacrandus esse videbaris, comprovincialium Episcoporum, qui aberant, nec literas, nec legatos habuimus.

X. Quod dixi, ad Episcopos provinciales potissimum pertinere actus hujus exercitium, & in casu necessitatis invitari debere Episcopos alterius provinciae, id non accipendum est, ac si solo necessitatis casu & nullatenus extra eum admitti deberent Episcopi finitimi. Quin potius ex Theodoriti historiā Ecclesiastica discimus, Episcopos provinciarum pro arbitrio suo invitasse etiam alios extra provinciam. Sic enim ex recensione ejus canonem Concilii Nicæni interpretatur epistola Synodica Concilii Constantinopolitani, lib. 5. cap. 9. Ut in singulis provinciis Episcopi illius provinciae, & si illis placuerit, una cum ipsis finitimi, prout utile judicaverint, ordinationes faciant. Sed illos invitatos esse oportebat, uti disertè dicitur in canone 2. Synodi Constantinop. Non vocati autem Episcopi ultra diœcesin ne transeant, ad ordinationes vel alias administraciones Ecclesiasticas. Et in Concilio Antiocheno can. 13. Nullus Episcopus audeat ab una provinciâ in aliam transire, & ad promotionem ministerii aliquos in Ecclesiâ ordinare, nec si alios secum inducat, nisi venerit literis accessitus metropolitani & Episcoporum qui sunt cum ipso, in quorum regionem accedit. Si autem nullo vocante, inordinate adveniat, ad aliquorum ordinationem & ecclesiasticarum rerum ad se non pertinentium constitutio- nem, sicut quidem irrita, que ab ipso geruntur. Ipse verò sue perversitatis & præter rationem factæ aggressionis, pœnas det, exinde scil. à sanctâ Synodo de- positus.

XI. Nec dubito, eos, qui ita ex finitimis locis invitabantur certæ Ecclesiæ addictos, & titulatos, ut loquebantur, esse debuisse. Qui enim incertæ ordinationis erant, & pasim vagabantur in provinciis, neque presbyteros quidem aut diaconos ordinare poterant. Sic enim constitutum fuit anno DCCLV. in Concilio Vernenli can. 13. De Episcopis vagantibus, qui parochias non habent, nec scimus ordinationem eorum, qualiter fuit, placuit juxta instituta sanctorum Patrum, ut in alterius parochia ministrare, nec ullam ordinationem facere debeant, sine iussione Episcopi, cuius parochia est. Et paulo ante anno DCCLII. in Concilio Vermeriensi c. 14. Ut ab Episcopis ambulantibus per patrias ordinatio presbyterorum non fiat. Add. Concil. Cabilonensi. II. c. 43. Vice versa in Consilio Westmonasteriensi can. 5. prohibitum fuit, ne ordinandi ad tales Episcopos commereant. Quia quidam Clerici desperantes ab Episcopis suis ordinari, vel propter imperitiam, vel propter vitæ incontin- nitiam, vel nativitatis conditionem, aut tituli defectum, aut etatem minorem, ex râ provinciam suam interdum etiam à transmarinis Episcopis ordinantur, vel ordinatos se mentiuntur, ignota sigilla Episcopis deferentes, statuimus, talium ordina- tionem irritam esse babendam.

M m m

XII. Dum

XII. Dum ordinationis actum ab Episcopis peragi volumus, non facimus cum iis, qui jure divino αξιωμα istud constitutum tradunt, quique ministerium ordinationis ita annexum esse volunt Episcopatu*m*, ut si minister alius, qui Episcopus non est, consecret Episcopum aliud aut Sacerdotem, sive ordinet, consecratio prorsus irrita sit jure divino. Supra lib. 1. cap. 3. abunde docuimus, praeunte Chrysostomo, illam ordinandi potestatem ab Episcopis titulo non satis bono presbyteris erectam, & in ea presbyteros ab Episcopis circumventos atque defraudatos fuisse. Tota ergo, quæ circa hoc negocium Episcopis cessit, ψευδοχριστι, ex usurpatione ortum habet, cui deinceps accesit consuetudo & præscriptio, & ipsa denique in Conciliis facta confirmatio. Quid ergo si alicubi nulli inveniantur Episcopi, & neque ex viciniâ commodè accersiri queant? Hic sine dubio non admittent Canonistæ, consecrationem fieri debere. Rectius tamen, nî fallor, docuit Guilielmus Antifiodorensis in 4. sentent. dist. 25. Si non essent, inquit, in mundo, nisi tres tantum simplices Sacerdotes, oportaret, quod aliquis eorum consecraret aliud in Episcopum & aliud in Archiepiscopum.

XIII. Cæterum cum electus nondum consecratus officio suo defungi nequeat, ne Ecclesia Pastore suo destituta incommodum aliquod patiatur, in Concilio Chalcedonensi utiliter constitutum fuit, ut intra tres menses post electionem expediri debeat consecratio. Verba canonis 25. hæc sunt: *Quoniam quidam metropolitani (sicut ad nos pervenit) greges sibi commissos negligunt, & Episcoporum ordinationes differunt, visum est sanctæ Synodo intra tres menses fieri ordinationes Episcoporum, nisi forte inexcusabilis necessitas coegerit tempus dilationis prorogari.* Si autem hoc non fecerint, eos ecclesiastice & correctioni subjici. Quapropter Metropolitanus, postquam ei de electione certæ personæ fides facta fuisse, intra tres menses diem constituebat, quo consecratio fieri debuit. Idque conqueritur Ivo Episcopus Carnotensis epist. 8. quod sibi electo, & ordinationem desideranti Metropolitanus suus, qui erat Richerius Archiepiscopus Senonensis diem præfigere noluerit: *Cumque, inquit, clericis potentibus & pulsantibus nullum diem consecrationis meæ velletis præfigere, interea consilium nibi fuit, electioni eorum non omnimode assensum præbere, donec certus fierem & de Gaufridi depositione & summi Pontificis voluntate: ad quem cum perveniss' em ad petitionem Ecclesie Carnotensis Apostolicâ autoritate sum constrictus, & ita in Episcopum consecratus.* Infensus scil. erat Richerius & male affectus erga Ivonem, magisque favebat Gaufrido exauctorato & remoto. Idcirco diem ex die trahebat, atque tergiversabatur, nec volebat adeò Ivonis consecrationi diem præstituere suoq; munere fungi. Id quod exprobrat ei Ivo.

XIV. E contrario verò ipse etiam electus urgendus est, ut consecrationem suam promoveat, sicuti differre eam temere visus fuerit. Malè audis

audit in historiâ Britannicâ Gaufridus, vel ut alii pronunciant Galfridus Henrici II. Regis Anglorum filius notus, quod cum ex Archidiacono Lincolnensi Ecclesie ejus Episcopus electus esset, ordinationem suam per integrum septennium protraxerit, nec eam tamen experierit deinceps, sed postquam per tanti temporis spacium redditis percepisset, Episcopatui, instigante patre, prorsus renunciaverit. Sic enim de eo Guilielmus Neubrigensis lib. 2. c. 22. *Cum ille amplissimis contentus redditibus, ut liberius vacaret deliciis, canonicae consecrationis tempus protraheret, ovesq; Dominicas nesciens pascere & doctus tondere multo tempore Lincolnensi Ecclesie sub electi nomine incubaret, -- Rex paenitentia datus, quod delicatum juvenem & tanti honoris apici minus congruentem, carnali affectu ita promovere voluisse, cum tandem ad refutandum jus & nomen electi prudenter induxit. Sed profecto ipse quoque Pontifex Romanus Alexander III. procrastinationem illam consensu suo ratam habuit, dum de eo sic scribit Petrus Blesensis epist. 75. Scis, quia Lincolnienis Episcopatus, pro quo specialiter missumus, quindecim annis aut amplius, jam vacavit: Dominusq; Cantuariensis recepit à summo Pontifice in mandatis, ut compellat electum consecrationis munus & officium Episcopale suscipere, aut ibi alium omni occasione & appellatione remota, non differret ordinare. Res autem in contrarium versa est: nunc enim de novo consecrationem electi distulit in triennium Romana Ecclesia. Ideoq; temerarium esset nos rigore uti, quem evacuat dispensatio aliena &c.*

XV. Dixi, à Metropolitano præfigi debere certum diem consecrationis actui. Hic verò valde superstitiones se præbent in assignandis temporibus Pontifices Romani. Gelasii apud Gratianum c. fin. dist. 75. hæc est definitio: *Ordinationes presbyterorum & diaconorum nisi certis temporibus & diebus exerceri non debent, id est, quarti mensis (h. e. Junii). Nam à Martio primum mensem numerabant, & septimi (id est, Septembris) & decimi (id est, Decembris) sed etiam quadragesimalis initii (id est, in primâ septimanâ quadragesimæ) ac medianæ hebdomadæ, & sabbati jejunio circa vesperram ordinationes noverint celebrandas. Quæ verò sit ratio, cur his & non aliis temporibus fieri queant ordinationes, parum commode explicant Canonistæ. Johannes Baptista Vivianus in Rationali ad c. 3. q. de temp. ord. hanc reddit, quia sacri ordines propter eorum majorem excellentiam, exigunt maiorem reverentiam, quam ordines minores: & quoniam inter cætera requisita est, ut conferantur jejuniis & à jejuniis; ideo ad illorum collationem statuuntur ista precipua tempora jejuniorum, quæ ad illos conferendos nec nimium sepè nec nimis raro veniunt in anno. At verò, ut non negamus, ministrorum Ecclesiæ ordinationes jejunio juvari, quod & ipsa rei ratio est Apostolorum in actis exemplum svadent, ita non sequitur, ordinationes in jejuniis istis solennibus fieri debere, ut jam taceam inconstantes admodum de jejuniis istis qua-*

tuor temporum reperiri sententias, uti eruditè notat Johannes Dallæus de *jejun.* lib. 4. c. 7. Nihilominus tamen tempora ordinationis accurate observari voluit Ivo Carnotensis, & negat alio tempore se consecrare posse, uti postulaverat Congregatio Senonensis, epist. 58. Petitorio vestro, inquit, mandavit nobis *vestra fraternitas*, ut ele^{ct}um *vestrum* in purificatione beatæ Marie, pro officio nostro ordinemus in presbyterum, sequenti autem Dominicā consecremus in Episcopum. Sed Apostolica institutio & paterni canones habent, ut non fiat Levitica vel Sacerdotalis ordinatio, nisi i^e junio quarti mensis, septimi & decimi, aut initio quadragesimæ vel sabbato medianæ quadragesimæ. Et quia periculum est ordinatoris & ordinati, citra ordinem à patribus traditum, sacrum ordinem tradere vel accipere, expectet interim *vestra fraternitas* legitima tempora &c.

XVI. Dies iste, quo ordinatus quisque fuit, locum dedit & lesionem inter comprovinciales Episcopos. Ex hâc enim temporis prærogativâ ~~accederias~~ jus deducebatur, ita ut quanto quisque prior Ecclesiæ & muneri Ecclesiastico fungendo electus esset, tanto cæteros collegas, sedendi & suffragii ferendi ordine præcederet. In Concilio Bracarense I. can. 24. placuit, ut conservato metropolitani Episcopi primatu, cæteri Episcoporum secundum suæ ordinationis tempus aliis sedendi deferat locum. Et in Concilio Toletano IV. can. 3. ubi agitur de ratione & formâ habendæ Synodi, jubentur Episcopi convenientes introire, & secundum ordinationis suæ tempus residerere. Ita & Gregorius Magnus, cum pallium mitteret Syagrio Episcopo Augustodunensi, lib. 7. epist. 114. simul decrevit, ut Ecclesia Civitatis Augustodunæ secundum post Lugdunensem Ecclesiam locum obtinaret, cæteri verò Episcopi secundum ordinationis suæ tempus, sive ad confidendum in concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet aliâ re sua attendere deberent loca, & suorum sibi prærogativam ordinum vindicare. Et Hincmarus Remensis in epistolâ ad Episcopos de jure metropolitanorum, quæ habetur in editione Sirmondi tom. 2. sub num. 44. Inter quos, inquit, sicut & inter reliquos Episcopos hæc conditio regularis servatur, ut qui prius fuerit ordinatus, prior habeatur. Et hinc intelligi potest, quod dicitur in l. 29. C. de episc. audient. accusationem Episcopi institui debere apud Metropolitanum convenientibus tribus religiosissimus Episcopis, qui ceteris propter ordinationem preferuntur.

XVII. Ut verò de certitudine temporis & diei, quo quisque ordinatus fuerat, constaret, neve inane propterea litigium moveretur, constituerunt Patres Africani, ut Ordinatores testimonia ejus rei scripta darent, ut testator canon 89. in Cod. can. Eccles. African. Placuit, ut qui cunque deinceps ab Episcopis ordinantur per provincias Africanas, literas accipient ab Ordinatoribus suis, manu eorum conscriptas, continentis consullem & diem: ut nulla altercatio de posterioribus vel anterioribus oriatur.

Iste

Ille ipse ordo etiam observabatur in tractoriis sive Synodicis Epifolis, quibus Episcopi ad concilium habendum convocabantur, cuius rei testis est Augustinus in epist. ad Victorinum: Quod si & ex eis (Mauritaniis provinciis) ad Numidiam convocandum esset concilium, oportuit utique, ut aliquorum Maurorum Episcoporum, qui illic priores sunt, nomina in tractoriā pone-rentur. Quid in istā tractoriā non reperiens miratus sum. Deinde ad ipsos Numidas ita perturbato & negletto ordine scriptum ut nomen meum tertio loco invenerim, qui novi, quam post multos Episcopos, factus sum. Quae res & aliis injuriosa est satis, & mibi invidiosa. Qualiter autem conceptæ fuerint literæ ab ordinatoribus noviter creato Episcopo exhiberi solitæ, discere possumus ex documento de ordinatione Electranni Episcopi Redonensis, quod extat inter formulas, in appendice ad tom 2. Concil. Gall. n. 15. Anno incarnationis Jesu Christi Domini nostri DCCCLXVI. indictione XIV. anno piissimi Regis Caroli XXVII. Kalendas Octobris, in parochiā Turonicā ordinamus & ad Pontificalem sedem Redonensis Ecclesie consecra-mus ELECTRANNI, electione atq. decreto Cleri & plebis ejusdem Ecclesie nos in DEI nomine Antistites, Herardus Turonicae Metropolis, Attardus Namne-tensis, atq. Rodbertus Cenomanensis, cum consensu & literis cæterorum dioces-a-norum adhibito. --- Hæc ergo aliaq. ad institutionem & informationem fidelis Viri, fratri & filii nostri ELECTRANNI, die præfixo, verbo pariter & stylo promulgantes, Pontificali eum insulâ adornantes, sacrâ quoq. benedictione more sanctæ Ecclesie ditantes, annulo quoq. dotantes, & baculo decorantes, sanctæ Redonensis Ecclesie Pontificali eum ordine preferimus, & paternè cathedrali folio sublimantes, confratrem, consacerdotem & comparsipem in regimine & gubernaculo Ecclesie sanctæ nobis ex integro in DEI nomine efficimus, manum quoq. ad-notacionibus confirmavimus.

XVIII. Antequam vero consecrationis actus plenē absolveretur, oportebat ordinandum professionem fidei facere, quam scripto aliquando tradebat Metropolitanus suo, uti id docet instrumentum eā de re ab Adalberto Morinensi Episcopo confessum, tom. 2. Concil. Gall. in append. num. 12. Antiquitus quidem nullam Metropolitanano promittebant obedientiam, uti ex c. 3. &c. de major. & obed. eruditè colligit Petrus de Marca de concord. sa-cerd. & imp. lib. 6. c. 3. n. 13. & c. 7. n. 6. Postea vero invaluit, ut in profes-sione fidei simul obedientiæ mentio fieret, quam Metropolitanus exhibere oportebat consecrandum. Et Gregorius IX. c. 13. &c. de major. & obed. pernisiſit, ut secundum eandem formulam Metropolitanis præstaretur jura-mentum obedientiæ, quam ipse ab Episcopis sibi subjectis reciperet. Sedi autem Apostolicæ tūm temporis cæteros inferioris ordinis Episcopos pro-fessionem fidei fecisse, negat Petrus de Marca d. l. n. 14. quanquam negari nequeat, à metropolitanis, multis ante temporibus Apostolicæ fidei subje-

M mm 3 ctio-

ctionem & obedientiam promissam fuisse, uti testatur formula in append. ad d. vol. 2. Concil. Gall. n. 13.

XIX. Ut vero latius deinceps fimbrias suas explicavit Episcopus Romanus, & professionem fidei cum juramento a quovis Episcopo exigere coepit: ita etiam legati ejus simili honoris cultu se affici voluerunt. Scripsierat Leo I. Pontifex ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem: *De personā consecrandi Episcopi & de Clericisq; consensu Metropolitanus Episcopus ad fraternitatem tuam referat: quodq; in provinciō benē placuit, scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoq; confirmet autoritas, quæ reūis dispositionibus nihil moræ aut difficultatis debet afferre, ne gregibus Domini diu desit cura pastorum; uti legitur apud Gratianum, c. de persona dist. 65.* Quæ verba Hugo Lugdunensis Archiepiscopus Apostolicæ Sedis Legatus sibi quoque dicta putavit, & hinc non simplicium tantum Episcoporum, sed ipsius etiam Metropolitani Senonensis præsentationem fieri sibi debere contendit, uti patet ex Iwonis epist. 59. & 60. Sed cordatè ei respondit Ivo, de Episcopis quidem simplicibus d. ep. 59. Quod vero *mibi scripsisti*, propter officium legationis vobis injunctæ prius hoc ad notitiam vestram fuisse referendum, ut tunc eum demum consecraremus, cum quod vobis benē placeret, agnosceremus: quoniam sic præcepit Leo Papa Anastasio Thessalonicensi Episcopo Legato suo: personale hoc fuisse intelligimus fuisse privilegium, non generale decretum, maximè cum secundum eundem Leonem, *Legationis officium pars sit Apostolicae sollicitudinis*, non plenitudo potestatis. Demetropolitano vero, epist. 60. his verbis: *Cum ergo tam ista, quam alia generalia instituta tam absolute consecrationem metropolitani contineant, miramur, cur privatis legibus & novis traditionibus veteres traditiones & consuetudines removere contenditis, præcipiendo, ut Senonensis electus ante consecrationem suam vobis presentetur, & jure primatū vestri subjectionem & obedientiam profiteatur. Quod hactenus nec in Senonensi provincia, nec in aliis provinciis antiquitas instituit, nec consuetudo servavit. --- Quod si privilegio vestre legationis eum vobis contenditis presentari, qui nec apud nos, nec apud vos ab aliquo est accusatus, non ita Papa Leo Anastasio instituit Thessalonicensi Episcopo Vicario suo, sed ut tantum de nomine electi ad notitiam ejus provinciales referant Sacerdotes, ipse autem nullis difficultatibus, nullis dilationibus justas fatigaret electiones.*

XX. In hunc igitur modum ampliatum fuit *τὸ κύρος* Metropolitani, ut non reverentia tantum, sed etiam obedientia ei cum jurejurando promitteretur. Quod si Metropolitanus ipse præsens in ordinationis actu non fuisset, spondebat Episcopus & jurabat, se ut primum posset, Metropolitanam sedem visitaturum, in signum, ut loquuntur, reverentiæ corporalis. Concilium Tarragonense cap. 5. Si quis in Metropolitanâ civitate Episcopus non fuerit ordinatus, susceptâ benedictione per Metropolitanî literas honorem fuerit

rit adeptus Episcopi, id optimum esse decernimus, ut postmodum statuto tempore, id est, impletis duobus mensibus se Metropolitani sui presentet aspectibus, ut ab illo monitis Ecclesiasticis instructus pleniū, quid observare debeat, recognoscatur. Quod si forte hoc implere neglexerit, in synodo increpatus à fratribus corrigatur: et si forte infirmitate aliqua, ne hoc impleat, fuerit impeditus, hoc suis literis Metropolitano indicare procuret. Refertur à Gratiano c. si quis dist. 65. Ita postquam in Concilio Toletano XII. can. 6. placuisse, ut qui Regi & Episcopo Toletano probati essent, ad Episcopatum ordinarentur, mox subiungunt canonis ejus autores: Sic tamen, ut quisquis ille fuerit ordinatus, post ordinationis suae tempus intratrum mensium spaciū proprii metropolitani presentiam visurus accedat, qualiter ejus autoritate vel disciplinā instructus, condigne suscepta sedis gubernacula teneat.

XXI. Illud insuper notandum, in consecratione Episcoporum auditas quandoque voces acclamantis populi, cui solenne fuit per vocabulum ἀξιωματικῶν suas exprimere gratulationes & judicia. De Alexandri ordinatio-ne in sede Constantinopolitanā scribit Photius: Καὶ ὁ λαὸς μιᾶς Φωνῆς σὺν ἀντῷ βασιλέως θῆται τὰς ὠραῖας ἐποιεῖται τὸ ΑΞΙΟΣ. Et Philostorgius lib. 9. hist. Eccles. c. 10. ut Demophilum Constantinopoli à Theodoro Heracleæ Episcopo ordinatum odiosum magis redderet & acerbius perstringeret, multos ex præsente populo ἀντὶ τῆς ΑΞΙΟΣ exclamasse scribit ΑΝΑΞΙΟΣ, quod indignus fuerit isto Episcopatu.

XXII. Denique nec illud omitti debet, quod accuratè hodiè distingui soleat à Canonistis inter benedictionem & consecrationem, ita ut Episcopi consecrari, Abbates verò benedici tantum dicantur. Et videtur ista distinctione jam tūm ætate Iwonis obtinuisse, qui epist. 73. ita scribit: Quid ergo est disceptandum de benedictione Abbatis, à quocunq; Episcopo eam fuerit consecutus, in quā nec sit manus impositio; nec consecratio, sed simplex oratio. Idem tamen Ivo epist. 88. benedictionis vocabulum utriusque & Episcopo & Abbatii applicat. Sic & Gregorius Turonensis lib. 4. cap. 6. loquentes ad Catonem presbyterum refert Episcopos: Veni, consenti nobis, & benedicentes consecremus te ad Episcopatum. & lib. 8. c. 20. ait, Faustinianam eā conditione remotum, ut eum Berthramnus Orestes & Palladius, qui eum benedixerant, vicibus pascerent. Differentiæ ratio videtur primum accersita exinde, quod ordinationem Sacramentum esse statuerunt Ecclesiæ Latinæ Doctores, atque id applicari noluerunt Abbatibus, quippe quos in ordine esse negant.

CAP. X.

CAP. X.

De Uso & autoritate pallii.

I.

Ad executionem officii necessariam esse Archiepiscopis pallii susceptionem, imò verò, antequam id fiat, minus omnino posse Archiepiscopum, quam simplicem Episcopum, qui nullo pallio indiget, perpetua est horum temporum apud Romanos doctrina. Rationem reddit Innocentius III. in c. 28. §. super eo. X. de ele&t. quia id non tanquam simplex Episcopus, sed tanquam Archiepiscopus facere videtur. Hincque adeò fit, ut Archiepiscopus ante pallii susceptionem uni ex suffraganeis alterius ordinationem mandare possit, ipse verò ordinare non possit, ut maximè simplicis Episcopi necessarias qualitates & conditiones omnes sustineat. c. 11. X. de ele&t. Etsi enim non negent Canonistæ, accepisse electum & consecratum potestatem Archiepiscopi, neque hanc à pallio demum conferri, negant tamen, habere eum exequendi facultatem, antequam pallium à sede Romana acceperit, & nec Archiepiscopum interim dici debere, per c. 3. ¶. de us. & aut. pall. Rem exemplo declarat Franciscus Bosquetus ad Innocentii III. epist. 47. lib. 1. Legatus propriam habet jurisdictionem, at eam exercere non potest, imò nec habere videtur, nisi ipsa à Pro-Consule mandata, l. 13. ff. de off. Procons. Ita, inquit, etiam Archiepiscopus, qui vices Pontificis & Legationis officium fungi passim dicitur in jure, propriam quidem habet jurisdictionem, sed antequam per pallium demandata sit, exercere non potest. Et porro: quemadmodum proconsul ipse jurisdictionem non habet, antequam provinciam ingressus fuerit, l. 4. §. 5. ff. de off. procons. mandare tam jurisdictionem nihilominus potest, l. seq. ff. cod. ita & Archiepiscopus mandare potest, antequam recipiat, ea que sunt jurisdictionis Episcopalis. Unde si queratur, quid accipient Archiepiscopi per consecrationem, in promptu responsio est, per consecrationem Archiepiscopum acquirere plenitudinem pontificii potestate, non aetu: quoad ordinem, non quoad executionem ordinis; quia ante pallii susceptionem, pontificalia munia obire prohibeatur. Anton. Dadin. Alteserra ad c. 3. X. b.t. Disputatum inde fuit anno Christi MCCCXXCI. in Angliâ, utrum liceret Wilhelmo Courtnay designato Archiepiscopo Cantuariensi crucem à Priore & conventu acceptam ante se deferri, antequam à Papa pallium accepisset? & porro, quia Regis Boëmiae Soror Angliae Regi Richardo II. nuptura expectabatur, utrum liceret Archiepiscopo isti jure metropolitico sibi competente nuptias illas copulatione Ecclesiasticâ confirmare & Reginam coronare?

nare? Sed is perplexus dubitationis scrupulus non à JCTis & causidicis, sed à Monachis Cantuariensisibus, qui aetus crebros & frequentes rerum similiter sine pallio gestarum proferebant & Cantuariensis Ecclesiae consuetudinem allegabant, facile sublatus est, referente Johanne Josselino in *antiq. Eccles. Cantuar. in vitâ dicti Wilhelmi*. Sed nec deserendum ministerium, propter negatum à Papâ pallium, ad Turonensem Archipræsulem scribit Fulbertus Carnotensis epist. 47.

II. Pallium ipsum à Lothario Cardinale, qui postea fuit Innocentius III. lib. de offic. miss. describitur hoc modo: *Pallium istud, quo majores Episcopi utuntur, est de candidâ lanâ contextum, desuper habens circulum humeros constringentem, & duas lineas ab utrâq. parte pendentes, quatuor cruces purpureas, ante retrò, à dextris à sinistris, sed à sinistris duplex est, & simplex à dextris. Tres etiam acus aureæ infiguntur pallio ante pectus, super humerum & post tergum, super dextrum humerum non infigitur, hæc quælibet acus pretiosum continet lapidem.* Horum omnium, quid unumquodque significet, mysticam interpretationem subjungit Lotharius. Breuius ita explicat Pontifex ipse Clemens II. in diplomate ad Johannem Archiepiscopum Salernitanum apud Baronium ad ann. 1047. n. 12. In quo, *quia de vellere ovis est, intellige, te ovium pastorem. Et quia eo circumcingeris, & etiam circa humeros portas, cognoscas & undiq. circumspicias, ne aliqua erret, & in morsis incidat luporum. Quod si aliquando, quod absit, contigerit, eam habeas in humeros ad caulam reportare, & pristinæ societati coadunare. Quod verò ante & retrò crux Domini habetur, illud Apostolicum semper docet ante oculos tuæ mentis habere: mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Add. Joh. Steph. Durantum de ritib. Eccles. Cathol. lib. 2. c. 9. n. 44. Et hujus pallii dignitatem suo tempore tanti æstimavit Bernardus Abbas Claravallenensis, ut in epist. 246. ad Papam Eugenium scribere animum induxerit, se tolerabilius habuisse sibi interdici misarum celebrationem, quam Bituricensi Archiepiscopo usum pallii.

III. Sic autem conficitur, ut ipsorum habet ceremonia. In die Agnetis Virginis, qui est Januarii dies XXI. in templo D. Agnetis Romæ, cum in milsa imploratur Agnus DEI, super altare ponuntur agni duo candidi, postea traduntur Basilicæ D. Petri subdiaconis: hi mittunt illos in pascua, suoque tempore tondent, ex eâque lanâ, permixtâ reliquæ lanæ, cum in filum deductâ fuerit, parantur pallia. Latitudine sunt ad tres digitos, ab humeris propendent in pectus atque renes: ad extremum sunt laminæ plumbeæ tenues, ejusdem latitudinis. Ad hunc modum contexta deferruntur ad corpora D. Petri & Pauli, ac certis ibi precibus expeditis, relinquuntur per noctem unam: alterâ die subdiaconi recipiunt: & honesto loco diligenter asservant, donec qui opus habet, Archiepiscopus aut ejus procurator sibi dari petit. Traditur autem multis cum ceremoniis, & deferenti-

Nnn

ferenti-

ferentibus mandatur, ne supra noctem unam, si modo fieri posset, in eodem loco subsistant, aut commorentur. Hanc adeo nec operosam neque sanè preciosam mercem Archiepiscopos maximâ vi pecuniæ redimere oportet à Pontifice, ut postea dicendum erit.

IV. Cum pallio hoc Archiepiscopi & nomen & potestatem actu conferri, idque Archiepiscopi quasi proprium esse volunt, unde & Archiepiscopalis insula dicitur à Frodoardo in Cbron. ad ann. DCCCXXIII. Seulfo Archiepiscopo Archiepiscopal insula, quæ pallium nominatur, ab Johanne Papa transmittitur. Sæpè tamen etiam aliis Episcopis minoribus id concedi à Pontifice Romano solet, vel ex speciali gratiâ atque privilegio, vel ex consuetudine. Ita Episcopus Ostiensis, dum Episcopum Romanum consecrat, pallio utitur, quod ex Marci Papæ constitutione profectum refert Anastasius Bibliothecarius in ejus vitâ. Sed Severinus Binius ibid. consuetudinem illam multo antiquorem esse tradit, ejusque sententia confirmari potest ex appendice Roberti de Monte ad Sigeberti Gemblacensis Chron. ad ann. 1181. dum scribit: *Ex hac consuetudine, (quam refert ad tempus Dionysii Episcopi Romani) exinde Ostiensis Episcopus ordinat & sacrat Romanum Pontificem, & habet pallium solummodo ad ea, quæ pertinent in ordinatione & consecratione Romani Pontificis.* Si tamen credendum fuerit Petro de Marca de concord. Sacerd. & imper. lib. 6. c. 6. in fin. suspicatur ille, ætate Theodosii, quæ incidit in seculum quintum, pallium nondum fuisse in usu apud Ecclesiam. Ex simili consuetudine etiam Episcopo Papiensi, & Armicensi, & Massano competere usum pallii refert Henricus Cardinalis Hostiensis in summ. ad b. t. Consimiliter Samsoni Dolensi Episcopo concessum pallium à Pelagio I. Syagrio Angustodunensi Episcopo à Gregorio I. Ticinensi ab Anastasio III. Lucensi in Thuscianâ à Gregorio VII. Bambergeni in Germaniâ à Leone IX. Aniciensi ab Urbano II. & sic aliis ab aliis.

V. Fieri autem vix potuit, ut specialia hæc simplicibus Episcopis concessa privilegia non aliquando bilem moverint eorum Metropolitanis, quippe qui indignè ferebant, insignia hæc sua & singularia ornamenta cum sibi subiectis communicarl. Miseraf Johannes VIII. Papa Waloni Episcopo Metensi tale pallium, ut tamen ipse solus, quoad viveret, eo uteretur, nec simili privilegio gauderent Successores. Id verò dissensionem excitavit inter Berthulfum Treverensem Archiepiscopum, & istum Walonem ejus suffraganeum. Epistolam ipsam Johannis Papæ, & rem gestam ex MS. historiâ Treberorum recenset Petrus de la Lande in suppl. Concil. Gall. ad ann. 878. his verbis: *Bertolhus Metropolitanus audiens Walonem in secundâ die Paschæ cum pallio procedere, missis literis evocatum Treberis percunctatus est, quando vel quomodo, vel à quo procedere cum pallio fuerit concessum. Walo lecto in auribus omnium qui aderant, quod sibi à Papâ transmissum fuerat de usu pallii,*

pallii, privilegio, afferuerit, non se primum, sed quintum fuisse, quem Apostolica Sedes hoc honore dignata sit sublimare, salvâ tamen in omnibus Metropolitani subjectione, primum Urbicum, secundum Pipini Regis ex sorore nepotem, Grodegangum, tertium Angelramnum, quartum Drugonem Karoli Imperatoris filium. Bertolus b̄is assertionibus non flexus, capitulo canonum lecto, quo afferitur (nulli suffraganeorum novum, & quod non ab omnibus in Ecclesiâ suâ prædecessoribus habebatur, absque Metropolitani sui consilio & licentia presumendum) interdixit ei per sanctam, quam in omnibus Ecclesiasticis negotiis sibi deberet, obedientiam, ne ulterius, nisi ab eo petita & concessâ licentia, pallio uteretur. Cumq; Walo Apostolicam autoritatem prætenderet, Archiepiscopus Metropolitanorum jura defenderet, graves utrinque conflatae sunt inimicitiae. Hinomarus igitur Reverendissimus Remorum Archiepiscopus, ac eloquentia clarus, audiens dissidentiam, epistolam Waloni transmisit sapientie ac sani consilii sale conditam, per quam eum ad Metropolitani sui instruxit obedientiam, & sic restituit concordiam.

VI. Sed nec metropolitanis quidem pallium concedebatur, nisi obnoxie & summis precibus, sive, uti Gregorius ad Brunichildem Reginam Francorum scribit, lib. 7. epist. 5. fortiter postularetur, c. prisca, dist. 100. Idque probat formula apud veterem auctorem rituum Ecclesiasticorum lib. 1. tit. 10. cap. 5. descripta: *Ego N. electus Ecclesiæ N. instantiū & instantissimè peto mibi tradi & assignari pallium, &c.* Sed & præsentem esse oportebat Metropolitanum, nec licebat domi expectare, ut illud mittetur. Quâ de re monitum voluit Brunonem Episcopum Veronensem Gregorius VII. Papa, lib. 1. epist. 24. *Dilectionem tuam in his, quæ à nobis expostulasti, id est, in pallii concessione ad præsens non recompensamus, quia antecessorum nostrorum decretivit autoritas, nisi præsenti persone pallium non esse concedendum.* Unde si fraternitas tua Apostolice Sedi privilegiis munita ad nos venit, bonorem, quem Rom. Pontifices antecessoribus tuis contulerunt, nos tibi DEO concedente conferemus. Hujus vestigiis infistens Urbanus II. ut singulare quid & speciale jaçtitat, quando, apud Platinam, ad Archiepiscopum Mediolanensem his verbis pallium mittit: *Literis tuis exorati, cum Apostolice Sedi benedictione pallium fraternitati tue mittimus, quod quidem dignitatis genus nulli ante nisi concessum est.* Nec tamen id semper ita ab antecessoribus observatum fuisse, docet antea allegata Gregorii ad Brunichildem epistola, in quâ dum causas refert, propter quas denegari Syagrio Episcopo debeat pallium, nullam facit mentionem ejus, quod præsentem ipse se non stiterit, sed tantum, quod ille specialiter pallium non expetierit. Nihilominus tamen eidem absenti id mittit per nuncium suum, sub hâc conditione, si petitionem ille suam nuncio exposuerit: *Nos tamen, inquit, ne vestre excellentia desiderium sub pretextu cuiusquam excusationis forsitan videtur velle differre, dilectissimo filio nostro Candido presbytero pallium prævidimus*

Nnn 2 (forte:

(fortè: præbuimus) dirigendum, injungentes ei, ut vice nostra congrua id debeat observatione tribuere. Unde necesse est, ut ex opere suo suprascriptus frater, & Coëpiscopus noster Syagrius, facta cum aliquantis Episcopis suis petitione hoc spectare, atque eam prædicto debeat dare presbytero, quatenus dignè ejusdem pallii usum cum DEI gratiâ valeat adipisci. Consimiliter Clemens II. Papa, turbatâ post mortem Burchardi Archipræfatus Ecclesiâ Lugdunensi, Odiloni Cluniacensis monasterii Abbatii pallium simul & annulum misit, jusisque ejus Ecclesiæ esse Episcopum, uti refert Glaber Rodulphus lib. 5. b. 4. c. 4. Sic & Wilhelmus Courtney Archiepiscopus Cantuariensis, referente Joselino in ejus vita, per procuratores petiit & accepit pallium.

VII. Uſus pallii nec promiscue ubique, nec semper concessus intelligitur, secundum tradita Ecclesiæ Romanæ. Siquidem uti eo licet Archiepiscopo tantum in Ecclesiâ suâ, h. e. in quâlibet Ecclesiâ suæ provinciæ, & certis tantum diebus c. 4. & b. t. quos ibi enumerat Glossa. Ex singulari tamen privilegio Agapitus II. Brunoni Coloniensi Archiepiscopo pallium misit, quo si vellet, quotidiè uteretur, scribente Rotgero in ipsius vita. Et Hincmaro Remensi Episcopo Lotharii precibus pallium ad quotidianum usum concessit Leo IV. id nulli se antea concessisse nec deinceps concessum obtestatus, teste Flodoardo lib. 3. b. 10. cap. 10. Cumque ab Alexander II. Romano Pontifice Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi, duo pallia, honoris alterum, alterum amoris concessa legantur apud Scriptores historiarum Anglicarum, dubium mihi non est, id, quod amoris signaculum esse debuit, ad quotidianum usum datum fuisse.

VIII. Cum igitur unum tantum regulariter cuivis Metropolitano à Pontifice Romano detur pallium, id maximè dederunt operam in Româna Curiâ, ne istud unquam personam ejus, cui concessum est, egredetur, neve quis adeò antecessoris sui pallio uteretur. Inter crimina, de quibus accusatus fuit Stigandus Cantuariensis Ecclesiæ Archiepiscopus, etiam hoc fuit, quod Roberti antecessoris sui injustè ex Angliâ pulsi pallio Cantuariæ relicto aliquandiu usus fuerit. Et propterea ne id fieret, statuerunt Pontifices Romani, ut quisque cum pallio suo sepeliatur. Quod si ad aliam Ecclesiâ Archiepiscopus aliquis transferatur, nec tum quidem ei ejusdem pallii usum permittunt, quo in priore Ecclesiâ usus fuit, sed aliud petere cogunt, ut tandem, ubi defunctus fuerit, cum utroque sepeliatur. Quidita? non certè aliam ob causam, nisi ut novum quotidiè incrementum capiat ærarium Pontificium. Tanti enim venditur pallium unum (sunt verba Georgii Wicelii in elenco abusuum, pr.) quanti multa etiam ditissimi cajusq; latifundia, contra apertissimos canones Gregorii Magni, & aliorum: ut bodi enibil aliud sit pallii redemptio, nisi Germaniæ ac aliarum nationum tacita di-
reptio.

IX. Au-

IX. Audiamus eā de re verba nationis Germanicæ ex gravaminibus anno MD X. Cæsareæ Majestati oblatis, quæ leguntur apud Goldastum tom. 2. Constitut. Imper. pag. 120. Sedes Moguntina olim solū dedit decem millia florenorum. Quæ cùm quidam illic electus dare renueret, sicq; usq; ad mortem suam persisteret, electus post eum confirmationis cupidus se opponere timuit Sedi Apostolicæ, offerens antiquam summam; puta decem millium florenorum. Is nec confirmationem impetrare potuit, nisi Et reliqua decem millia simul redderet, quæ adhuc extabant à suo prædecessore nondum persoluta. Sicq; cogebantur dare viginti millia florenorum, quæ tunc indubie in registrum Cameræ signata sunt, Et usq; ad nostram etatem à singulis Archiepiscopis exacta: Et nēdum viginti millia, sed Et viginti quinq; propter nova officia Et novos Pontificum familiares. Tandem excrevit summa usq; ad viginti septem millia, quæ Archiepiscopus Jacobus cogebatur nuper persolvere, ut retulit Vicarius in spiritualibus Moguntinensis. Sicq; in vitâ unius hominis septies viginti quinq; millia à solo Archiepiscopatu Moguntinensi pro confirmatione Archiepiscopi Romam pervenerunt. Et cum Archiepiscopus Jacobus vix quatuor annos sedisset in Archiepiscopatu, mox post eum electus Dominus Uriel ad minus viginti quatuor millia coactus est persolvere: quorum partem mutuò forsan accepit à mercatoribus, sed ut illis satisfaciat, imponere coactus est subsidium aut exactionem in suos populos Et pauperes agricultores, quorum aliqui nondum satisfecerunt tributo aut exactioni pro pallio à suo prædecessore Jacobo impositæ. -- Non sine causâ Jacobus Archiepiscopus Moguntinensis jam ferè moriens dixit, se de morte suâ non adeò dolere, quam ob id, quod subditi sui pauperes iterum pro pallio gravem exactionem dare cogerentur Et. Haud paulo felicior in hoc genere fuit Anglia, cuius Rex Canutus, cùm Religionis causâ Romanam petiisset, obtinuit, ut Episcopi Angliæ liberi deinceps essent à solvendis pecuniis, quæ ab eis Romæ exigebantur propter imperatum pallium. Conquestus iterum sum (ita scribit Rex ad Agelnothum Cantuariensem & Alfricum Eboracensem Archiepiscopos) coram Domino Papa, Et mibi valde displicere dixi, quod mei Archiepiscopi in tantum angaria- bantur immensitate pecuniarum, quæ ab eis exigebantur, dum pallio accipiendo, secundum morem, Apostolicam Sedem expeterent, decretumq; est, ne id deinceps fiat Et. Vid. Wilhelmus Malmesburiensis de gest. Reg. Angl. lib. 2. c. 11.

X. Illud denique notandum, Pontificem Romanum violentâ quādam præsumptione sibi arrogasse jus conferendi pallium per totum terrarum Orbem, & ex nimia sui æstimatione statuisse, Patriarchas Orientales jus non habere conferendi illud ex se, sed cùm à sede Romanâ ipsi obtinuissent, tum denum Metropolitanis suis impertire id posse. c. antiqua 23. X. deprivileg. Verum, uti hoc Innocentius sibi ipsi blandiens in propriâ causâ inauditâ parte alterâ decrevit, & quidem contra decreta Concili Nicæni, quæ unumquemque Patriarcham in propriâ diœcesi voluerunt esse

independentem : ita mirum non est, parum observatam in oriente hanc Pontificis definitionem, & nec olim quidem usuita receptum fuisse, ut pallium patriarchæ à Pontifice Romano acciperent. De Alexandrinâ enim Ecclesiâ testatur Liberatus Diaconus in breviar. cap. 20. consuetudinem ibi fuisse, illum qui defuncto succedit excubias super defuncti corpus agere, manumque dexteram ejus capiti suo imponere, & sepulto manibus suis, accipere collo suo B. Marci pallium, & tunc legitimè sedere. Ubi notetur B. Marci pallium vocari, à primo ejus Ecclesiæ autore, nec adeò accepisse Alexandrinos Patriarchas pallia sua ex Urbe Româ, quæ ex corpore Petri sumpta dicebantur, c. 4. de elect. De Antiochenâ verò Ecclesia scribit Guilielmus Tyrius lib. 14. c. 10. quod Rudolphus Mamistanus, factus Patriarcha Antiochenus pallium de altari B. Petri ipse sibi sumpserit, utramq; esse D. Petri cathedralm, & hanc quidem antiquorem afferens.

XI. Quæ dixi hactenus, pleraque omnia noviori juri & sequioribus temporibus adscribenda sunt. Antiquitùs enim diversa erant omnia, & ipsum etiam pallium diversæ & formæ & materiæ. Nec verò negari potest, diu id in usu fuisse, sed ut pallium verum & suo nomine dignum, non ut fasciam tantum aut circulum aliquem humeros ambientem, qui ut nomen pallii sustinere queat, difficile erit explicare. Pallium utique nihil aliud denotat, quam Ἄριελημα seu Ἀριελημα aliquod, vago & libero discursu cæteras vestes interiores ambiens, atque tegens. Fascia verò illa, quâ totum hodiè Archiepiscoporum pallium absolvitur, tam aliena est ab isto significatu, ut non nisi æquivocè, imò prorsus absurdè pallium dici queat. Quia tamen nomen adhuc supereft, non inepte inde colligitur, & ex antiquitatis fontibus eruitur, longè aliam fuisse olim pallii hujus Episcopalis & formam & usum. In quâ re cum egregiam operam præstiterit olim illustrissimus Petrus de Marca de concord. Jacerdot. Et imp. lib. 6. cap. 6. non puto facturum me impudenter, si vestigiis ejus insistens aliquid ex laboribus ejus decerpam, & alienam purpuram vestimento huic meo affuam, atq; insignem tanti Viri eruditionem gratâ memoriam prosequar.

XII. Et certum quidem est, ipsaque nominis ratio ostendit, pallium istud olim fuisse indumentum totius corporis ad talos neque promissum, & splendidissimum quidem atque preciosum. Lanea enim ejusmodi fasciola tam insignis ornamenti, ut id describunt veteres, laudem non meretur. Pelagius I. in epist. 6. ad Sapaudum Episcopum Arelatensem his verbis id commendat: *Usum quoq; pallii tibi alacriter affectuoseq; concedimus, pariter etiam pallium dirigentes, ut in tanti loci fastigio constitutus præclaro quoq; habitu decoreris.* Eodem modo etiam Gregorius I. magnis istud extollit laudibus lib. 7. epist. 114. Pallii te usu prævidimus honorandum, -- ut habitus quoq; exterioris clarior in te cultus accresceret. Cujus ne indumenti munificentiam nudam

dam videamus quodammodo contulisse &c. Scripsit ita ad Syagrium Episcopum Augustodunensem, eumque mox admonet, ita se gerat, ut cultui vestium actionis quoque ornamenta convenient. Quæ sanè verba habitum istum ita describunt, ut de fasciâ laneâ accipi & explicari minimè queant. Nec accipi similiter de fasciâ vix trium digitorum latâ commodè possunt, quæ Acacio Episcopo Constantinopolitano contigisse refert Liberatus Archidiaconus Ecclesiæ Carthaginensis *in breviar. cap. 18.* Damnatus is erat à Felice Papâ Romano, qui illi damnationis scripturam miserat per Totum defensorem. Sed Acacius *eas non suscepit*, patrocinio fultus Imperatoris, ita ut cogerentur, qui *eas detulerunt* per quendam monachum Achimetensem, ipsam chartam damnationis dum ingrederetur ad celebranda sacra, suspendere in ejus pallio, & discedere. Maxime autem huc facit locus Johannis Diaconi in vita S. Gregorii, ubi eum describit, quod in veteribus picturis videatur induitus pallio ex bysso candente contexto, & nullis acubus perforato, quod in morem vestis humeros ejus obtexerit. *Pallium ejus, inquit, bysso candente contextum, nullis acubus perforatum, sic ipsum circa scapulas devolutum fuisse,* non autem confixum, sicut vetustissimis musivis vel picturis ostenditur.

XIII. Cum igitur pallium Episcopale vestimenti genus fuerit, & ad humum usq; demissum, facile inde patet, simile id fuisse pallio Imperatorio, ab initio quidem solis Græcis proprio, sed postea Imperatoribus quoq; Romanis usitato. Apud Vopilcum jubet Valerianus dari Aureliano, inter alia, pallia proconsularia duo. Et in epistolâ Commodi ad Albinum: *Sanè ut tibi insigne aliquod Imperialis majestatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem.* Nec dubium est, ab Imperatoribus tale concessum fuisse patriarchis, à quibus deinde etiam cum Metropolitis communicatum fuit. Negare id nequeunt, qui donationem Constantini, uti eam recenset Gratianusc. *Constantinus dist. 96.* pro genuinâ & authenticâ habent, quanquam confictam eam esse inter eruditos nullum amplius sit dubium. In eâ autem fingitur Constantinus donasse diadema, videlicet coronam capit is sui, simulq; Pbyrgium, nec non & superbumerale, videlicet lorum, quod Imperiale circumdare assolet collum: verum etiam chlamydem purpuream, atq; tunicam coccineam & omnia Imperialia indumenta. Quid Pbyrgium hic sit, quid superbumerale five lorum, eruditè, ut solet, explicat Marca d. l. Dum ergo & chlamydem, id est, pallium Imperiale, & lorum, h. e. fasciam, quâ indumentum istud ornatum erat, confert pseudo-Constantinus Papæ Sylvestro, non censendus est Sylvester solius lori, abjectâ chlamyde, usum sibi servasse. Adeoque pallium, quod Constantinus contulisse fingitur, utrumque complexum fuit, chlamydem & lorum, non lorum tantum. Et hinc scilicet intelligitur, quare tantopere commendent Pelagius I. & Gregorius supra memorati pulchritudinem & splendorem hujus pallii.

XIV. Indumentum igitur hoc cum Imperatorum origine suâ fuerit, & ab Imperatoribus primitus concessum, uti negare nequeunt, qui dictæ donationi Constantini tantam adscribunt autoritatem, quantum ex se nunquam habuit, nec habere potest, non poterit sanè ejus uſus, niſi ex conſeſſione Imperatorum continuari. Id cum optimè noviſſet Anthimus Patriarcha Constantinopolitanus, cum ſede ſuâ cedere coactus eſſet, pallium quod habuit Imperatoribus (Justiniano & coniugi ejus Theodoræ) reddidit, uti refert Liberatus Archidiaconus breviar. cap. 21. reddidit, inquam, hoc eſt reſtituit illis, à quibus accepit. Reddere enim ad eum refertur, à quo res quæpiam accepta eſt. Accepiffe igitur eum hoc pallium ab Imperatoribus haud vana præſumptio eſt.

XV. Eodem Justiniano imperante petierat Auxanius, cùm in ſedem Arelatensem evectus fuifſet, à Pontifice Vigilio pallium. Ei verò reſpondit Pontifex epift. 6. De his verò, quæ charitas veſtratam de uſu pallii, quam de aliis ſibi à nobis petiit debere concedi, libenti hoc animo etiam in preeſti facere fine dilatione potuimus, niſi cum Christianiſſimi Domini filii noſtri Imperatoris hoc, ſicut ratio poſtulat, voluiſſemus perficere notitia, DEO auctore ut & vobis gratior preſtitorum cauſa reddatur, dum quæ poſtulatis cum conſenſu Christianiſſimi Principiſ conferuntur, & nos honorem fidei ejus ſervaffe cum competenti reverentia judicemus. Rationem hoc poſtulare dicit, ut pallium confeſſatur cum conſenſu Imperatoris, quæ ratio in hoc conſiſtit, quod pallium iſtud ſit Imperatorum proprium, neque fine eorum conſenſu cuiquam id induere li- ceat, cùm nec Cæſari quidem habitum Auguſtalem gerere, neque calceis coccineis uti, neque cinnabari ſubſcribere licitum eſſet. Vid. quæ in hanc rem collegit Albericus Gentilis adl. 7. C. de malef. & Mathem. Honor fidei autem conſiſtebat in eo, quod fidem dediſſet & promiſiſet Vigilius Imperatori, ſe fine ejus conſenſu tale nihil confeſſurum, & hanc fidem cum reverentiā le ſervaturam dicit. Cùm verò deinceps pallii uſum ei confeſſiſet, hortatur eundem, ut preces ad DEUM fundat pro Justiniano & Theodorā, qui anniteſte Beliſario patritio conſenſerant, ut Vicariatus ille ei tribueretur, atq; pallium ſimul confeſſeretur. epift. ſeq. 7.

XVI. Auxanio defuncto ſucceſſerat in Eccleſiā Arelatensi Aurelianuſ, cui eundem honorem, vicariatum ſcīl. impertiſ Vigilius, eidem ad maiorem autoritatem comparandam ſimul confeſſit uſum pallii, ſed ita, ut haud obſcurè prodat, Imperatoris Justiniani conſenſum impetrari priu oportuiffē. Verba ejus in epift. 10. hæc ſunt: Sed ne in aliquo ſediſ noſtre Vicarius minor ſuīs decessoribus videatur, neceſſarium fore credimus pallii vobis uſum, quemadmodum decessori veſtro hætenus dederamus, preeſti auctoſitate confeſſere. --- Et hoc quoq; veſtrum facere deſideramus affectum, ut glorioſo Viro filio noſtro Patritio Beliſario deſtinatis ſcriptis gratias referatis, qui homini veſtro

vestro labore ad clementissimum principem abstulit transeundi, sed mox ut responsum recepit, nobis suis literis indicavit. Mittendus nempe erat ab novo Episcopo ad Justinianum Imperatorem, qui ab eo, nomine Episcopi, consensum peteret pro impetrando pallio. Iustum laborem & sumptus itineris sublatos & levatos voluerat Belisarius, & consensum Principis obtinuerat, antequam nuncius eò venisset. Et hoc nomine jubet Vigilius Aurelianum gratias referre Belisario.

XVII. Gregorius Magnus eundem in conferendo pallio observavit procedendi modum. Etsi enim lib. 4. epist. 53. quâ de pallio à se Virgilio Arelatensis civitatis Episcopo concessa agit, nullam faciat mentionem Imperialis permissionis probabile tamen est, illam non fuisse negligtam, cum referat, se pallii usum, sicut prisca habuit consuetudo, concessisse. Consuetudo autem tūm fuit, ex Imperatoris aulâ ut potestas acciperetur. Idque confirmat, quod lib. 7. epist. 5. ad Brunichildam Francorum Reginam scribit idem Gregorius. Augustodunensis Ecclesiae Episcopus tūm temporis electus fuerat Siagrius. Pro eo intercesserat precibus suis Regina apud Gregorium, ut conferre illi vellet pallium. Respondet Gregorius: *Fratri & Coepiscopo nostro Siagrio pallium dirigere secundum postulationem vestram voluimus: propter quod & serenissimi Domini Imperatoris, quantum nobis diaconus noster, qui apud eum responsa Ecclesiae faciebat, innotuit, prona voluntas est, & concedi hoc omnino desiderat &c.* Et hæc ita Justiniani ævo in usu erant. Nec tamen tenebantur tūm temporis metropolitani pallium querere, nisi forte illi, qui ad consecrationem Pontificis Romani pertinebant. Reliqui enim in provinciis non facile ornatum istum vel petebant, vel accipiebant, nisi quando vices Pontificis Romani sustinebant. Tūm namque ut honoratior esset persona cum vicariatu plenumque simul pallium conferebatur. Nec ita venale tūm temporis erat illud; quanquam ætate Gregorii corruptelam aliquam talem invaluisse, non obscurè prodant, qui apud Gratianum inveniuntur, c. novit dist. 100. & c. nullus, cum seq. 1. q. 2. ubi prohibetur, ne pro pallio quidquam detur, vel accipiat. Prohibitio autem supponit, datum aliquid tale vel factum fuisse.

XVIII. Elegantia sunt, quæ ex posteriorum temporum historiâ de artificiis Sedis Romanæ obseruat Petrus de Marca cap. 7. nempe, seculo VIII. à Pontificibus Romanis institutum fuisse, ut Metropolitanus promiscue in Occidente omnes à Sede Romanâ pallium peterent, ut eâ ratione magis obnoxii fierent ei Sedi, ac præcipuo quodam jure & sub specie eximihi honoris Pontifici Romano subjicerentur. Id vero suboluisse Episcopis Gallicanis, & propterea hæsitaſſe eos, quid in hoc negocio sibi facendum esset. At mox Pontificem per Legatos suos ostendisse, pallium

Ooo

non

non ob aliud Archiepiscopis tribui, quām ut hoc exteriore signo à suffraganeis suis distinguerentur, & tū ejus intuitu admonerentur, teneri se ad vitam severiorem & sanctiorem. Atque sic eos deceptos honorem ita oblatum amplexos fuisse, collaq; adeò dominatui Romano submisisse, & antiquam suam libertatem perdidisse.

XIX. Ab eo tempore pretium quoque statui cœpit, quod pro pallio daretur, atque licet id deinceps dari & accipi posse creditum fuit, eti summā cum contentione olim in id operam suam posuisset Gregorius Magnus, ut pravam illam consuetudinem evelleret. Nec hodiē quidem id facile gratis conceditur, aut si omnino conceditur, facilè inveniuntur modi, quibus aliunde resarciantur damnum istud aut potius lucrum cessans. Cum Alexander VII. Petrum de Marca ex Tholosanā Ecclesiā in Parisiensem transferret, indulsit quidem & condonavit expensas in id negocium faciendas; sed quā ratione id factum fuerit, exponunt literæ Cardinalis Chisii ad eundem Petrum de Marca, quas evulgandas curavit Dn. Stephanus Baluzius: *Eā occasione attum est de condonandā impensā expeditionis.* Ac multa quidem erant, quæ sacro Collegio svadere videbantur, ne à veteri instituto & a constitutionum decretis recederetur: taxæ tenuitas, comparatione annuorum redditum: dicecessis tranquillitas, nullis armorum motibus, nulla terre cœlive calamitate per hos annos interpellata: superiorum Archiepiscoporum exempla, quibus nihil condonatum fuit: inopia deniq; ærarii Apostolici, temporum injuria valde imminuti. Vicit tamen hæc omnia consideratio meritorum, quæ illustrissima Dominatio vestra sibi apud Sanctam hanc Sedem comparavit, quæq; comparare in posterum facile poteris in hoc recenti gradu dignitatis; initaq; via est, quæ & illustrissime Dominationi vestre bonos haberetur & consuleretur rationibus sacri Collegii, aliorumq; qui titulo ouero in partem veniunt expeditionum ejusmodi, quemadmodum a procuratore suo cognoscere poterit.

XX. Et hæc quidem de pallio Archiepiscopali dicta nunc sufficiant. Unicum addam, quod omitti non debet, nempe ante receptionem pallii professionem fidei à metropolitanis potentibus fieri debuisse. Gratianus dist. 100. c. 1. hanc in rem adducit verba Pelagii Papæ, quæ tamen nūm ejus sint revera, dubitare licet. Ea autem sic habent: *Quoniam quidam metropolitanorum fidem suam secundum priscam consuetudinem sancte sedi Apostolice exponere detrectantes, usum pallii neq; expertunt, neq; percipiunt, ac per hoc Episcoporum consecratio viduatis Ecclesiis non sine periculo protelatur: placuit, ut quisquis metropolitanus ultra tres menses consecrationis sue ad fidem suam exponnendam, palliumq; suscipiendum ad apostolicam sedem non miserit, commissā sibi careat dignitate &c.* Inde vero conficiunt nonnulli, pallium istud fuisse symbolum conformitatis in fide & doctrinā, cum non daretur prius, quām de conformitate istā constaret. Alias autem solebant etiam Patriarchæ

fibi

ſibi invicem per literas, quas vocabant, synodicas, fidem suam declarare, & confessionem edere, quales non tantum à Proterio Patriarcha Alexandrino ad Leonem Pontificem Romanum, & à Sophronio Patriarcha Hierosolymitano ad Honorium, & à Nicephoro Patriarchâ Constantinopolitano ad Leonem III. itemque à Petro Constantinopolitano ad Leonem IX. misse referuntur; sed etiam à Gregorio Magno ad Johannem Patriarcham Constantinopolitanum, ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum, ad Grgorium & Anastasium Antiochenos, ad Johannem Patriarcham Jerosolymitanum editæ legi adhuc possunt in ejus registro, uti vocatur, lib. I. epist. 24. Et hoc illum præstítile ait Johannes Diaconus in vit. Greg. l. 2. c. 3. § 5. secundum præcessorum suorum morem.

CAP. XI.

*De Cruce Patriarchis & Archiepiscopis
anteferri solitâ.*

I.

Crucis signum magno in honore ſemper habitum fuiffe à Christianis, ex historiæ Ecclesiasticae Scriptoribus copioſa extat memoria. Factum id tūm propter publicam contumeliam ignominiamque, cui illa communi omnium mortalium judicio expoſita erat, ut hâc ratione Ecclesiā ſuam laxiore intervallo à cœtu gentilium diſunctam ſignificarent, tūm verò vel maximè propter divinissimum illud redēptionis nostræ pretium, quod in eâ fuit oblatum & ſolutum. Frequens hoc Ethnicorum ſcomma Christianorum auribus obſtrepuit: *Tu adoras crucifixum?* uti refert Chrysostomus hom. 2. in ep. ad Rom. Inſignis enim amentiæ argumen- tum eſſe duxerunt, ſi quis honorificè ſentiret de iſto, quod in cruci ſiebat, ſupplicii genere, tam in viso omnibus & ignominioſo. Eam ob cauſam, qui Christo nomen dederant, in plerisque omnibus ſuis ſermonibus, totaque vitæ ſuæ ratione, crucis signum tanto magis ornare atque extollere conſeverunt, ut inimicis crucis Christi Judæis pariter & gentilibus ægrè faſerent, majoremque in animis illorum dolorem excitarent. Nec puduit adeo illos, ut Chrysostomi verbis utar, crucis signum & rebus ſuis geſtis & facultatibus omnibus, tanquam legitimum quoddam inſigne adſcribere. Hinc adeo ſoliti fuerunt post deſtructa idolorum templa & delubra in locum eorum Christi crucem tanquam trophyum ſtatuerent, illudque in vestibulis, in parietibus, in fenestrīs, in poſtibus, in columnis, denique in in-

Ooo 2 signi-

signibus, vexillis, signis, scutis, nummis exprimere, ut quocunque oculus se converteret, in lacro sanctum crucis signum incurreret.

II. Sed & in quibusdam cultus divini partibus cruces adhibebantur, e.g. in processionibus publicis, quas faciebant, & in litanis. De tali enim earum usu loquitur Justinianus novell. 123. c. 32. Sed & ipsas honorandas cruces, cum quibus in litanis ingrediuntur, non alibi, nisi in venerabilibus locis reponi, & si quando opus vocaverit ad litanias celebrandas, tunc solum ipsas sanctas cruces accipere eos, qui consuetè eas portare solent, & cum Episcopo & Clericis litanias celebrare. Ex quibus verbis patet, processiones jam aeo Justiniani in usu fuisse, quamquam antiquioribus temporibus processio publica & δημοσία προσέλευται nihil aliud significaverit, quam εἰσόδον, οὐαζών, publicam frequentationem, & popularem conventum in Ecclesiā, ut optimè observat Franciscus Florens in dissertat. jur. Canon. ad c. auditis §. de prescript. cap. 4. Crucis autem in processionibus ejusmodi gestari solitas à Chrysostomo primū ex cogitatas fuisse, & quidem eum in finem, ut cereas faces accensas impositas haberent, quia scil. conventus illi nocturni erant, testis est Socrates lib. 6. hist. Eccl. cap. 8. Atque id accedit imminentे seculo V.

III. Quod ita primum ad pietatem excitandam institutum fuerat, versum mox fuit in pompam, invalecente scilicet consuetudine, ut eximia dignitatis Viri ad Urbem accedentes crucibus antelatis exciperentur. Sic enim exarchos & patritios exceptos fuisse Romæ notat Anastasius Bibliothecarius in vita Hadriani I. Atque inde putant nonnulli, natum fuisse etiam illud, ut à proceribus Ecclesiæ istiusmodi crucis usurparentur, quando ipsi quoque licet extra supplicationes publicas, procederent. Ego vero ex æmulatione potius id factum existimo, quia magistratibus civilibus sua esse insignia, quæ præferrentur, in conspectu habebant, ut quemadmodum ante Rectores provinciarum, Consules aliosque magistratus superiores, immo ipsos Imperatores, imagines Principum, fasces, gladii, ignis & alia insignia deferri solebant: sic ipsi quoque haberent illustre aliquod & conspicuum signum, per quod ab reliquis Episcopis suæ dioceles dignosci possent; & per quod si non superiores, saltem pares haberentur magistratibus civilibus. Et sic quod ab initio signum devotionis esse coepit, degeneravit tandem in signum τριποδῆς & eminentiæ singularis, quemadmodum etiam processiones, quas à pietate & sanctitate tantoper commendant Ecclesiæ Latinæ Doctores, tandem coeperunt numerari & recenseri inter argumenta jurisdictionis, c. 15. §. de prescript. §c. 13. §. de sentent. §. de jud.

IV. Postquam ita in crucis prælatione singulare aliquod honoris & dignitatis argumentum sese exseruit, quod quidem, ut dixi, ex pravâ hominum impositione exortum fuit, coepit ea mox communis fieri non Patriarchis

chis tantum & primatibus, sed etiam Archiepiscopis, cum hâc tamen distinctione, quod Patriarchis ubique locorum crucem elatam præferre liceat, præterquam in Urbe Româ aut ubi Pontifex Romanus præsens fuerit, aut ejus Legatus utens insigniis Apostolicæ dignitatis; (sic enim constituit ipse Papa Romanus in propriâ causâ, inauditis patriarchis *in c. antiqua 23. X. de privileg.*) sed Archiepiscopis in suâ tantum id liceat provinciâ, nisi ex privilegio id habeant summi Pontificis speciali. Et Archiepiscopis ideo id denegari in aliis provinciis ajunt Canonistæ, quia in illis hoc insigne denotat superioritatem & potestatem in loco, quæ extra locum istum exspirat. Nec diversum quidem etiam de patriarchis dicendum esse, nisi communijure illi muniti essent, ut propterea in his crucis extra provincias suas prælatio dignitatem magis personæ, quam potestatem denotet. Aug. Barbo-*la de offic. Episc. part. 1. tit. 3. cap. 1. n. 23.* qui idem *sub num. 25.* adhuc aliam facit differentiam, quod scil. patriarchis in signum eminentiæ & superioritatis crux gemino ligno transverso, Archiepiscopis autem unico tali constans præferri soleat.

V. Quandoquidem verò hâc ratione cruces suum officium, quod habuerunt olim, prorsus perdiderunt, neque in tali negocio amplius adhíbentur, ut pia ceremonia, quæ orationi adjecta animos fidelium ad crucis Christi memoriam evehoret, sed ut materiæ alicui terrenæ, aut figuræ, aut gestui affixa, eumque in finem, ut temporale aliquid, ut est jurisdictio, denotaret, mirum non est, mutato ita rerum usu controversias natas esse propter hoc crucis *ægis* tantum non internecinas & immortales. Multa pasim refert Historia Anglicana de contentionibus sæpè iteratis inter Archiepiscopum Cantuariensem & Eboracensem propter crucis hoc insigne, quibus sibi autoritatem suam non unis vicibus interposuerunt non Reges tantum, sed Pontifices etiam Romani. Utriusque Archiepiscopi rationes, quibus quisque instructus erat, sollicitè conquisivit & congesit Gulielmus Neubrigensis *rer. Angl. lib. 5. cap. 10.* Nos eas quidem nunc non discutiemus, sed tamen quid hinc inde factum fuerit, & quâ ratione quisque partes suas tutatus fuerit, breviter dispiciemus, ut appareat inde, quam perversè, & improbè uti soleant prælati signo crucis, quod symbolum esse debuit passionis divinæ.

VI. Fuerunt hi duo Metropolitanî, uti scribit Stubbësius apud Franciscum Godwinum *in vitâ Thome I. Archiepiscopi Eboracensis*, ante Normanorum adventum non solum potestate, dignitate & officio, idq. ex constitutione Gregorii I. Papæ, sed etiam suffraganeorum numero pares censebantur. Nunc autem Cantuarienses novo credulo Regi Guilielmo persuaserunt, Eboracensem Ecclesiam Cantuariensi debere subjici: ¶ utile esse ad Regni firmatatem, ut Britania quasi primati subderetur. Alioqui posse contingere, ut de exteris gentibus,

Ooo 3

que

que Eboracum n*u*n*v*igio venientes, regnum infestare soiebant, unus aliquis ab Eboracensi Archiepiscopo & ab illius provincie indigenis Rex crearetur, & sic regnum turbatum scinderetur. Gregorii epistola ad Augustinum Legatum suum eā de re habetur lib. 12. num. 15. ubi, cū pares Archiepiscopos illos inter se esse voluerit primū, mox tamen hanc distinctionem observarijubet, ut ipse prior habeatur, qui prius fuerit ordinatus. Quā ratione autem ab Rege Guilielmo, qui Conquēstor alias dicitur, Eboracensis Ecclesia Cantuariensi subjecta fuerit, ex diplomate constat, quod refert Johannes Josselinus *in antiquis Britann. in vita Lanfranci.* Idque promulgatum fuit anno salutis MLXXII.

VII. Controversiam hanc de primatu utcunque s^opitam excepit mox alia de prælatione crucis, quam sibi ex privilegio Honorii II. Pontificis Romanī concessam habuerat Thurstanus Eboracensis Archiepiscopus. Eāq; concessione cūm uteretur Rogerus successor, sed ab Archiepiscopo Cantuariensi prohiberetur, ad Pontificem Romanum Alexandrum III. res d^lata est, qui non auditā parte alterā privilegium illud primo sui Pontificatus anno confirmavit. Id verò indignè ferens Thomas Archiepiscopus Cantuariensis inhibitionem mox impetravit ab eodem Alexandro, ne in provinciā Ecclesie Cantuariensis id amplius auderet Archiepiscopus Eboracensis, quandoquidem id jus nunquam antea ei competit erit. Acceptā verò hāc inhibitione Eboracensis plurimorum annorum possessionem allegavit, atque eā iustè se dejici ostendit, fecitque, ut Pontifex revocatā inhibitione possessionem suam tueretur, quoad in judicio petitorio aliud decre^tum fuisset. Et in hanc sententiam concepta est decretalis epistola Alexandri III. *in c. 1. ¶ ut lite pend. nihil. innov.* quæ tamen, ut de negocio isto plenior habeatur cognitio, supplenda est ex antiquā collectione secundā *eod. tit.* ex recensione Antonii Augustini: *Memoria nostra non excidit, qualiter in primo anno nostra promotionis transcriptum literarum felicis memoriae prædecessoris nostri Honorii nobis feceris presentari, in quo continebatur antecessoribus tuis Apostolicā benignitate esse indultum, ut tameis, quam successori bus suis liberum esset per totam Angliam ante te crucem deferre, nos verò antecessoris nostri vestigiis inberentes tibi subscripti nostri munimina confirmamus. quod antecessoribus tuis fuerat à prædecessore nostro clementer indultum.* Postmodum verò sancte & venerande memorie T. quondam Cantuariensis Archiepiscopus existimans hoc in præjudicium sui juris & sue dignitatis redundare, exinde cœpit questionem movere. Unde propter hoc ad sedem Apostolicam appellavit affirmans, si bene meminimus, quod tibi & prædecessoribus tuis id nullatenus licuisset, sicq; factum est, quod per nostra nos tibi scripta prohibuimus, ne in provincia Cantuariensis Ecclesie, donec de ipsa causā cognosceretur, ante te crucem deferre aliquid ratione auderes. *Quia ergo per dil. f. nostros J. & A. clericos tuos gravem coram*

coram nobis querimoniam depositisti, afferens, quod de possessione hujus rei, quam tu Et Antecessores tui habuisti, ante cognitionem judicii spoliassimus. Nos volentes tibi, tanquam venerabili nostro fratri deferre, Et jura tua integra Et illibata servare, presentibus literis statuimus Et. Sequuntur ea, quae habentur in compilatione Gregorii IX.

VIII. Brevi post tempore Rogerio in Ecclesiâ Eboracensi adhuc vivo, postquam Richardus in Sedem Cantuariensem electus fuisset, resuscitata est ea de cruce gestandâ controversia. Quam ut componeret, missus est à Pontifice, Hugocio Legatus. Is cum advenisset, concilium ex utriusq; provinciæ Clero coëgit, sed successu parum felici & perquam faceto. Cùm enim dies inchoandi concilii adesset, Legatus in sublimi sedens folio dexteram Cantuariensi Archiepiscopo concescit. Eboracensis verò sinistram designatus se medium inter Legatum & Cantuariensem intrudere conatus fuit; hoc verò nullatenus cedente in Primatis sui gremio tandem resedit. Tám inusitato spectaculo Episcopi p̄fentes consternati hanc tantam temeritatem reprehenderunt acriter, sed frustra. Quapropter famuli ac ministri Cantuariensis contumeliâ hâc Domino suo illatâ irritati Eboracensem è gremio Cantuariensis vi detrahunt, humili dejectum pedibus conculcant, pugnis contundunt, & Archiepiscopales vestes in frusta dilacerant. Hæc videns Legatus & sibi male metuens discessit properè, eumque è vestigio sequitur Cantuariensis cum famulis suis, relicto Eboracensi humili prostrato, qui anhelus tandem & semianimis exsurgens properat ad Regem, sic ut erat pulverulentus, pannis obsitus, sanguine conspersus, ac attonito vehementerq; miranti, quid rei esset, querimoniam contra Cantuariensem instituit gravem; sed intellectâ veritate, iracundia regia jam pullulans, in risum & cachinnos soluta est.

IX. Rogeri successor Godefridus sive Galfridus parum abfuit, quin eandem fortunam expertus fuisset. Expectabatur in Angliâ anno MCXCIV. reditus Richardi Regis, quem Henricus VI. Imperator hac tenus captivum tenuerat. Paulo ante etiam electio Huberti Archiepiscopi Cantuariensis expedita fuerat. In utroque isto actu qualem se gesserit Archiepiscopus Eboracensis, hunc in modum referunt Annales: Omnes jam ordines adventanti Regi occurserunt. Inter quos Godefridus Eboracensis Archiepiscopus Regis ex illico coitu frater, cùm in itinere cruce ante selatâ Cantuariensem provinciam attingeret, Regiâ viâ progredi cum cruce metuit. Itaque ne crucem videretur deponere, per devia atq; dumos progressus crucem magnificè gestans Sandwici, quo Rex appulerat, omnesq; concurrebant, ei obviam dat. Id Hubertus agrégulit, Et de injuriâ illâ cum Rege conuestus est. Rex has sive nugas, sive minutâs controversies à se ad Papam transtulit. Idem Godefridus in Episcoporum conventum, qui de Huberti electione Londini habitus est, ante cum cruce glorioius venerat.

Cui

Cui à Roffensi Episcopo graviter & acutè reprobato, omniumq. clamoribus cum cruce exploso, à nemine assurctum est. Tùm verò in plateis incessit cum cruce magnificientiis, adulterinā suā nobilitate & cognitione fatus. Sed minis civium, quos fastu suo incenderat, & consilio Magnatum, qui Regis causa ei prospexerant, erucem depositus, & ne vi rumperetur aut adimeretur, abscondit.

X. Prolixum eslet singula enumerare, quæ inter istos duos Archiepiscopos propter crucis insigne contigerunt. Igitur potioribus tantum quibusdam delibatis contenti erimus. Anno M CC XXC. habitum fuit Concilium Lamethi, quo durante Eboracensis Archiepiscopus, ut Regem adiret, Cantuariensem provinciam cruce ante le gestatā ingressus est. Itaque Johannes Peckam Cantuariensis Archiepiscopus per totam suam provinciam promulgatis sub excommunicationis pœnā jussit, ne quis Eboracensi (fuit is Gulielmus Wickwane) aut suis famulis esculentā, potulenta, seu quæcunque ad victum necessaria ministraret, ulliusve publici aut privati negotii commercium cum illis haberet. Cujus rei severitate cum aut provincia infectis negociis exeundum aut fame pereundum esset Eboracensibus, crux illa tanto fastu erecta humiliter deposita aut dejecta fuit. De eodem Eboracensi aëtum adhuc alium refert Chronicus Osneiensis autor his verbis: *Cum reversus (Romā, ubi pallium & consecrationem acceperat) applicasset in Angliam, & per provinciam Cantuariensem erectā cruce, quam ante se more prædecessorum fecerat deportari pompatice, pertransiret, quidam de familia D. Cantuariensis crucem ipsam de manibus bajuli violentis aubibus abstulerunt, ipsamq. minutatim in frusta confregerunt.*

XI. Duraverat ista de cruce gerendâ controversia annos penē trecentos, præsertim, cùm eam contrariis sæpè rescriptis fovissent Pontifices Romani. Tandem verò Eduardus III. Rex circa annum M CCC LI. totâ lite ab utroque Archiepiscopo ejus arbitrio commissâ eam hoc modo composuit: Ut uterque in alterius provincia crucem suam liberè ante se ferre posset; sed Eboracensis in subjectionis signum & singuli ejus successores secundo mense postquam deinceps Cantuariensem provinciam ingressi fuerint, pro pacificâ crucis delatione nuncium aliquem solennem videlicet vicarium suum in spiritualibus generalem, vel causarum auditorem, vel aliquem legum Doctorem, vel militem ad Ecclesiam Cathedralem Cantuariensem cum unâ imagine aureâ valoris XL. L. Sterl. sculptâ ad similitudinem Archiepiscopi crucem in manu suâ deferentis, vel altero jocali aureo prædicti valoris mittat. Cumque hujusmodi nuncius ad Ecclesiam Cantuariensem accesserit, imaginem illam vel jocale ad delubrum Thomæ Becket in præsentia prioris, superioris vel alterius præsidentis offerat publicè ac devotè. In parlamentis autem, tractatibus & consiliis Regis cum Cantuariensis & Eboracensis Archiepiscopi simul intersint, quia Cantuariensis

riensis Ecclesia antiquior & præminentior fore dignoscitur, Cantuariensis Archiepiscopus dextras, & Eboracensis sinistras Regis occupabunt, eorum crucibus eodem modo à dextris ac sinistris sepositis. In Consiliis etiam, convocationibus, synodis ac similibus congresibus, quibus utrique intersunt, primus locus Cantuariensi, secundus vero Eboracensi tribuatur. Tum crucigeri, cum in viâ amplâ atque latâ convenerint, cruces simul deferant, sed in portarum introitu atque exitu locisque angustioribus Cantuariensis crucifer præbit & Eboracensis sequetur. Hanc compositionem Rex sigillo suo roboratam in palatio suo Westmonasteriensi promulgavit 20. Aprilis. Quam Innocentius VI. Papa 5. Kal. Martii ex suâ certâ scientiâ, non obstante, quod tunc in compositione hujusmodi suffraganeorum, prælatorum, conventuum & capitulorum utriusque provinciæ consensu jure requisitus non accesserit, omnemque alium tam juris quam facti defectum supplens confirmavit.

XII. En verò signum Christi in cruce passi patientiam, humilitatem, mansuetudinem, & subjectionem quod repræsentare debuit, quantis superbie & arrogantiæ motibus atque procellis expositum fuit. Non alia magis Gentilibus scandalô esse potuisset, quam haec de crucis prælatione inter Archiepiscopos tot annos continuata altercatio. Crucis signo usi fuerunt Christiani veteres, non ut inflarent animos ad intolerabilem superbiam, & aliquam inde sibi prærogativam tribuerent, sed ut intelligere ficerent Gentiles, cogitationes suas ad Christum referri, Christiq; auspiciis se universas suas actiones absolvere. Hoc namque est, quod docet Apostolus, omnem nostram gloriam in Christi cruce positam esse. Gloriantur & Archiepiscopi in cruce Christi, non tamen ut Apostolus, qui eam laudis viam rectissimam esse putavit, quæ Christi impressa vestigiis appareat. Haec autem est crucis dilectio, contumeliarum amor, hilaris ac prompta egestatis, ægritudinis, animi corporisque cruciatuum atque omnium calamitatum malorumque perpessio; à quâ viâ & gloriâ longe absunt Episcopi illi, qui non Christi, sed suam gloriam querunt, qui non gloriantur in cruce, nisi materiali, ad pompam factâ, & inanem quandam excellentiam significante.

XIII. Cæterum non licuit olim Archiepiscopo cuivis crucis hâc prælatione uti, & nec in suâ quidem provinciâ, nisi ex privilegio speciali hoc ei concessum fuisset. Illi tamen plerumque hoc jure gaudebant, quibus vicces suas Pontifex Romanus delegaverat, ita ut in successores etiam haud raro illud transferretur. Ita Viennensi Archiepiscopo cum primatus conferretur & vicaria potestas à Callisto II. simul crucis elatæ præferendæ gratia facta fuit, uti patet ex decreto, quod Petri de Marca de primatibus dissertationi in appendice adjunxit Dn. Baluzius sub num. 13. Semper tamen

PPP limi-

limitata erat potestas illa, & intra provinciam, cui quisque prærerat, constricta. Ex quo non tantum protestatus fuit Benedictus Archiepiscopus Tarragonensis aduersus Sancium Archiepiscopum Toletanum, quod is crucem ante se ferri passus fuerit in provincia Tarragonensi, sed etiam Episcopos & universum Clerum in provincia suâ admonuit decreti provincialis ab antecessore promulgati, ut loca ad quæ Archiepiscopus Toletanus cum cruce erecta venerit, penitus cessare debeant à divinis, & ut ipse quoque Toletanus Archiepiscopus excommunicationis sententia subjaceat; uti docent instrumenta ab eodem Dn. Baluzio *ibid. num. 18. & 19.* adducta. Clemens verò V. universis Archiepiscopis concessit, ut elatâ cruce in omnibus provinciæ suæ locis, etiam exemptis, procedere possint, *clem. 2. de privileg.* Imo verò habitus fuit hic honor aliquando etiam illis, qui Archiepiscopi non erant, ut probat exemplum Ottonis Episcopi Bambergensis, cui Paschalis II. permisit, ut vexillum crucis ante se in suâ dioecesi portari ficeret. Vid. Dn. Baluzius *in not. ad Concil. Narbonens. pag. 40.*

CAP. XII. *De Translatione Episcoporum.*

I.

Religiosè id observarunt veteres, ut non admitterent facile Episcoporum in alias Ecclesiæ translationem; sed tenebatur quisque in ea permanere, quam ab initio sibi quasi despontam habuit. Hanc enim, ex indissolubilitate conjugii sive matrimonii, quod est inter Episcopum & Ecclesiam, rationem ut plurimum causam faciunt prohibitiæ hujus translationis, de quâ comparatione quid sentiendum, supra explicavimus. Certum tamen est eam suo modo posse admitti, in primis quoad effectus tales, qui eandem utriusque vinculi rationem subesse ostendunt, & pari obligationi maritum & Episcopum subjiciunt. Finis autem prohibitionis hujus circa mutationes Episcopatum præcipuus est ille, ut avaritia & ambitione Episcoporum coerceretur, & ne persecutionis aut aliarum calamitatum tempore Ecclesia suo pastore destitueretur, quippe quo necessaria ipsi maximè esset ejus cura & opera.

II. Aperta in eam rem sunt testimonia tûm Conciliorum, tûm privata aliorum Doctorum. In Concilio Nicæno c. 15. constitutum fuit: *Propter tumultus & seditiones, quæ fiunt, placuit omnino consuetudinem tolli, quæ præter canonem in quibusdam partibus invenitur, ut à civitate in civitatem nec Episcopus nec presbyter, nec diaconus transferatur, si quis autem post definitionem san-*

ctæ

Et magna synodi tale quid aggressus fuerit, vel se rei ejusmodi dederit, quod factum erit, omnino infirmabitur, & Ecclesie restituetur, cui fuerat Episcopus aut presbyter vel diaconus ordinatus. Prohibitio hæc videtur ad solos tumultus & seditiones restricta esse, generaliter tamen eam interpretatur Hieronymus epist. ad Oceanum: In Nicænâ Synodo à Patribus decretum, ne de aliâ in aliam Ecclesiam Episcopus transferatur. Et quod canonis alicuius anterioris meminit canon iste Nicænus, refertur ab Interpretibus ad canonem Apostolicum, uti vocatur, decimum quartum, quo statutum fuit: *Episcopo non licere alienam parochiam propriâ relicitâ pervadere, licet cogatur à plurimis. Nisi fortè quis cum rationabili causâ compellatur, tanquam qui possit ibidem constitutus plus lucri conferre, & in causâ religionis aliquid proficere. Et hoc non à semetipso pertinet, sed multorum Episcoporum judicio & maximâ supplicatione perficiat.* Et huic canonii innixus Eusebius Cælariensis Episcopus transferri noluit ad Episcopatum Antiochenum, à populo licet summo studio expeditus, uti refert ipse de vit. Constantini lib. 3. c. 59. 60. 61. 62.

III. In Concilio Antiocheno haud paulo severior facta fuit prohibitio, quippe in quo can. 21. statutum fuit: *Episcopus ab aliâ parœciâ in aliam ne transeat, nec se suâ sponte ingerens, nec à populis vi adactus, nec ab Episcopis necessitate compulsus: maneat autem in eâ Ecclesiâ, quam ab initio à DEO sortitus est, nec ab eâ recedat, secundum definitionem de ea re primum editam.* Canon Apostolicus exceperat casum, si major utilitas ex translatione speretur, & multorum Episcoporum judicium atq; populi postulantis enixum studium accesserit; sed neque hunc quidem casum admittere videntur Patres Antiocheni, verum indefinite & in genere omnem omnino prohibent translationem. Id tamen non videtur diu observatum, quandoquidem post annos viginti, anno nimirum CCC LX. in ipsam Ecclesiam Antiochenam translatus fuit Meletius Sebastiæ Episcopus. At verò factum id ab Ariani, quibus solenne fuit in favorem lùx hæreseos undecunque Episcopos sibi consentientes accersere, & in alias Ecclesias promovere. Et simulaverat quidem initio Meletius ἐποχήσιον, atque Imperatoris voluntati inserviens Ariminensi formulæ subscripterat, ut haud vulgaria sibi emolumenta ab eo sperarent Ariani; postquam verò ad Sedem Antiochenam subiectus fuit, fervidus præter omnium expectationem extitit ἐμοχώσις propugnator, & ex eo factum, ut non ab Ecclesiâ solum ejiceretur, sed etiam in exilium mittetur. Sozomen. lib. 4. cap. 28.

IV. Finito hoc Concilio Antiocheno videtur scripta epistola Julii I. Pontificis Romani ad Orientales in causâ Athanasii, tom. 1. concil. pag. 405. in quâ exprobrat Eusebianis, quod translationes Episcoporum tam frequentes faciant, populisq; per mutationes istas injurias inferant. *Episcopi abripiuntur, inquit, & suis e sedibus propelluntur: alii verò aliunde in eorum loca*

reponuntur, alii vero infidiis appetuntur, ut subditi & de abruptis doleant, & à summissis vim patiantur, ut quos optant, frus tra requirant; quos nolunt, invit recipiant. Et quia Ariani non definebant mutationes ejusmodi continuare, sèpè etiam Orthodoxi easdem admittebant, repetita mox fuit prohibitiō in Concilio Sardicensi c. 1. Osius Episcopus dixit: *Non minus mala conve tudo, quam pernitiosa corruptela funditus eradicanda est, ne cui liceat Episcopo de suā civitate ad aliam transire civitatem. Manifesta est enim causa, quā hoc facere tentant, cùm nullus in hāc re inventus sit Episcopus, qui de majore civitate ad minorem transiret.* Unde apparet, avaritiae ardere eos inflammari & ambitioni servire, & ut dominationem agant. Si omnibus placet, bujusmodi perniciē seviūs & austerioris vindicetur, ut nec Laicam communionem habeat, qui talis est. Responderunt universi: placet. Obiter noto, per communionem Laicam Clericum propter admissum delictum ordine suo motum redigi ad statum Laicum, h. e. non quidem penitus privari talem communionē Ecclesiasticā, hanc tamen ei concedi non aliter, quam Laico, ita ut non amplius inter Clericos admittatur ille ad S. Eucharistiam, sed inter Laicos loco separato, & Laicis proprio.

V. Longius adhuc progressus fuit Damasus Papa in epistolā synodicā ad Paulinum Episcopum Antiochenum, in quā prorsus excommunicat eos, qui in aliam transeunt Ecclesiam. Epistolam istam recenset Theodoritus lib. 5. c. 11. cuius verba huc facientia hæc sunt: *Eos quoq; qui de Ecclesiis ad Ecclesiās migraverunt tamdiu à communione nostrā habemus alienos, quamdiu ad eas redierint civitates, in quibus primū sunt constitui. Quod si alius alio transmigrante in locum viventis est ordinatus, tamdiu vacet sacerdotii dignitate, qui suam deseruit civitatem, quamdiu successor ejus quiescat in Domino.* Scripta est hæc Damasi epistola anno CCC XXCII. uti colligit Henricus Valesius ad Theodorit. d.l. quo tempore in Orientis partibus valde invaluerant Episcoporum translationes. Nec putaverim tamen Gregorii Nazianzeni, uti vocatur, eo aeo florentis exemplum referri huc commode posse. Etsi enim is, cùm à Sasimorum episcopatu ejectus fuisset, Nazianzi aliquando substiterit, & illius loci Ecclesiam gubernaverit; Episcopus tamen ipse illic nunquam fuit, sed tantum Coadjutor Patris sine ullo successionis vinculo. Dehinc vero cùm episcopatum Constantinopolitanum aliquandiu sustinuissest, & vix aliquod paucas hebdomadas in eo regimine transegisset, abdicato eo in Cappadociam reversus est, adeò ut dubitare liceat, utrum alicujus certæ fedis Episcopus unquam fuerit, uti observat Valesius ad Socratis lib. 4. c. 26.

VI. Quod si quis, qui inordinato appetitu ad aliam Ecclesiam se contulit, cedere eā noluerit, à brachio seculari opem atque auxilium expectare jusserrunt Patres Carthaginenses in Concilio III. can. 38. qui in Codice canonum Eccle-

Ecclesiæ Africanæ est canon. 48. Illud autem suggestimus mandatum nobis, quod etiam in Capuensi plenariâ synodo videtur statutum, ut non liceat fieri rebaptizationes, reordinationes vel translationes Episcoporum. Nam Cresconius Villa Rhegenensis Episcopus plebe suâ derelictâ Tubiensem invasit Ecclesiam, & usq; hodiè commonitus, secundum quod statutum fuerat, relinquere eandem, quam invaserat, plebem contempnit. Adversus istum, quæ pronunciata fuerant, confirmata quidem audivimus; sed petimus, secundum quod nobis mandatum est, ut dignemini dare fiduciam (b. e. licentiam) quo jam necessitate ipsa cogente liberum nobis sit Rectorem provinciæ secundum statuta glorioſiſſimorum Principum aduersus illum adire, ut qui miti admonitione sanctitatis vestræ acquiescere noluit, Semendare illicitum, autoritate judicari & protinus excludatur. Aurelius Episcopus dixit servata formâ discipline non estimabitur appetitus, si à vestrâ charitate modestè conventus recedere detrectaverit, cum fuerit suo contemptu & contumacia faciente, etiam autoritate judicariâ conventus &c.

VII. Fuit tamen sententia hæc in Concilio Carthaginensi IV. valde temperata, ita ut exciperetur utilitas Ecclesiæ, & hujus intuitu translatio facile permitteretur. Canone enim 27. hæc leguntur verba: *Ut Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis Clericus. Sanè si id utilitas Ecclesiæ fiendum poposcerit, decreto pro eo Clericorum & Laicorum Episcopis porreto, in presentiâ synodi transferatur, nihilominus alio in loco ejus Episcopo subrogato. Inferioris verò gradus sacerdotes vel alii Clerici, concessione suorum Episcoporum, possunt ad alias Ecclesiæ transmigrare.* Hac ratione repetitum fuit id, quod canone Apostolico statutum fuisse diximus supra. Suppleri autem illico vult Canon Carthaginensis locum decedentis Episcopi, quandoquidem permisum neutiquam fuit, ut quis duarum Ecclesiarum simul esset Episcopus, utisupra plenius explicavimus.

VIII. Exceptio hæc & limitatio multo remissiore fecit rigorem antehac in Ecclesiâ usitatum, & frequentiora peperit exempla translationis Episcopalis. Adeò apud majores nostros, inquit Eusebius lib. 7. bīst. Eccl. c. 36. promiscui usus res fuit, Episcopum ab aliâ civitate in aliam transferre, quoties necessitas postularet. Et Pelagius II. Papa in epist. 10. ad Benignum Archiepiscopum: Quod enim in canonibus legitur, non debere Episcopum de civitate transire vel transferri, non de his dicitur, qui aut vi expulsi, aut necessitate coacti, aut auctoritate majorum hoc agunt; sed de his qui avaritiæ ardore inflammati sponte suâ profiliunt, & potius ambitioni, quam utilitati Ecclesiæ servire, & ut dominationem agant, insistere cupiunt. -- -- Nam aliud est sponte transire, & aliud est coacte aut necessitate venire; unde non isti mutant civitates, sed mutantur, quia non sponte sed coacte hoc agunt. -- -- Quis dicat sanctos non esse multos alios Episcopos, qui de civitatibus ad civitates translati sunt, aut meritum Pontificatus

ficatus perdidisse, quorum nomina si inciperem enumerare, ante dies transiret, quam omnino transcribere possem, & prolixior fieret epistola quam necesse foret. Videbantur vero huic Pelagii sententiæ obstare canones antea adducti, in primis ille, qui in Concilio Antiocheno editus fuerat, eosque sine dubio objecerat Benignus, incertus & fluctuans, quatenus illi moribus utentium applicari debeant. Respondet autem Pelagius: Non ergo bene intelligunt Ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causam utilitatis aut necessitatis fieri non posse, quoties communis necessitas aut utilitas persuaserit. Nullum enim ex his, aut ex aliis qui meliori consilio mutaverunt civitates, necessitate quamdam vel utilitate Ecclesiastica aut Laicæ communione carere reperimus, ne ulla tenus unquam fieri debeat. Sententia vero, quæ in Antiocheno Concilio habetur: Ut Episcopus ab aliâ parochiâ nequamquam migret ad aliam terram, atq; omnes sententiæ de eadem re, nihil prætaxato modo translationibus Episcoporum artis vel agendis nocent &c.

IX. Et sub hoc modo admisit etiam Heraclius Imperator translationes Clericorum, nempe ut illæ fierent cum consensu & præscitu atque mandato Patriarchæ Constantinopolitani, qui scilicet de necessitate & utilitate Ecclesiæ judicium exactius ferre posset. Constitutio ejus legitur in jure Græco-Rom. lib. 2, num. 4. In eandem sententiam respondit leculo XIII. Manuel Patriarcha Constantinopolitanus ad interrogationem Johannis Episcopi Ezerensis: Nostra mediocritas cum sacro suo fratum cœtu bæc communi consilio tractans talia quedam synodice pronuntiavit. Siquidem synodi metropolitanus suorum Episcoporum consensu dare cuiquam voluerit, incrementi ratione, aliam episcopen in sua provinciâ statim, sine præjudicio id faciet. Nam & à nobis talia per modum fraterne dilectionis quotidie fiunt. Et faciet Episcopus etiam in eâ Episcope totaq; ejus diœcesi administrationem omnium pontificalium jurium, quecunq; & genuinus antistes ejus: excepto eo, ne in sacro conthrono collocetur. Quod si rursus sum suâ synodo metropolitanus ob causam laudabilem & probabilem prætextum (utilitas autem bæc animarum & ecclesiastici statu administratio) comprobaverit, ut quis episcoporum sub sepositorum deponat quidem sedem & episcopi nomen, ad aliam autem sub ipso metropolitanano existentem transferatur episcopen, id sine dubio & impedimento faciet, quod hominum salutem & ecclesiasticum decus nostra mediocritas, sacraq; ipsius fraternitas, cum affectione requirat. Quamobrem & admittenda censemitur translatio ob prædictam causam, & rata firmaq; manebit, ut cui nihil adveretur. Canonica enim observatio novit diversis temporibus translationes antistitum, episcoporum, & metropolitanorum factas, non in æquales sedes, sed & in sublimiores & excellentiores, propter rationalium Ecclesiæ Christi ovium resocillationem & ecclesiasticarum rerum gubernationem. Extat in jure Græco-Rom. lib. 3. pag. 241.

X. Ex

X. Ex his verbis simul discimus illud, ad Metropolitani & Episcoporum comprovincialium cognitionem pertinuisse, utrum utilitas aliqua Ecclesiae ex translatione peranda sit. Neque enim, quæ hodiè inculcari à Canonistis solet doctrina, soli scilicet Pontifici Romano hanc competere cognitionem, in Orientis partibus obtinuit. Imò neque in Occidente quidem ita creditum olim fuisse, non tantum ex *canone 27.* Concilii Carthaginensis IV. supra adducto patet; sed etiam ex Pelagii II. epistola 1. ad *Benignum Archiepiscopum*, quæ ejusdem tenoris est cum epistola 10. supra allegata, haud paulo tamen prolixior. Consultus fuerat Pelagius, utrum necessarius esset Apostolicæ sedis consensus, si qua translatio Episcopi facienda esset? *Significasti*, inquit, *literis tuis*, *quendam fratrem, nomine & actu DEI servum causâ utilitatis mutare te velle in locum & civitatem defuncti*, licet quidam dicant, *hoc fieri non licere, nisi consensum Apostolicæ sedis habuisses*. Ad quæstionem hanc ita respondet Pelagius: *Quapropter, charissime, his Apostolicis fultus autoritatibus, mutua Episcopum causâ necessitatis aut utilitatis, super quo consulere nos voluisti, & alios fratres nostros, quibus hoc faciendum necessitas aut utilitas compulerit, agere doce: quia hoc, quod tibi soli scribimus, generaliter omnibus tenere mandamus*. *Quia sicut potestatem habemus, Episcopos & Sacerdotes regulariter titulare & ordinare, ita, ut prædictum est, causa necessitatis aut utilitatis habeas & mutare, ac de titulo ad titulum transferre, licet de minori ad maiorem urbem mutandus sit*.

XI. Cæterum, quod Latini hodiè soli Pontifici Romano, id Græci olim soli Imperatori vindicare studuerunt. Extant in Jure Græco-Roman lib. 5. Demetrii Chomateni Archiepiscopi Bulgariæ responsiones ad Constantinum Cabasilam archiepiscopum metropolis Dyrrhachii. Quæsiverat Cabasila: an oporteat eum, qui electus est, & suscepit dignitatem, amplexusque est, transferri in aliam episcopen? Respondet Demetrius: *Hoc Canonicum quidem non est, neque scriptæ aut non scriptæ Ecclesiasticae traditionis*. Fit autem sàpè, jubente Principe per aliquam dispensationem publicè conducentem, & factum est tempore incliti Imperatoris Domini Mānuelis Comneni Porphyrogenetæ. *Cùm enim sapientissimus ille Eustathius, qui, secundum Florum, magna Ecclesiae diaconus & rhetorum magister in Ecclesiam Lyctorum Myreorum electus esset, & electionem admisisset, amplexatusq; fuisset, jamq; ad ordinationem paratus: iussio beati principis illius ad synodum prodit, quā precipiebatur, ut Eustathius ad inclitam Thessalonicensium Metropolin, quam suscipere recusabat, accederet, utpote tunc vacantem. Sola igitur, ut diximus, Imperatoria iussio mutandi hæc innovandi potestatem habet*. Imperator enim, ut communis Ecclesiarum Presuppositiones existens & nominatus, synodalibus preest sententis & robur tribuit, ecclesiasticos ordines componit, ut legem dat vitæ politiæ eorum, qui altari serviunt: *buc amplius judiciis Episcorum Clerorumq; & va-*

Eccliarum suffragis, è minore etiam honore ad maiorem reducit, ab episcopo videlicet in metropolin, vel Viri virtutem vel civitatem ornans, Hec autem omnia Studiose facile est disere ex sacrorum divinorumq; canonum comprehensione & Justiniane novellâ constitutione posita in toto libro tertio Basilicorum Sc.

XII. Illud insuper notandum, antiquitus eum, qui in aliam Ecclesiam per ambitionem se transferri passus fuerat, Ecclesiæ suæ, quam deseruerat, restitutum fuisse, nisi illa jam alium accepisset Episcopum. Tum enim qui escendum primo illi fuit, quoad posterior hic diem obiisset suum. Ut patet ex verbis Damasi supra adductis. Sed Leo Pontifex eam constituit pœnam, ut neutrius Ecclesiæ Patriotiv habeat, & non suâ tantum, sed etiam spartâ careat Ecclesia. *Si quis Episcopus, inquit, sua civitatis mediocritate despiciat, administrationem celebrioris loci ambierit, & ad maiorem plebem se quadruplicet ratione transtulerit, à cathedrâ quidem pellatur alienâ, carebit etiam propria; ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis contentus quisq; sit, nec supramenjuras iuris sui affectet augeri.* Ita refert Gratianus c. si quis 7. q. 1. Benignior tamen fuit Successor Leonis Hilarius Papa, qui, cum Irenæus Episcopus ad Episcopatum Barcinonensem promotus fuisse, remittere eum jussit ad priorem suam Ecclesiam, uti constat ex epistolâ Hilari ad Ascanium & reliquo Taragonensis provinciae Episcopos.

CAP. XIII. *De Renunciatione Episcorum.*

I.

Adijiciamus nunc aliqua de renunciatione, quippe quæ omnibus promiscuè Episcopis & sine causâ permitti non solet. Nec enim licitum est pastori deserere gregem suum pro lubitu, præsertim cum tale intercedat vinculum, quod instar vinculi conjugalis dirimi non facile potest. Non decet piros & religiosos DEI servos agyrtas esse, sed oportet eos in statione suâ manere & præsentibus esse contentum. Ut maximè ergo alibi opulentius vivere liceat, alibi majore cum honore, sub clementiore cœlo alibi, alibi etiam commodius saltem, & in patriâ, atque cum cognatis suis, cogitandum est, placuisse ita DEO, ut hîc & non alibi vitam tuam transigas. Optares tibi cum humaniore populo esse negocium: offendit te ejus vel ingratitudo, vel ferocitas, vel superbia, denique tibi cum ingenio & moribus gentis minimè convenit. Atqui luctandum tibi est tecum, & vis quodammodo contrariis votis afferenda, ut Spartam, quam nactus es, colas. Atque

Atque hinc non ab illis tantum, qui temerè & studio vitæ commodioris Ecclesiam suam deseruerunt, pravè id factum semper visum fuit, sed ab illis etiam, qui persecutionis tempore fugâ sibi consulere maluerunt, quâm gregi suæ adfistere, & boni pastoris munus sustinere. Quò facit c. suggestum 7. q. 1. Est enim vero pastor instar arietis in grege, instar Ducis in exercitu, instar antesignani in populo DEI; si ille fugam arripiat, quis non animum despondebit? & quis resistere oppugnantium telis audebit?

II. Nihilominus tamen frequentissima occurunt exempla eorum, qui Episcopatibus, quos longâ possessione tenuerunt, renunciarunt tandem, & ut Ecclesiæ suæ aliis committerentur, per discessum suum anlam dederunt. Longum eorum catalogum conscripsit David Blondellus in apol. de Episc. & presbyt. pag. 195. qui tamen sine justâ ratione & prægnante causâ Ecclesiam suam deseruit, plerumque famâ haud sincerâ est apud historiæ Ecclesiastice Scriptores. Atque ideo Bernhardus Abbas Clari-vallensis epist. 82. rescribens ad eum, qui Ecclesiam suam, cui præerat, relinquere ideo volebat, ut Hierosolymam pergeret; *Quâ ratione, inquit, curam tibi creditam animarum exponere debeas, omnino non video. Quid enim? blanditur deposita sarcina libertas, sed charitas non querit, que sua sunt: Forte quietis provocat, & socii gustus savor, sed evanescatur dispendio pacis. Alligatus es uxori, noli querere solutionem &c.* Sic & Fulbertus. Episcopus Carnotensis Ebalo Archiepiscopo Remensi talem renunciationem intendenti dissuadere hoc animi propositum, & rectiores cogitationes suggerere conatus est, epist. 53. Præterea, inquit, Beroldo Episcopo referente, audivi sic te macrōe afflictum, ut curam gregis Domini relinquere velis. *Quod ego acriter & amice redarguo, testans te, si hoc egeris, non fuisse pastorem. Elegantia sunt, quæ in simili consultatione scribit Petrus Blesensis epist. 44. ad Arnulphum Episcopum Lexoviensem: Quod si Principis indignationem aut capituli vestri vexationes aut alias hujus vitæ molestias formidatis, & ideo pacem eligitis & quietem, hominem degeneris & dejecti animi decet huc facere, non vos: quâm constat præceteris cor magnificum & munificum habuisse. Sanè in hac requie non inveniretis requiem, & ecce in pace vestra esset amaritudo amarissima, dum recolleretis, cum angustiâ spiritus gementes, vos ibi defecisse, ubi fortius erat standum, abjectoq. spiritu consili & fortitudinis videretis vos à pusillanimitate spiritus & modicâ tempestate subversum. Ad resignationem Episcopatus nulla, si mibi creditis, vexatio vos inducit. Nam huc omnia fortasse operatur Dominus, ut det vobis vexatio intellectum. Trituratur granum, ut reponatur in horreo: quadratur lapis, ut sine sonitu mallei in templi ædificio collocetur: movetur turbo, ut Elias rapiatur in cœlum &c.* Nihil tamen prosectorunt hæ Petri admonitiones, quandoquidem, ut Robertus de Monte ad Sigeberti chron. sub anno MCXXI. testatur, Arnulphus hic Episcopatui prorsus renunciavit, &

Qqq

Pari

Parisiis in ædibus à se constructis reliquum vitæ transegit. Quapropter probari haud poterat renunciatio, nisi talis aliqua causa subeslet, quæ excusatum reddere poterat renunciantem.

III. Inter causas istas refertur à Canonistis conscientia criminis, non promiscuè cuiusvis, sed illius duntaxat, propter quod ipius officii executio impeditur. Talia crimina dicunt esse homicidium, Simonia, hæresis &c. Dicerem ego, omne istud delictum, quod in vulgus notum est, & scandalum præbet, sufficientem præstare causam renunciationi. In fornicationis crimen delapsus fuerat Rogerus quidam presbyter. Id acriter in eo reprehendit Ivo Carnotensis epist. 29. & Ivasor est, ut officio suo renunciet, ne plus damni det inter parochianos suos, quam ædificet. *Svadeo ergo tibi, inquit, seu vera seu verisimilia sint, quæ dicuntur, ut à candelabro, cui superpositus es, inventa honesta occasione descendas: ne amodò fumum magis, quam splendorem circumstantibus effundas.* (Dixerat antè, fuisse eum tanquam lucernam ardenter & lucentem super candelabrum positum) Quod si honore gaudens & querens tua præesse magis desideras, quam prodesse: conventus ille pauperum fratrum tibi commissus non tantum per manum tuam ultra non multiplicabitur, sed etiam quotidianis defectibus ad nibilum redigetur. In eundem modum scribit ad Aldebertum Cenomanensis Ecclesiæ electum, eodem virtu notatum, epist. 277. Dicunt enim quidam de majoribus Cenomanensis Ecclesiæ, qui ante ait vitam tuam se nosse testantur, quod ultra modum laxaveris frena pudicitiae: in tantum, ut post acceptum Archidiaconatum accubante lateribus tuis plebe mulierularum, multam genueris plebem puerorum & puellarum. -- Unde consule tibi secundum testimonium conscientie tue, ut vel honeste & cautè cœpta perficias, vel saluti tue consulens sponte ipse deficias. *Jucundus enim debet esse defectus, in quo salutis speratur effectus.*

IV. Justa etiam renunciationis causa est debilitas corporis, quæ oritur vel ex infirmitate, vel senio, & talis quidem, per quam Episcopus ad sequendum officium pastorale redditur impotens. Ita namque ob æatem simul & molem corporis Episcopatu cesit Gaufridus Sylva, nevensis Episcopus, & transtulit se ad monachos Karoli loci Cisterciensis Ordinis, teste Rigordo in gest. Philippi Augusti sub anno MCCXIII. Ita etiam Hugo Dolensis Episcopus, postquam oculis captus & luminibus orbatus fuisset, Episcopatum abdicavit, uti resert Robertus de Monte in append. ad Sigeberti Chron. sub anno MCLXII. In capite jejunii apud Cenomannos Hugo Archiepiscopus Dolensis cœcitate debilitatus præsentibus Henrico Rege Anglorum & duobus Legatis Romane Ecclesiæ Henrico de Pisis & Wilhelmo de Papiâ reddidit Archiepiscopatum, quem ferè per sex annos tenuerat. Nec tamen hoc casu cogendus est Episcopus, ut muneri suo renunciet, sed renunciatio ab ejus arbitrio expectanda, nec invito ei Episcopatus auferendus est. Nolenti tamen,

men, si debilitas contumax fuerit, nec spes restitutionis supersit, Coadjutor aliquando datus fuit. Quod si omnino renunciationem interponere placuerit, in ejus locum quidem electus tum fuit alius; sed ita tamen, ut quoque agrotantem Episcopum in hoc seculo vita tenuerit, sumptus ei debiti & sufficientes ex eadem Ecclesiâ ministrarentur. c. quamvis 7. q. 1. Antequam vero renunciatio hoc casu fieret aut reciperetur, aut etiam Coadjutor constitueretur, sacerdotes & vicini Episcopi ad aliquod temporis spacium vicariam & subsidiariam operam præstare tenebantur, ut patet ex c. pontifices 7. q. 1. De senectute hoc observo, non promiscue quamvis à munere hoc liberare, sed eam, quæ inhabilem reddit ad munus expediendum. Sanè Alexander III. noluit admittere renunciationem Episcopi Londonensis, ut maximè hic à senectutis impedimentis missionis suæ causas acerberet, sed jussit eum in regimine Ecclesiæ suæ pergere, quia, ut ait, *vergente deorsum conditione, corporeā, fervor spiritus in sublimiora consendet* c. 1. b. t.

V. Inter justas renunciationis causas referri etiam solet malitia plebis, quando ea tam duræ cervicis existit, ut, qui ei præest, Episcopus proficeret apud ipsam amplius nequeat. Sed hanc rationem non usquequaque probandum esse, colligimus ex verbis Petri Blesensis supra allegatis. Significantius adhuc Chryostomus in cap. 2. epist. ad Galat. Noli, inquit, cum Orben terræ salvum facere non possis, etiam parva contemnere, neque majorum desiderio à parvis te abstrahas. Si centum nequis, decem curam suscipias; si decem non possis, noli quinq[ue] desplicere; si quinq[ue] vires tuas excedunt, unum ne contemnas. Quod sine hoc quoq[ue] possis, noli desperare, noli labori cedere. Fuerunt tamen, qui ex hac causâ abdicare se Episcopatu non fuerunt veriti, quos quidem eatenus excusatos esse existimo, quatenus à plebe suâ vel non recepti vel ejecti fuerint. Hos enim tales excusatos reddere videtur canon 18. Concilii Antiocheni. Et hoc referto exemplum Martyrii Episcopi Antiocheni, de quo refert Theodorus Lector lib. 1. quod cum instigante Petro Fullone tumultuantes adversus se Antiochenenses atque Fulloni Episcopatum affectanti faventes animadvertisset, ab Sede suâ discesserit, his verbis usus: *Clero contumaci & populo immorigero & Ecclesiæ contaminata renuncio, servata mibi Sacerdotii dignitate.*

VI. Dubium non est, plurimis sœpè adversitatibus involvi Episcopale officium, & si quis tenerè est conscientiæ, valde affligi, si populum habeat immorigerum & in malitiâ suâ contumacem. Ex quo sœpè contingit, ut de abdicando hoc munere cogitationes obrepere soleant, præsertim illis, qui subjectorum sibi populorum utilitati & saluti plus quam suæ propriæ, consulunt. Quid est, inquit Ivo Carnotensis epist. 17. & in tali tentatione alloquitur seipsum, *episcopatus, nisi cruciatus? Quid aliud est hic honor, nisi onus?*

Qqq 2

onus?

onus? Quid est hæc sublimitas, nisi naufragosa tempestas? Unde si inventa honesta occasione huic oneri te subtraberet. Et tibi soli vacares, nullo impediente stadium bujus vita percurrentis ad brauium supernæ vocationis expeditius pervenires. Assume ergo tibi pennas columbae et avolabis a molestiis. Et requiesces, et inhabitas in solitudine mentis. Scilicet. Eandem repetit querelam epist. 25. Unde quia video me praesesse, sed nulli ferè prodesse, sèpè delibero renunciare curæ pastorali. Et ad pristinam quietem redire, ubi illum expectem qui salvum me faciat à pusillanimitate spiritus et temestate. Et in epist. 219, in fin. Unum restat mihi tutum et totum consilium, assumptis pennis columbae a molestiis inutilibus avolare, et in sollicitudine mentis requiescere, ubi expectem eum, qui salvum me faciat à pusillanimitate mentis et inquietudine, cum et ante Episcopatum et in Episcopatu semper voluntas mea fuerit, magis in loco humili salvari, quam in alto periclitari, et in domo DEI imagis abjectum esse, quam illis praesesse, quibus non possem prodesse.

VII. Agnoscit tamen idem Ivo, his cogitationibus non esse inhaerendum, sed ad providentiam diuinam recurrendum, & ex ea consilium petendum, nec adeò debere quenquam officii sui Ecclesiastici pertulsum suis commodis inservire, suisque studere compendiis & utilitatibus. In hac mea deliberatione, pergit d. epist. 17. & quadam commodorum et incommodorum veluti liberatione plurimum mibi placet illa sententia: ut summoperè optem: mibi occasione justitiae aliquam inferre violentiam, ut exoneratus sarcina pastorali plenam amaritudinis fastidiosæ, plenam curæ nubilosæ vertere me possim: quod me invitat honestum otium, plenum dulcedinis, non fastidiosæ, plenum securitatis, delitiosæ, et luminosæ. Sed rursus in hac sententia quodammodo mibi displico, timens voluntatem DEI non sequi, sed prevenire mea desiderio. Et tandem securè mibi consultit ratio, ut sicut non preueni: voluntatem DEI Episcopatum ambiendo, sic non preueniam contemnendo, sed voluntati ejus in omnibus obnoxius: de manu Domini: et quo animo suscipiam, profera. Et aspera: -- Ideo non audeo manus subtrahere suscepto regimini. Non audeo officium linguae meæ negare populo DEI quotidie ad consulta animæ sua recurrenti, ne plectar poenam servi mali et pigri. Ad eundem modum, cum Waltherius Abbas Fossatenensis locum suum delerere vellet, Ivo his verbis ad eum rescripte epist. 26. Hæc forsitan bona intentio est, sed summa et frequenti libratione pensanda: ne angelus Satana transfigurans se in angelum lucis sub hoc pallio, per intentiones te a rectitudinis tue statu dejicit. Et sic paulatim ad perpetranda aliqua inordinata latenter inducat. Nam si aliquibus ibi prodesse potes, non est sanum consilium, ut fratres tibi ordinatè commissos inordinatè relinquas; sed omnem sollicitudinem tuam intus et foris illis impendens bonos verbo et exemplo ad meliora provokes, malos corrigendo toleres, omnes communiter ames. Quæ eodem modo de pastoratu & Episcopatu explicata, quid agendum sit, optimè declarant.

VIII. Insuper etiam scandalum referri communiter solet inter justas abdicationis causas. Neque id improbat Augustinus lib. 2. contra Crescon. cap. II.

cap. 11. Deniq; inquit, nonnulli sanctâ humilitate prædicti Viri propter quædam in se offendicula, quibus piè religivseq; movebantur; Episcopatus officium, non solum fine culpâ, verum etiam cum laude posuerunt. Laudari propterea solet GREGORIUS, Naziânzenus vulgo dictus, quod Cathedram Constantinopolitanam, ad quam reiectus fuerat, sponte reliquerit, ne scil. scandalo esset illis, qui translationem suam oppugnabant, & canonibus adversam esse dicebant. Vid. Theodorit. lib. 5. cap. 8. Laudatur ob eandem rationem ab Augustino Maximianus Bagajensis Episcopus ex Donatistarum schismate ad Ecclesiam Catholicam conversus, quod, cum pacificè à populo haud recipetur, bono pacis consûlens ipse Episcopatu cedendum existimaverit, deq; eâ re literas ad Synodus Milevitana miserit. Vidi Baron. ad ann. CCCCI I. n. 59. Quò & refero, quando quis vitiis sua promotionis conscientius eam detestatur, & sibi ipsi infestus est, suoque adèo veretur officio defungi. In eam rem eleganter declamat Petrus Blesensis epist. supra laudatâ 44. Porrò aliunde subesse potest legitima resignationis occasio. Cum enim scriptum sit, quia proni sunt sensus Domini ab adolescentiâ in malum: dicitur, quod ab adolescentiâ cœpisti Ecclesiasticos honores olfacere, & ad hunc honorem, qui nunc onerosus est vobis, obsequiis atq; intercessionibus, & alitis ambitionis humane suffragiis adspirare. Currite ergo ad conscientiæ vestre testimonium, & si inveneritis vos minus canonicum habuisse ingressum, sitis sollicitus de egressu. Nam hic resignatio habet locum. Beato enim Gregorio teste, qui in ovile ovium non per ostium, sed aliunde ascendit, ad æternæ salutis brauium in vanum se fatigat, nisi honorem, in quo deliquit, penitus derelinquit. Sancta ergo & salubris est cogitatio facta de Episcopatus cessione, privatam eligere vitam, si recolitis conscientiam vestram jam dictæ promotionis obtentu fuisse vel in modico vulneratam. Si meæ parvitatæ acceptatis consilium, nihil omnino retinebitis penes vos, quod acquisieritis per peccatum. --- Deponite sarcinas ambitiosæ supellestis, ne vos luctator occultus inveniat oneratum. Nudus athleta fortius dimicat. Natator exuitur, ut flumen transeat. Viator exoneratur a sarcinis, ut expeditius currat &c.

IX. Possunt & aliæ renunciationis sese offerre causæ, quas generaliter irregularitatis nomine comprehendere solent: Canonistæ, quasque omnes & singulas speciatim enumerare longum foret. Qanticunq; tamen momenti aliqua earum fuerit, non licuit cuiquam olim propriâ autoritate sese ab onore isto liberare, sed proponere eam oportuit Metropolitano & Synodo provinciali, à quibus præviâ cognitione missio impetrari debuit. Nec videtur sufficiens fuisse olim, ut vivâ voce excusatio proponeretur, sed libello opus erat, quo causæ istæ perspectæ magis essent, & deliberatè magis congestæ. Illæ sicuti prægnantes visæ fuissent, decretum fiebat à Synodo, continens consensum, & faciens potestatem novæ electionis. Testimonium ejus rei ex seculo V. suppeditat Concilium Ephesinum Oecumenicum,

Q. q. 3:

cujus

Cuius epistola Synodica ad Synodum Pamphiliæ de abdicatione Eustathii Metropolitani extat in actis ejus Concilii tom. 2. in append. 1. cap. 1. Verba nonnulla huc adscribenda sunt: *Tale quiddam passum esse pientissimum & DEI amantissimum Episcopum Eustathium configit. Nam ordinatus quidem est, & testimonium habet canonice. Ubi autem à quibusdam turbatus est, & in solicitudines inexpeditas incidit, & cum præ multo otio pondus curarum sibi impendentium ferre non esset adsvetus, nec valeret convitia insidianum repellere, cessionis sue, nescimus quomodo, obtulit libellum. Oportebat enim semel concreditam Sacerdotalem curam cum tanto spirituali robore geri, ut labores & sudorem sponte ferat. Quoniam autem pusillanimem se declaravit, hoc ex inconsiderantia rei magis, quam ignavia vel torpore passus, ordinavit necessario vestra pietas pientissimum & DEO amantissimum fratrem nostrum & Coepiscopum Theodorum &c.*

X. Videtur Eustathius libellum abdicationis obtulisse Synodo suæ provinciali Pamphiliæ, & quidem non dilectu aliquo aut sapientiâ ductus, sed impetu potius & temeritate quâdam; Ei verò cùm assensum suum præbuisset Synodus, penituisse, & à Concilio Ephesino hoc tantum petuisse, ut liceret sibi non Episcopatum ipsum, sed honorem tantum & nomen retinere. Et hoc ei concederunt Patres Ephesini, præviâ tamen ex suâ etiam parte aliquâ cognitione. Sic enim pergunt: *Festinavimus, ut addisceremus, num legitimam depositionem pertulisset memoratus, hoc est, à quibus obtreccatoriis & de quibus absurdis rebus redargutus esset. Didicimus autem nihil tale, sed magis evenisse illi pro crimine ipsam cessionem. Unde neq; vestram pietatem reprobendimus, quæ ordinavit in locum ejus memoratum pientissimum Episcopum Theodorum. Quoniam autem non valde contendendum est cum Viro ob amorem otii ejus, sed miserandum potius seni, extra natalem civitatem & patrias conversationes longe distito, justum esse decrevimus, ut absq; omni contradictione habeat Episcopinomen & honorem ac communionem: sic quidem ut neq; ipse ordinet, neq; in Ecclesiam propriâ autoritate ordinatur veniat, nisi forte coassumatur, sive admoneri contingat à fratre & Episcopo secundum affectionem & charitatem in Christo.*

XL Ex hâc synodicâ epistolâ refutant Theodorus Ballamon & Johannes Zonaras in commentar. eos, qui statuunt, licere Episcopis Ecclesiæ suas salvâ dignitate Episcopali dimittere, quandoquidem quod hîc Eustathio conceditur, singulari dispensatione & privilegio merè personali permisum intelligi debeat. Nec adeò honorem Episcopi nec nomen amplius competere renuncianti, cùm sine dubio non petiisset ea Eustathius, si salva habuisset. Et confirmatur hâc tententia ex libello abdicationis sive renunciationis, quem Patriarchæ & Coepiscopis suis obtulit Theodorus Critopolus Metropolitanus Heracliensis, in jure Græco-Rom. lib. 6. ubi concludit: *Maneat aliis haud ablata pontificatus dignitas, qui sacerdotio functi sunt, secundum ordinem Christi, & eterni Pontificis: aliorum in solia collocactiones nulli obnoxie*

xie mutationi sunt, in quibus illustratio spiritus sedem suam fixit. Mibi queritor obedientia, vestisque pilis constans. & lacruma paenitentiae, quo abluantur facinora mea. Renuntio sedi & dignitati & sacerdotio. Simul bisce verbis tum illum exhortor, qui me olim exhortabatur; tum quem spiritus ille consolator ad Apostolatum suum segregabit. Salve pastorum deinceps & pater patrum: precibus me tuis deducito, tuoque sive pastoricio sive paterno pedo me fulcito. Quippe non jam ego pastor sum amplius, qui munere pastoris imperite fungebari, sed ovicula, sed filius &c.

XII. Quandoquaque vero renunciatio admitti debuit, puram eam esse oportuit, non in favorem certae alicujus personae; ne scil. fraus fieret. Canonis vigesimo tertio Concilii Antiocheni. Constitutum in eo fuit, Episcopo non licere alium pro se successorem constitueret, etiam si sit in fine vite. Si quid autem tale fiat, irritam esse hujusmodi constitutionem. Servetur autem statutum Ecclesiasticum, quod continet, non aliter fieri oportere, nisi cum Synodo & judicio Episcoporum, qui post obitum quiescentis, potestatem habent, eum qui dignus extiterit, promovere. Etsi vero nonnulla reperiantur exempla eorum, qui adhuc vivi sibi Successores destinaverint; singularia tamen ea sunt, & ex hoc valida, quod ejusmodi nominationes Successorum cum cleri & populi consensu, cumque judicio Episcoporum comprovincialium factae fuerint, uti id explicatum a nobis est lib. i. cum de Coadjutore ageremus.

XIII. Dixi supra, renunciations & resignations Episcopatum factas fuisse Metropolitano & Synodo provinciali; Quod si vero metropolitanus a Sede suâ discedere animum induxit, patriarchae id significari debuit, & potuit tamen Synodus provincialis de causâ cognoscere suamque rem agere, uti patet exemplo Eustathii modo adducti. Jure noviori Pontifices Romani negocium istud penes se expediri voluerunt, nec renunciations valere statuerunt, nisi suo consensu stabilitas & confirmatas. Nata vero inde fuit inter Canonistas nova disquisitio, an quia Papa Romanus nullum habet superiorem, in cuius manibus renunciari possit, Pontificatum & ipse resignare valeat? Hæsitavit eâ de re ipse aliquando Cœlestinus V. suo tamen exemplo comprobavit tandem, & habitâ cum Cardinalibus deliberatione decretit, Romanum Pontificem posse liberè renunciare, uti refert, qui ei deliberationi ut Cardinalis interfuit, ejus Successor Bonifacius VIII. c. i. de renuntiat. in 6. Ejus vero constitutionis causa & ratio quæ fuerit, non erit hic alienum paucis delineare.

XIV. Erat Cœlestinus Vir bonus ac simplex, placido ingenio, opportunus injuriæ & metuens magis quam metuendus. Propofuerat ille sibi reformare Ecclesiam & mores suorum Aulicorum, atque idcirco a se ipso incipiens Christi exemplo asino vehi destinaverat, & Cardinales idem facere jussierat. Id illi in contemptum sibi cœcere interpretantes, pro deriso & fatuo eum habere & puerilibus delectari crepundiis in vulgus spargebant,

bant, ut quām necesse esset, alium in ejus locum substitui, nemo non cognosceret. Nec defuit sibi, qui Papatum maximē affectabat, Cardinalis Benedictus, creberrimē ei ingerendo, quanto oneri ille succumberet, quamque periculosa res esset totius Ecclesiæ Christianæ regimen sustinere, tot myriades animarum in illā inveniri, pro quibus omnibus & singulis reddi aliquando déberet ratio. Quin & Canali in ejus cubiculum immisso hanc vocem quasi divinitus effusam exclamari fecit: *Cœlestine, Cœlestine, dimitte Papatum, si vis salvus fieri, negocium supra vires est:* ut se ab angelo compellatum putaret. His artibus facile persuasit homini minimē malo, ut de pontificatu resignando cogitationes susciperet. Hærentem autem animo ejus hunc scrupulum, possetne id facere salvā conscientiā, Benedictus facile exemit, multisq; rationibus adductis, Decretalem sanciri pervicit: Romanum Pontificem posse liberè resignare. Et hæc fuit occasio hujus constitutionis.

XV. Glossa ad d. c. i. mentionem facit alterius Pontificis Romani, Cyriaci scil. qui itidem papatui renunciaverit, sed eam utpote absurdissimam ac planē anilem fabulam omiserunt editiones noviores. In antiquioribus verò adhuc legitur his verbis: *Datur autem certum exemplum de Cyriaco papā, de quo legitur, quod cum Ursula & undecim milibus virginum martyrizatus est. Scribitur enim de ipso, quod sibi quondam revelatum est, quod esset cum illis virginibus palmam martyrii recepturus. Tunc congregatis Clero & Cardinalibus omnibus invitū & præcipue Cardinalibus coram ipsis renunciavit dignitati & officio.* Sed iste Cyriacus in Catalogo Romanorum Pontificum non denominatur, quia creditum fuit per Cardinales, quod non propter devotionem, sed propter oblationa virginum papatum dimisiſſet. Hanc glossam in noviore editione frustra quæsiveris, nec tamen eam deleri jus sit Index expurgatorius Madriti editus, sed summarium tantum à Carolo Molinæo in margine adscriptum.

XVI. Quid novioribus temporibus receptum fuerit circa resignationes beneficiorum & Episcopatum, parum faciet ad institutum nostrum, quod nobis propositum sit, ea ferè persequi, quæ antiquior observavit Ecclesia. Videri tamen poterit Claudio Espencaeus in cap. i. epist. ad Tit. ubi ex principiis Ecclesiæ Romanæ receptis docet, per resignationes rūm usitatas fieri, ut jura plerumque omnia Episcopalia ei competant, qui amplius non est Episcopus, fiat autem Episcopus, qui nullum Episcopi jus habeat, quandoquidem qui resignat, fructus omnes sibi reservare soleat, tantum ut aliquid assignet resignatario, pro suā dignitate utcunque tuendā. Et addit exemplum: *Nuper, inquit, ex nostratis Cardinalibus quidam obiit, quinq; Episcopatum, præter abbacias totidem, fructus percipiens, assignato quatuor resignatariis, pro suā cuiq; scilicet, dignitate vix ac ne vix quidem tuenda, nisi quod totidem vultures uni illi cadaveri inbiantes, spem interim precio emebant.*

LIBER III.